SUPPLEMENTUM

HUIC NOVÆ EDITIONI

THEOLOGIÆ MORALIS ET DOGMATICÆ

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

NUNC PRIMUM ANNEXUM.

TOMUS VIII.

COMPLECTENS

EPITOMEN EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. ORDINE ALPHABETICO CONFECTAM, NEC NON ET VARIAS SUMMORUM PONTIFICUM, PRÆSERTIM VERO EJUSDEM PONTIFICIS, CONSTITUTIONES, LITERAS ENCYCLICAS, ITEM SELECTA QUÆDAM EX EJUS OPERE VERE AUREO DE SYNODO DIŒCESANA.

DUBLINII:

EX TYP. RICHARDI COYNE,

IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

TYPOGRAPHI LECTORI.

Plurima sunt ad Moralem Theologiam, atque ad Jus Canonicum pertinentia, quæ Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex in operibus suis vere aureis passim disseminaverat, quæque scientiæ moralis studiosos ignorare omnino dedecet, Sed cum non omnes varia illius opera integra vel emere, vel legere possint, opportune in mentem venit P. Joanni-Dominico Mansi tunc congregationis Matris Dei, nunc archiepiscopo Lucensi, viro doctissimo, et non solum in Italia, verum etiam in toto orbe literario eruditissimis libris suis celeberrimo, Epitomen quamdam conficere totius doctrinæ moralis et canonicæ ex illius Pontificis operibus excerptæ. Cum igitur nobis exploratum sit, quantum hic eruditissimi viri labor theologis omnibus probatus sit, rem iis pergratam nos facturos esse existimavimus, si illam nunc demum ab eodem clarissimo auctore pluribus in locis emendatam, novisque additamentis illustratam, typis nostris excuderemus. Eam igitur excipe, Lector benevole, et studium publicæ utilitatis nostrum ne asperneris, Vale.

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV.

ABBATES.

Abbates regulares, nullam animarum curam gerentes, ad synodum diœcesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex decr. S. C. de Syn. Diœc. l. 3. c. 2 n. 3. iterumque l. 7. c. 65. n. 2.

Abbates, priores, præpositi, et alio quocumque nomine nuncupati; cardinales etiam spiritualem jurisdictionem quasi episcopalem in montasteria seu ecclesias cum territorio separato habentes, debent jurare in manibus alicujus episcopi seu nuntii apostoloci aut legati, eorum arbitrio eligendi, se visitaturos sacra limina apostolorum personaliter ac per seipsos, atque romano Pontifici relationem afferre Ecclesiarum suarum; ex his vero qui Itali fuerint vel insularum Italiæ, tertio quoque anno; reliqui vero quinto quoque anno a die captæ possessionis. Id vero si ex legitimo impedimento non possint per se, tenentur per nuntios præstare. Ita in bulla, *Quod sancta*, num. 7. Bull. t. 1. Si vero ante publicationem hujus bullæ signatæ ann. 1740. die nono kal. dec. possessionem pacificam illarum Ecclesiarum jam habuissent, intra annum si fuerint in Italia et insulis, intra biennum vero si extra, a die latæ constitutionis tenentur eam relationem mittere; dein singulis trienniis ad limina se conferre. Hæc omnia si prætermi-

serint, ipso facto ab ingressu ecclesiæ interdictum, et ab administratione tam spiritualium quam temporalium suspensionem incurrunt, tum etiam perceptione fructuum privantur; qui fructus cedant episcopo viciniori in sacros usus ejus arbitrio erogandi. Ibid. n. 9.

ACTUS FIDEI.

Actus fidei non debet comprehendere tantum in genere quidquid fides dictat, sed debent etiam credi explicite ea mysteria quæ sciri debent. Instit. Eccles. 72.

ADVOCATUS.

Rescripta, et Brevia pro exercendo advocati munere monachis etiam caconicis regularibus, nunquam conceduntur, quod conforme est canoni Ex parte tua, De postulando. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. n. 12. nov. edit.

Secularibus vero clericis, etiam beneficiatis, tum et sacris ordinibus initiatis conceditur ut advocaturam exerceant in tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus, et coram judice seculari, cum agitatur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quanquam in Brevibus libere conceditur sacerdoti seculari pauperi, ut libere causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin et tamdiu munus illud exercere ei permititur, donec certos ecclesiasticos redditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel beneficium residentiale obtineat. De Syn. Diœc. lib. 13. c. 19.

ALIENATIO.

Alienatio rerum immobilium, et mobilium pretiosarum, vetita est quoque regularibus, etiam speciale commemoratione dignis, ex decr. Urban. VIII. sub die 7. sept. 1624. Hæc tamen intelligenda sunt de bonis Ecclesiæ incorporatis. Quæ vero non sunt incorporata et debent alienari, ut sunt res relictæ PP. reformatis S. Francisci, non possunt eorum syndici procedere ad earum venditionem, nisi præfixo edicto ut magis offe-

renti vendantur. Ita ex decr. sacr. congr. conc. Inst. Eccles. 69. n. 8.

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quæ comprehenduntur in cap. Terrulas, debent etiam a regularibus fieri de licentia episcopi. Inst. Eccl. 69. n. 9.

Alienantes, et recipientes bona alienata contra Extrav. Ambitiose, incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam. Ibid. n. 10. Regulares vero ultra hanc incurrunt ipso facto pœnam privationis officiorum, ex decreto Urbani VIII. Ibid.

Quanquam, [illegible] Bona 12. quæst. 1. jus sit episcopo molienti novum monasterium in sua Ecclesia, donandi illa quinquagesimam partem reddituum Ecclesiæ suæ; cum tamen episcopi in sua consecratione jurent se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes, hinc optime intulit S. C. interdictam esse episcopo hanc, et aliam quamcumque alienationem. De Synod. Diœces. l. 7. c. 72. part. 12.

ALTARE.

Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam præsentibus quam futuris, conceditur ut, deficientibus tabulis lapideis concecratis, missam celebrent super antimensiis ruthenorum unitorum: ritu tamen latino sacrum agere illis injunctum est. Sunt antimensia lintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt, Constit. Imposito nobis, Bull. tom. 3. constit. 46.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

In Brevibus pro altari privilegiato solet definiri numerus missarum, quotidie in ecclesia celebrandarum: si forte accidat ut aliquibus diebus numerus iste missarum desit, dummodo sepius in hebdomada tot missæ celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non sufficere declaravit S. C. die 11. sept. 1694. Decretumque illud approbavit Innoc. XII. ex quo resultat necesarium esse singulis diebus numerum missarum definitum. Institut. Eccles. 56. num. 16.

Ildulgentiæ altaris cum definito numero missarum, si forte contingat tempore adventus et quadragesimæ, ut

in eccleiis regularium impleri non possit numerus, remanent sunspensæ, sicut nec remanent, si ob infirmatem sacerdotum, tam secularium, quam regularium, raro tamen id contingat, Ita sacrosancta congregatio die 30. julii 1706. Ibid. n. 17.

APPELLATIO.

Appellationes omnes, et inhibitiones, per quas retardetur executio, aut impediatur processus ad ulteriora in iis quorum executio a Tridentino vel constitutionibus apostolicis commissa est locorum ordinariis, addita clausula, *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne a tribunalibus recipiantur, statuit Pontifex in bull. *Ad militantis*, Bull. t. I. n. 48. Quæ appalationes inhibitionesque, si concedantur, præterquamquod hoc ejus statutum violetur, nulla sunt. Ibid. n. 38.

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint, singulares ab hac regula eximendi; tunc vero ne dentur monitoria citationesque vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eamdem circumstantiam verificante. Ibid. n. 39.

ASPERSORIUM.

Episcopo ingredienti aliquam ecclesiam collegiatam porrigi debet aspersiorium non ab archidiacono, seu aliis de capitulo, sed a digniori illius ecclesiæ. Si vero cum suo capitulo cathedralis capituraliter cum indumentis canonicalibus ad aliquam ecclesiam suæ diœcesis procedat, porrigi illi debet a digniori de capitulo cathedralis. Institut. Ecclesiast. 105. num. 128. ex decr. sacræ congr. ituum.

BAPTISMUS.

Natis infantibus baptismus conferri quamprimum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt: tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723. ut intra triduum infans lavetur. Instit. Eccles. 98. n, 3.

Non licet absque necessitate baptismum conferre in privatis domibus. Instit. Eccles. 98. n. 9.

Nihil officit validitati baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia, et forma nihil innovetur. De Synod. diœc. l. 7. c. 6. n. 9.

Infans cujus corpusculum nondum e matris utero prodivit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est, et moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari, sed sub conditione baptizandus est. De Syn. Diœc. l. 7. c. 5. n. 6.

Si vero infans aliqua sui corporis parte, non vero capite prodierit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcumque illa fuerit, quemadmodum Rituale Romanum præscribit (quidquid in contrarium theologorum plures sentiant, quando pars illa est ex principalioribus, ut pectus, scapule, brachia etc.); iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit: si vero caput unice detectum fuerit, baptismate absolute tigendum est. Ibid. n. 7.

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethalis culpæ crimene, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus baptismus collatus sit. Ib. c. 6. n. 3.

Si de administrato baptismate, unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc sacramentum reiterandum ; si quidem illa interrogata, materiam, et formam hujus sacrimenti probe se scire demonstrat. Idemque prestandum est in locis ubi obstetrices, antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite baptismum edoceri solent. Ibid. n. 4.

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum baptismum. Can. Parvulos, et can. Cum itaque, de Consecr. dist. 4. Inst. Eccles. 98. n. 13.

At, si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto baptismate e collo suspensam ferat, uti pro expositis in hospitali de Sancto-Spiritu in saxia de Urbe, respondit sacr. congr. conc. die 5. jan. 1724. De Synod. Diæces. lib. 7. c. 6. n. 5.

Si vero agatur de baptizatis ab hæreticis, qui ad fidem romanam venire petunt, tunc oportet investigare, numquid in secta illa hæreticorum innovatum sit ali-

quid circa materiam, et formam baptismi. Quod si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio baptismate agendum est. Hoc dubium rationabile censendum est in baptismate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invaluerat ut alter aquam funderit, alter formam pronuntiaret. Quare et nunc pariter, ut in re dubia cum illis agendum est, uti et cum hæreticis Angliæ, quemadmodum ex Silvio, aliisque statuitur. Ib. n. 8.

Irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur etiamsi baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. Instit. Eccles. 84. n. 18. Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti. Ibid. n. 18.

Admittendum esse ad baptismum infantulum hebræum, postulante avia paterna christiana, licet reclamet mater hebræa defuncto marito, et tutores testametarii, censet Pontifex in epistola ad R. P. Hieronymum Guglielmi, congregationis S. officii assessorem, ex eo quod avia comprehendi possit sub appellatione parentum, et favore religionis facile prævaleat matri, et ceteris tutoribus testamentariis: sicut mater christiana postulans baptismum pro filio prævalet patri infideli reclamanti; et, si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est religioni. Hanc epistolam habes in bullario Benedicti XIV. tom. 3. n. 54.

Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tanquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumserit, potest illi lavacrum salutare impertiri, etiam synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui pœniteat, et nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem, si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc ille qui baptizavit peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet, at penes

christianos educari. Porro in eo casu baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi femina sit, vel etiamsi sit ille qui baptismum contulit; in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Hæc de pueris ante usum rationis: qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum ætatis annum, si sese sponte obtulerint baptismo, possunt baptizari; quod verum est, etiamsi non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si vero hoc dubium præcedat septennium, tunc debet puer retineri apud christianos, suspenso interim baptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi baptismi, adeo ut illam nec ipso actu, nec antea habuerint, tunc baptismus est invalidus. Validus autem est, si antea fuerit habita, et nunquam interim retractata. Quod si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quæ invalide baptizatum pronuntiat.

Si post baptismum affirmet neophytus se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, et denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari se velle, remittendus est. Hæc omnia late disputat Pontifex in epistola ad vicesgerentem *Postremo mense*. Bull. tom. 2. n. 28.

Si mulier gravida decedat, potest episcopus injungere, ut per sectionem cæsaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus. De Syn. Diœces. lib. 2. c. 7. n. 13. nov. edit.

Baptismum ministrare, tempore pestis, eo morbo obstrictis per se non tenetur episcopus, cum ille sit tanquam causa universalis, quæ non per se, sed per particulares, id est per parochos operatur, si tamen alius adsit qui præsrare id possit. De Synod. Diœces. lib. 13. cap. 19. n. 6. nov. edit.

In baptismate conferendo possunt presbyteri græci loco latinæ formæ adhibere eam quam habent in suo Euchologio: *Baptizatur servus Dei N. in nomine* etc. sicut et abhibere trinam aquæ immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen græcorum vetantur consignare chrismate in fronte suo

baptizatos. Licet vicissim uti in baptismate aqua calida, sicut et licet parochis græcis suos subditos baptizare aqua per ipos græco more benedicta. Vetantur insuper ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administrent, sicut neque eisdem pueris conferant in missa eucharistiam.

Filiis patris latine et matris græcæ latino ritu baptisma conferatur. Si vero pater sit græcus et mater latina, liberum erit patri ritum eligere.

Baptizati ritu græco subsunt jurisdictioni parochi græcorum, nec possunt latini absque dispensatione sedis apostolicæ transire ad ritum græcum. Vicissim græcus ex concessione episcopi latini potest ad latinum transire. Qui vero clerici sunt in quocumque ordine etiam minori constituti a ritu græco ad latinum sine licentia transire nequeunt.

Fas est græcis sacerdotibus peracta jam consecratione, et ante communionem suam aquam calidam in sacrum calicem infundere.

Non licet græcis sacerdotibus asservare sacramentum eucharistiæ toto anno.

Non licet græcis in Italia et insulis degentibus eucharistiæ particulam suspensam ad collum, seu in privatis domibus retinere.

Quæ servanda sint a græcis in sacramentis conficiendis et recipiendis diligenter prosequitur Benedictus XIV. in eadem bulla *Etsi pastoralis*, ex quibus nonnulla hic etiam a nobis excerpta sunt et sparsim in suos titulos distributa.

In bulla *Quam provinciale*, Bullar. t. 4. n. 37. mandat Pontifex, ut servetur canon concilii III. provincialis albanensis, quo sancitur ne Christi fidelibus sub mahumetica ditione degentibus imponantur baptizandis nomina turcica seu mahumetana, neve eadem nomina etiam extra baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant.

BARBITONSORES.

In diœcesi ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam etiam die festo, permitti potest; sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus. Instit. Eccles. 43. per totum. Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum. Ibid. n. 2.

BENEDICTIO.

Benedictio sacrarum vestium utrum ab episcopo simplici sacerdoti committi possit, quæstio est anceps inter scriptores. Insignes tamen episcopi facultatem hanc plerumque a congregatione petunt. Inst. Eccl. 21. n. 9. et 10.

Utrum benedicendum sit cingulum, pluviale et sacra pyxis, quæstio est inter doctores. Probabilior tamen censetur opinio, quæ benedictionem exigit, cum pro pyxide sit peculiaris benedictio in Rituali. Ibid. n. 12.

Si ex veteri sacro vestimento novum aliud diversæ formæ conficiatur, ut si ex stola manipulus etc. benedictio iteranda est. Ibid.

Episcopi titulares jus nullum habent consecrandi sacro chrismate vasa sacra, quia cum in his adhibendus sit usus pontificalium, non datur illis hisce uti in aliena diœcesi. Ibid. n. 15.

Abbates regulares benedicere posse campanas, et calices pro usu alienarum Ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit Alex. VII. in suo decreto diei 27. sept. 1659. Consulta S. congregatione, num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis Ecclesiis, ex eo quod obtinuerint indultum apostolicum, responsum fuit exhiberi debere illud indultum authenticum ex archivio apostolico desumtum, ac interim abstineri. Ibid. n. 19.

Benedictiones, et unctiones campanarum cum capitularibus Caroli Magni indicentur, antiquissimæ sunt, Inst. Eccl. 47. n 80. eisque nomen alicujus sancti imponi consuevisse ex Alcuino discimus. Inst. Eccl. 47. n. 32.

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approbantur, neque id tribui posse impressioni aeris a campana impulsæ asseritur. Ibid. §. 37.

Solus episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare, ibid. n. 38.

Ex præcepto Pontificalis Romani campanæ ecclesiarum denedici debent. Ibidem.

Potest episcopus suspendere sonum campanarum, quæ ab episcopo benedictæ non fuerint, ut ex decretis sacræ congregationis. Ibidem.

Benedictionum equorum, et aliorum animalium die festa sancti Antonii abbatis formula habetur. Inst. Eccl. 47. n. 12.

Benedictiones in vermes et insecta habentur ib. n. 20.

Benedictiones, cum reliquiis, non esse improbandas quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur. Ib. n. 26.

In benedictione pontificia super populum, quæ quibusdam regularibus aliquoties in anno ex privilegio datur, unicum tantum crucis signum formandum est more sacerdotali, non tria more episcopali. Encycl. Exemplis, Bullar. t. 2. n. 43.

Facultatem benedicendi morituros cum plenaria indulgentia, quam antistites Ecclesiarum cum epistolis in forma Brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus, quo in ea diœcesi perseverabunt, prorogat Benedictus XIV. in encycl. ad omnes antistites, *Pia mater* etc. Bullar. tom. 2. n. 34, ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denuntiat, easque pariter communes esse vult prælatis inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate *nullius*, et activa in populum et clerum jurisdictione. His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocumque impeditis, etiam diurno tempore, possint hanc benedictionem per delegatos elargiri. Hanc delegationem fieri maxime vult per diœcesim, ut omnibus præsto esse possint; quæ delegatio morte delegantis non expiret, sed perseveret usque ad superventum novi præsulis, cujus in arbitrio est eos confirmare, vel removere. Quare novus quidem præsul poscere debet a Pontifice eamdem facultatem, non vero delegati illi, quia perseverat in illis prioris episcopi delegatio; ita Pontifex. Ibidem.

Si tamen præsul ex una Ecclesia, tranferatur in aliam, nova indiget facultate, quia prior illi data fuit præcedentis diœcesis intuitu.

Ritus hujus benedictionis impertiendæ habetur descriptus in eadem encyclica.

Tres benedictiones impertiunt abbates regulares ex decretis Alexandri VII. in missis, vesperis, et matutinis solemnibus. In missis privatis nihil supra reliquos sacerdotes illis concessum est. Ex iisdem decretis. Inst. Eccles. 34. n. 19.

BENEFICIUM.

Beneficium si quis fundaverit de suis donis cum pacto ut ipse tanquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum jus patronatus transeat ad heredes. quanquam simoniacum id audiat apud multos, attamen ab ea labe immune censeri potest; neque enim satis esse discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo etc. et illum qui vult sibi conferri: utrinque enim pactum adest; ita ex Pitonio. Institut. Eccles. 95. n. 7.

Si quis vero offerat bona in augmentum beneficii jam erecti, nec tamen patronatus jus acquirat, tunc pacisci non potest, ut sibi beneficium illud conferatur, ut ex cap. Tua nos, de Simonia, ibid. num. 12.

Patronus non potest se præsentare ad beneficium, ut ex cap. Per vestras, de Jure Patronatus; sed potest rogare episcopum ut, si inveniatur dignus, sibi illud conferat: sive debet jus patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expolietur jure patroni, quando donationem approbaverit episcopus, vel saltem episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione beneficium, et beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. Instit. Eccles. 95. n. 5.

Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum iniverint cum resignatario de cedenda illi pensione, seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipata pecunia, pactum istud irritum, et inane declaratur. Item resignatarii et resignantes decidunt ab omni jure beneficii ipso facto absque ulla judicis declaratione, et pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quæ ab ordinario applicanda est locis piis. Eisdem pœnis subjacent hæc eadem pacta inita intra sex menses a die receptæ per resignatarium beneficii possessionis. Bull. tom. 1. In sublimi.

In bull. *Ecclesiastica ministeria*, Bullar. tom. 2. n. 10. mandat Pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis, et ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus etc. literæ gratiæ signatæ intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses a novo proviso possessio beneficii capitaur: si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum

usque ad novem menses a data concessionis gratia numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postulatur, permittit ut, docto prius officii subdatarii de apostolicis literis expeditis, fiat prorogatio prima et secunda vice, ulteriores omnes tollit; et, si legitimum impedimentum perseverare concludentes apud datarium probatum sit, facultas sit datario tot ulteriores prorogationes concedendi ab exequendum literas apostolicas, quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilo minus perseveretur in differenda executione literarum, apostolica tunc gratia nulla et irrita censetur.

Si beneficium obtinens religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem, tempore vero illo intermedio inter ingressum et professionem quoad beneficia curata debet episcopus idipsum agere, quod præstaret, cum parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jurà præscribunt. Si forte beneficiatus religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret, quæ renutiatio admitti ab episcopo posset, ex constit. 58. S. Pii. V. sive eam renuntiationem faceret ad tramites capitis 16. sess. 25. concil. Tridentin. de Regul. nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre episcopus, nisi post factam a renuntiante solemnem professionem. Ita in literis ad card. Quirinum. Bullar. tom. 2. num. 25.

Vetitum est etiam beneficiariis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et nullitatis actus, vendere ac distrahere redditus suorum beneficiorum ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per spatium ejusdem temporis, vel totius vitæ, probabiliter consequi potuissent. Bulla *Universalis Ecclesiæ*. Bullar. tom. 1. n. 29.

Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, vel etiam in concursu male obtentorum convalidare fas est majori pœnitentiario. Bulla *Pastor Bonus*, Bullar. tom. 1. n. 95. et 20. Sed in convalidatione titulorum, et condonatione fructuum abstinendum est illi cum episcopis, qui de ecclesiis cathedralibus provisi, munus consecrationis intra præfinitum tempus non susceperint, ibid. n. 21.

Neque etiam condonet fructus beneficialium, et episcopalium ecclesiarum quovis modo male perceptos in casibus non occultis. In occultis vero cum Italis, Hispanis, Lusitanis, et insulis adjacentibus compositionem facere potest: cum aliis reliquis non potest. Hæc tamen omnia debent esse sine præjudicio illorum quibus distributiones accescere debent, ibid. n. 24.

Si quis jam obtineat beneficium, et injuste vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur. Inst. Eccl. 93. n. 4.

Si vero quis habeat jus ad beneficium, et ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas; nam tunc pararet sibi viam ad beneficium per pecuniam, ibid. n. 7.

Beneficium obtinenti jure certo et manifesto, ut nullus sit quæstioni locus, permititur redimere injustam vexationem, ut ex cap. Dilectus 27. de simonia; idque fieri potest nulla interposita episcopi auctoritate; fas est tamen episcopo præcipere in synodo ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniæ. De syn. diœc. lib. 7. cap. 69. n. 8. l. 12. c. 6. et 9. nov. edit.

Si patrinorum beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est præficiendus, qui a pluribus eligitur, uti definitum est in c. Quoniam, de Jure Patronatus. Si tamen ille, quem presentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter præsentari a paucioribus, ut ex Lambertino traditur De syn. diœc. l. 7. c. 70. n. 6. Valere tamen judicata est constitutio synodalis episcopi Pampilonensis, quæ vetuit admitti præsentatum a minori parte, ob rationes in tractatu De syn. diœc. l. 7. c. 70. n. 6. ponderatas. L. 12. c. 7. n. 6. nov. edit.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet a sede apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure patronatus etiam laici; nam conc. Trid. permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, et nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere sacram congregationem constat. Instist. Eccles. 91. n. 7.

Hæc tamen non valent in capellaniis de jure patronatus laicorum, neque in legatis piis, ut ex alio decreto sacræ congregationis, ibid. n. 8.

Ex alio decreto sacræ congregationis, de quo ibidem, eruitur non esse inquietandos illos qui bona fide tria vel quatuor beneficia insufficientia ex episcopi auctoritate obtinuissent, ibid.

Cum beneficium resignatum fuerit in manus episcopi, vel collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis, consanguineis, affinibus, vel familiaribus suis, ut ex bulla 68. S. Pii V. ibid. num. 9.

Quin neque affines, consanguinei, et familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in concursu; primo, quia bulla S. Pii, quæ legit *admittentium consanguineis*, mendose excussa est, cum legendum fuerit *dimittentium consanguineis*, ut monet Fagn. in cap. Non sine, de Arbitris, Secundo, quia sacr. congreg. disposuit, ut in eo casu neque familiares episcopi, neque consanguinei resignantis, admitterentur, ibid. n. 11. De synod. diœc. l. 13. cap. 24. n. 2. nov. edit.

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus episcopi, per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest, cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita De synod. diœc. ibid. n. 6. ex decr. S. congr.

Consuetudo Ecclesiarum reservandi heredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valet; nihil enim derogat juri illius, qui in beneficium recens invectus est, cum et ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetudinis sæpius a sacra congregatione decisum est. De syn. diœces. lib. 7. cap. 70. n. 3. l. 12. c. 7. n. 3. nov. edit.

Beneficiorum parochialium et vicariarum, tam secularium quam regularium, capaces esse canonicos regulares præmonstratenses, etiam non intercedente apostolica dispensatione, definit Pontifex in bulla *Oneroso* etc. Bull. t. 3. num. 33.

De filiis illegitimis clericorum circa beneficia parentum in eadem ecclesia, qui possint, et non possint etc. Vide Irregularitas.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a patre præhabitum, esset enim species hereditariæ successionis. Nihil tamen vetat quominus pater possit obtinere beneficium a filio præhabitum: quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo

obtenti, ut ex responsione sacr. congr. De syn. diœc. l. 13. cap. 24. n. 15. nov. edit.

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex decretis sacr. congregationis, partim ex Fagnano, ibid. n. 16.

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eumdem filium? Respondetur filio legitimo id quidem non prohiberi, ex cap. Ad extirpandas, de Fil. Presb. Illegitimis vero non licet, ut ex bulla Clementis VII. et responsis S. congr. ibid. n. 18.

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis sanctæ congregationis, et rotali decisione. Ib. n. 69.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, et omnes ad patronatum jus habentes, illud amittunt, ex cap, In quibusdam, de Pœnis, ibid. n. 21.

Beneficii permutatio, quæ fit coram ordinariis, interdum potest esse prohibita constitutione S. Pii V. incipiente, *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ: ex quo fit, ut, cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium et familiarium episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam conseantur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et sit jam effœtæ ætatis, cum altero, quod est tenue, et obtinetur sive a suis, sive ab episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones. De syn. diœc, l. 13. c. 24. n. 10. nov. edit.

Beneficia obtinentes a S. R. E. cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus S. sedi reservatis valorem 24. ducatorum cameræ excedentia, tenentur intra præfixum in reg. cancellariæ tempus novam eorumdem provisionem a sede apost. obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio. Motus prop. Benedicti XIV. Bullar. tom. 1. n. 12.

BULLA CRUCIATÆ.

Facultas concessa in bulla *Cruciatæ* de absolutione a censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex constitutione Urbani VIII. eruitur; quare constitutiones hispanicæ aliter statuentes rejiciendæ sunt. De Syn. Diœc. l. 7. cap. 65. n. 7. lib. 12. c. 1. n. 7. nov. edit.

CADAVER.

In sectione cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonif. VIII. de qua in cap. 1. de Sepulchris, cum illa feratur tantum in eos qui exhumantes cadavera, ea lacerant, et alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu DD. Instit. Eccles. 74. num. 10.

Si instituta processione, et præcedente cruce associandum sit cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum: quin et leges illæ a jure canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur. Instit. Eccles. 89. n. 9.

Si cadaver tumulandum sit in ecclesia regularium, non potest parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in ecclesia regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit sacr. congr. concilii. Inst. Eccl. 105. n. 25.

Ex decretis sacr. congreg. concilii firmatum est non esse levandum cadaver e domo absque præsentia ac facultate parochi loci, ubi domus sita est, ibid.

Cum distinguitur ecclesia tumulans a parochiali, processio funebris debet incedere sub cruce ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine parochus propriam crucem levare, nisi in casu quo interveniat capitulum cathedralis, tunc cathedralis crux sola præcedit. Ita ex decretis sacr. congregationis, ibid. n. 26.

Societates funus comitantes si procedant cum sacco tenent locum ante feretrum, et ante clerum tam secu-

larem quam regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis cleri romani. Ibid. n. 30. 31.

Laici regulares non debent comparere cum capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. Ibid. n. 39. At, si invitatus sit conventus regularis, qui certe constat ex laicis, conversis, et sacerdotibus, excludendi non sunt. Ibid.

Regulares cogi non possunt ut associent pompam funebrem, cum cadaver in eorum ecclesia sepeliendum est; sed possunt ad januas ecclesiæ suæ expectare. Ita ex decis. sacræ congreg. Ibid. num. 38.

Si quis habitator urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in ecclesia rurali, sed in sua parœcia, vel in ecclesia ubi sita est sepultura majorum ipsius, ut decisum cap. Is qui, de Sepulturis in 6. dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere si obitus accidat in loco ultra tria millaria distante a parœcia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo qui ruri habitans in civitate decedat, ibid.

Cum rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce a clero delata, et associantibus geminis sacerdotibus, altero ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte parochi illius loci, ubi mors accidit, ibid. n. 46.

In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis, gabella minime solvenda est, ut ex DD. ib. n. 46.

Pro transitu processionis funebris ex una parœcia in aliam nulla petenda est licentia a parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex bulla Leonis X. 22. et decretis S. congregationis firmatur, ibid. n. 49.

Pro sepultura, et exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris canonibus firmum est. Inst. Eccl. 105. n. 58. Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quanquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium ordinarii, ut est in textu, cap. Ad audientiam 24. de Simonia, ibid. n. 58.

CÆCUS.

Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium ecclesiasticum, ut ex decreto S. congregationis in una Pampilonensi die 28. martii 1735. Inst. Eccl. 34. n. 5.

Si tamen ordinato jam sacerdoti accidat ut oculorum lumen amittat, non tamen ita ut nihil videat, datur illi a sanct. congreg. facultas celebrandi diebus quidem festis, et duplicibus, missam B. Virginis votivam, ferialibus defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim ac cæcum penitus evasisse comperint, ibidem.

CAMBIUM.

Cambium locale, et per literas, quando revera literæ mittuntur, vel transmittitur in alio loco pecunia eo modo quo apud theologos describitur, admittitur a Pontifice in tractatu De synod. diœc. l. 7. c. 48. n. 7. l. 10. c. 5. n. 7. nov. edit.

Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantumdem pecuniæ, quantum mutuo accepit a cambista, in favorem ipsius cambistæ, vel eidem cambistæ dat facultatem ut nomine suo accipiat, sive a seipso, sive ab alio, tantumdem pecuniæ quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum, atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii: hoc, inquam, cambium, quamvis non reprobetur a nonnullis, revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est, ibid. n. 9. 10. Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantundem pecuniæ, quantum a cambista mutui nomine recepit; tunc vero quidquid lucratur, vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia cambistæ intererat ut fieret. Id etiam perinde ac prius a Pontifice reprobatur, ibidem.

Hæc omnia cambia, quamvis per se saltem quoad nonnulla licita laicis, interdicta esse clericis canones magno consensu demonstrant, et evincunt, ibid. cap. 49. n. 11. lib. 10. cap. 6. n. 1. nov. edit.

CANONICI REGULARES.

Canonici regulares, quanquam sunt capaces beneficii curati ex textu cap. Quod Dei timorem, de Statu Monachorum, non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decr. S. C. conc. approbatis a Greg. XIII. firmatur. Inst. Eccl. 97. n. 2. Sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum. Ibid. n. 5.

Nec possunt parochias laicas recipere cum sola licentia abbatis generalis, sed requiritur facultas summi Pontificis. Ibidem num. 5.

Canonici regulares ex sola facultate superioris sive abbatis generalis, non possunt curam animarum in ecclesiis secularium assumere et exercere; sicuti neque ad canonicatus, præbendas, dignitates, neque ad alia officia aut beneficia residentialia in ecclesiis secularibus obtinenda assumi, et propter hoc ex religiosis claustris exire. Sunt etiam incapaces beneficii ecclesiastici secularis sive simplicis sive residentialis, sicut etiam pensionum ecclesiasticarum. Ita in bulla *Quod inscrutabili* 135. Bullar. tom. 1. Quare exigunt ad hæc obtinenda facultatem sedis apost. Si vero de sedis apost. facultate beneficium aliquod simplex obtinuerunt, non ideo tamen facultatem habent e claustro religionis suæ exeundi. Id vero quod hic statutum est, intelligitur pariter de canonicis sanctissimi Salvatoris.

Si quis vero ex illis extra concursum a patrono beneficii ecclesiastici, quod habeat curam animarum, adnexam, nominatus fuerit, hæc nominatio fieri debet cum expressa præservatione beneplaciti apostolici. Ultra quod a nominato debeat acceptari nominatio cum clausula de obtinendo beneplacito superioris generalis sui ordinis. Quid vero respectu illorum servandum sit, in voce *Concursus* adnotavi, ibid.

In eadem bulla declarat Benedictus canonicos illos, quibus sic provisum de beneficio residentiali absolutos esse ab obligatione deferendi vestem sui ordinis. Monet tamen non ideo exemptos esse ab onere servandi vota in iis, quæ conjungi possunt cum novo suo statu. Cum vero cura pastoralis, et canonicatus sit incompossibilis cum actuali obedientia præstanda superiori regulari, ideo declarat num. 27. non posse cogi ab iisdem superioribus ut ad religionis claustra redeant; posse

tamen episcopum, cui submittuntur, legitima ex causa privare illos per sententiam illo beneficio, seu declarare perpetuo suspensos ex inhabilitate. Tunc autem declaret teneri eos ad claustra redire, sicut et num. 28. ad redeundum obligat eosdem beneficiarios, si beneficio renuntient. Ceterum, num. 28. etiamsi habeant coadjutorem, vel impetraverint jubilationem, cum tunc teneantur residere in loco parochiæ aut canonicatus, ideo ad claustra redire in eo casu nequaquam tenentur.

CANONICI.

Canonici cathedralis non emittentes professionem fidei ex præscripto S. conc. Trid. non *faciunt fructus suos*, fructus tamen præbendæ, non vero distributionum, uti sæpe respondit S. C. Instit. Eccles. 60. n. 11. Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex synodo Farfensi firmatur. Inst. Eccl. 57. num. 15.

Professio fidei a canonicis emittenda ex constitutione Pii IV. non obligat canonicos aliarum collegiatarum, sed cathedralium tantummodo. Institut. Eccles. num. I. ex pluribus decretis sacræ congregationis.

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non vero per procuratorem, ut ex decreto S. congr. ib. n. 3. quod adeo verum est, ut, si quis Romæ existens obtinuerit facultatem, professionem hanc emittendi coram cardinali vicario, teneatur illam repetere coram ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. Ibid. n. 3.

Canonici et beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere, canonici vero cathedralium vel collegiatarum præstare id in choro teneantur, Inst. Eccl. 107. n. 7.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in choro, adjungentes sese eidem choro: nec sufficit si tantum assistant, alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium apostolicum non præsumtum, nec abrogatum. Ita in encyclica ad episcopos Italiæ, *Cum semper*, Bull. tom. 1. n. 103.

Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare, et associare cantum horarum canonicarum,

nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. C. Trid. sess. 24. c. 12. de Reform. evincitur. Instit. Eccles. 107. n. 16. Idcirco tenentur canonici, et alii addicti choro, cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. congr. in causa Murana mansionariæ die 13. novembris 1735. a secretario ejusdem congregationis demonstatur. Instit. Eccles. 107. n. 16.

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes *divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia,* sed ut censuit S. C. non est sublata capitularibus facultas *sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem servitiq adscripti non sint.* Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi canonici qui extra civitatem vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest, nisi canonicus, vel mansionarius, non vero coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis S. congr. ibid. n. 17. 18.

Si chorus ecclesiæ efficiatur incommodus, puta hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua capella ejusdem ecclesiæ, ut ex decreto S. congr. ib. n. 19.

In ordine ad recitationem horarum præfertur illa sententia, quæ docet eos, qui horis admiscent jocos, risus, et cachinnos, et cetera, et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri, ibid. n. 25.

In decretali *Dolentes* de Celebr. Miss. pœna in eos qui his similia agunt, suspensio indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III. in cap. 3. de Vita, et Honest. Clericor. inserto quintæ compilationi decretalium editæ a Cironio, ibid. n. 29.

Mos non mulctandi canonicos, nisi cum supervenerint in choro post absolutum primum nocturnum cum lectionibus, vel post sex priores psalmos in matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a S. C. conc. in Interramnensi visitationis die 24. maii ann. 1674, ibid n. 23.

Quanquam in choro teneantur recitare semel in hebdomada officium defunctorum; extra chorum tamen non tenentur, quod etiam de officio B. M. Virginis, psalmis pœnitentialibus, et gradualibus definivit S. Pius V. in sua const. 64. Inst. Eccles. 107. n. 9.

Missa conventualis, quanquam non veniat nomine

horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii; quare, si cathedralis, et collegiatarum canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem missæ, ibid. n. 11.

Immemorialis cousuetudo non excusat canonicos cathedralium, et collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus, et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt reditus, ut canonici aliunde non habentes unde vivant, non habeant. Inst. Eccles. 107. n. 2. ex decreto S. congr.

Absentia a choro per tres menses non intelligitur permissa a Trident. si Ecclesiæ constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in decreto. S. C. Inst. Eccl. 107. n. 31. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. C. in suo decreto, ibidem.

Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia episcopi, si tamen intra diœcesim consistant: requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab episcopo negari; ita ex decreto S. congr. ibid. n. 36.

Canonici vigore trimestris a conc. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno, et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore quadragesimæ et adventus, et in festis solemnioribus. Ita ex decreto S. congreg. Ibid. n. 34.

Pro absentibus habentur, qui absunt ab ecclesiæ servitio tot vicibus ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex decr. S. C. ib. n. 32. Hinc. S. congregatio in aliis decretis, ibid n. 33. relatis decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem S. congregatio illos qui calculum conficiebant ab hora in horam, et non a die in diem. Ibid.

Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributionis quotidianas, nisi concessæ sint illis, constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante conc. Trid. Ita ex decreto sanctæ congregationis, ibidem.

Canonici qui abfuerint ultra trimestre, non sunt citandi ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a curatis non residentibus, qui ex concilii præscripto citandi vel admonendi sunt ut contra illos proce-

datur. Vocandi sunt igitur canonici ut deducant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum S. concilii. Ita ex decreto S. C. Ibid. n. 37.

Porro, ut tunc procedatur ad privationem canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses; iisque elapsis si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex decr. S. C. ibidem.

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem cap. ex tuæ, de Cleric. non Resid. Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex decr. S. C. ibid. n. 38.

Quoad distributiones conc. Trid. sess. 31. c. 3. de Ref. mandat ut separetur e missa capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis assistentes. Addit vero idem concilium, quod si dignitates et personatus Ecclesiarum parochialium et collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiotes, quæ applicentur fabricæ ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio ordinarii. Quod postremum intelligitur de dignitatibus redditus suos habentibus a mensa capitulari discretis; nam illæ quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt; sed quæ accrescunt præsentibus. Inst. Eccl. 107. n. 41.

Vetat insuper sacrum concilium sess. 24, cap. 12. de Ref. ne chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis qui non interfuerint, cui decreto insistens S. C. conc. semper negavit valere istas condonationes, ibid. n. 42.

Hoc tamen non obstante, fas est episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. C. ibid. n. 44.

Ceterum, cum sacrum concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat; hinc S. C. censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin, et si quis discedens a civitate sanus proponens reditum ad civitatem

post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate, ut ex decreto S. C. ibid. n. 46.

Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam, si quis, cum sanitate valebat, interesse negligebat; tunc, etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. C. ibid. num. 47.

Accidere tamen posset ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse choro ei non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. C. Ibid. num. 48.

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solum ex ea qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. C. ibid.

Quin, nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in collegiata, eadem S. C. alio decreto senset, ibidem.

Quando pestis grassatur (quod judicium episcopo remittitur), canonici qui se absentant ab urbe, vel oppido, distributiones lucrantur, ut ex decr. S. C. ibid. n. 50.

Nec privantur etiam qui, assueti alias interesse choro, vexationibus injustis coacti se e loco seducunt, ut ex decreto S. C. ibid. num. 51.

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit: nam, si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est: quæ omnia ex decretis S. C. ibid. num. 52.

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam, sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens, ac tandem ea qua absolvitur cum clausula *non molestetur.* Non vero ea, qua absolvitur cum *ex quo satis.* Hæc omnia ex decretis S. C. ibid. n. 53.

Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifac. VIII. in cap. unic De Cleric. non Resid. in Sexto. Quare absens a choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. congr. ibid. n. 8.

Itaque canonicus theologus, qua die legit, potest non

amissis distributionibus a choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit sacr. congr. ibid. n. 55.

Hinc etiam canonicus pœnitentiarius, vel alius canonicus ab episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit confessiones tuto abest a choro, et distributiones obtinet, ut pluries censuit S. C. ib. n. 55. Si vero absit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit, ut ex aliis decr. S. C. ibid.

Lucratur etiam fructus præbendæ, non vero distributionum, etsi absens, ille qui habet canonicatui suo adnexam, sed extra civtiatem, curam animarum; tenetur enim in parœcia residere pro eo tempore, quo in parochiali ecclesia residet, et sacramenta administrat. Ita ex conc. Trident. sess. 22. cap. 3. de Reform. addita bulla 65. sancti Pii V.

Qui vero habet curam animarum in ea ecclesia, in qua est canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, que spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet. Ibid. n. 56.

Fas est episcopo servitiis suis adjungere saltem geminos canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum; attamen non potest seligere canonicum, seu dignitatem, neque etiam coadjutorem. Hos vero lucrari fructus præbendæ, non vero distributiones constat. Ita ex pluribus decr. S. C. ibid. n. 57. 58.

Canonici, quos episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit S. congreg. ibid. n. 59.

At, si illum comitentur in visitatione diœcesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertia amissa, quæ inservientibus accrescit. Ita ex decr. S. C. ibid. n. 59.

Ex lege conc. Trid. sess. 24. cap. 12. possunt cogi canonici ad *episcopo celebranti, vel alia Pontificalia exercenti, assistendum et inserviendum.* Porro ex decr. S. C. discimus, episcopo in cathedrali celebranti in pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus subdiaconi, quod verum est etiamsi episcopus celebret, seu ordines ministret extra cathedralem, intra diœcesim, et suburbia; tenentur enim etiam tunc præstare munus diaconi, subdiaconi, presbyteri assistentis, et duorum illorum canonicorum, qui

episcopo ordines ministranti cum archidiacono adsunt. Ita ex pluribus decr. S. C. ibid. n. 60.

Porro, hæc assistentia locum habet etiam cum episcopus in sua cathedrali præsens est missæ, et divinis officiis diebus dominicis et festis etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando episcopus in aliis ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali, et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et missæ solemni, alia pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat. Ita ex decr. S. congr. ibid.

Valent etiam hæc dum episcopus in ecclesia cathedrali adest concioni diebus quadragesimæ, et aliis intra annum: non vero, si cum cappa assistit concioni quæ habetur in aliis ecclesiis civitatis, etiam exemptis, ibid. n. 60.

In his omnibus rerum circumstantiis canonici, qui episcopo inserviunt, si actu debeant choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non vero episcopo diœcesim visitanti, vel missam privatam celebranti, ibid. n. 61.

Animadvertendum est canonicos non præsentes, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes, ut ex decret. S. C. Ibid. n. 62.

Demum distributiones quotidianas obtinent canonici, et beneficiati, qui interdum intra annum intra domum religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia episcopi, non tamen si in adventu, quadragesima, et festis solemnibus id agunt, et ita agunt ut servitio chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex encyclica Clementis XI. ibid. n. 63.

Distributionibus etiam quotidianis non privantur canonici, et mansionarii emeriti, sive si coadjutorem habeant. Ib. Debent tamen indultum hoc obtinuisse a S. C. vi cujus nec loci residentia adstringuntur. Quanquam possunt ab episcopo compelli ad assistendum choro, si cultus divinus detrimentum patiatur. Ita ex decretis S. congreg. ibid. n. 64.

Porro, si coadjutor sive intra civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur coadjutus assistere choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino de-

bentur, etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt, ibid. n. 65.

Distributionibus privatur vicarius generalis episcopi, canonicus examinator, quique in tribunali S. officii munus suum præbet, ministri camerales, scilicet subcollectores spoliorum, et decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique, nec magistri juris canonici et sacræ theologiæ in publicis universitatibus docentes: qui tamen si recurrerint ad sacr. congreg. obtinent fructus præbendæ; et, si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis universitatibus adsunt ibid. n. 72.

Absentes vero causa studii ex decr. Innoc. XII. si indultum sibi concessum non exhibuerint ordinario loci, et in actis cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est ac si non adfuissent, ibid.

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii, ibid.

Studium vero præstari debet in publica universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo lector privatam lectionem habet, et non in aula publicæ universitatis, ut ex decr. S. C. ibid.

Si eo tempore, quo officia persolvuntur in choro, capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, canonici non possunt absentare sese absque substractione distributionum pro eo tempore quo absunt, ut ex decr. S. C. ibid. n. 73.

Nec etiam deserere possunt chorum, ut missas celebrent, vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit; monetur tamen superior, ut ab his jussionibus abstineat, in decr. S. C. anni 1753. ibid. n. 74.

Dignitatem novam in cathedrali ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo summus Pontifex, ut pluries decisum in S. congreg. concilii notatur. Tract. De syn. diœc. lib. 7. cap. 73. n. 8. l. 12. c. 1. n. 8. nov. edit.

Pro canonicatu theologali concursus indicendus est, ex bulla Bened. XIII. *Pastoralis officii*, ejus tamen collatio pertinet ad Pontificem ex can. Ad regimen, de Præb. Concursus iste indicendus est ab episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in theologia licentiati, sive seculares, sive regulares: nec requi-

runtur synodales. Concurrentes debent esse doctores in sacra theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad romanum Pontificem, a quo dignior eligetur, ut in eadem bulla, et Inst. Eccl. 57. num. 4.

Nec sufficit laurea canonica ex responso S. C. instit. Eccl. 57. num. 4.

Nec sufficit etiam si hæc laurea sit recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in universitate approbata, quod commume est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex bullà 70. Pii V. ibid. n. 5.

Theologus canonicus satisfacit suo muneri, sive legat sacram Scripturam, sive Theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit S. C. ibid. n. 6. non tamen, si legat Theologiam moralem, ut ib. n. 7.

Ex præbenda theologali segreganda est tertia pars, ex cujus reditibus data proportione solvenda est sua portio sacristiæ metropolitanæ, respondens diebus quibus canonicus deesset suo muneri, ibidem.

CAPITULUM

63

Capitulum ecclesiæ cathedralis præcedere debet capitulo collegiatæ, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definivit rota decis. 9. post Murgam ad constit. apost. De syn. diœc. lib. 7. cap. 65. n. 2. l. 12. c. 1. num. 2. nov. edit.

Capitulum cathedralis ecclesiæ ad synodum ab episcopo indictam invitandum est ; teneturque episcopus de constitutionibus in eadem synodo condendis, ejusdem capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, et constitutiones suas inconsulto capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. De syn. diœc. l. 8. c. 1. per totum, et n. 15. et 16. nov. edit.

Capitulum cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus synodalibus, in iis quæ versantur circa morum, et disciplinæ reforma-

tionem, ita declarante S. C. De syn. diœc. l. 4. c. 8. n. 7. l. 13. c. 4. nov. edit.

Exemptio capituli cathedralis in eo præcipue sita est, ut episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem canonicorum sine duobus de capitulo adjunctis ad normam Tridentini sess. 25. cap. 6. de Reform. quamvis episcopus sine adjunctis de capitulo potest illud visitare ex Trid. sess. 6. cap. 4. de Reform. D syn. diœc. l. 8. c. 4. n. 8. et l. 13. c. 9. nov. edit.

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, et compositiones delinquentium, ut sæpius a S C. decisum est. De syn. diœc. lib. 10. n. 4. nov. edit.

CAPUCCINI.

Capuccinis vetitum erat ex constitutione quadam sui capituli generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui ordinis confessario, etiamsi longe abessent a monasteriis sui ordinis; verum Bnedict. XIV. die 30. martii 1742. facultatem fecit singulis eorum sacerdotibus, et laicis longe a suis monasteriis versantibus, ut possent cuicumque sacerdoti seculari a suo ordinario approbato, vel regulari a suo pariter superiore approbato peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere; etiam a casibus et censuris in suo ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint coram superiore se sistant, et novam ab illis casibus, et censuris absolutionem obtineant. Ita ex constitut. Benedicti XIV. die 30. martii 1742.

CASUS RESERVATI.

Societates quædam ex vi suorum privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi confessarium, a quo a casibus episcopo reservatis, sine episcopi licentia, absolvantur, ut præter decisiones congr. ferunt literæ Benedicti XIV. incipientes Pia Christi fidelium, relatæ De synod. diœc. lib. 5. n. 9. nov. edit.

Denique accedentes in fraudem ad aliam diœcesim,

ut absolvantur a reservatis suæ diœcesis, absolvi non possunt ex bulla Clementis X. *Superne magni.* ibid.

Canonicus pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi a peccatis episcopo reservatis, ut a S. C. concilii decisum refertur, ibid. n. 8.

CAUSARUM COGNITIO.

Causæ omnes tam civiles, quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscendæ sunt, causis privilegiatis exceptis: neque committi possunt etiam auditori cameræ apostolicæ nisi per viam legitimæ appellationis: si autem pendentibus causis in prima instantia, impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæc quidem valent ad comparendum, vel adeundam signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora. Bull. t. 1. constit. 48. *Ad militantis*, n. 42. et seq.

Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud sedem apostolicam sive in petitorio, sive in possessorio est locus sequestrationi fructuum, Clement. unic. De sequestr. possess. et fruct. neque aliter statui potest in synodis particularium Ecclesiarum. Ita in tractat. De synod. diœc. l. 12. c. 1. num. 3.

Causæ omnes etiam civiles et de re etiam profana, in quibus ecclesiastici tanquam rei conveniuntur semper, cognoscendæ sunt in foro ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii episcopi, nec etiam de episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad curiam romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a sacr. C. conc. in Instit. Eccles. 40. n. 3.

Si vero clericus laicum convenerit pro repetendis rebus ecclesiæ suæ, quanquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad judicem secularem, tamen, si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad forum ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque ex consuetudine decidendum erit: quanquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia episcopi potest causa ista agitari

coram judice laico, ibid. n. 5, ut ex decr. S. congr. episcoporum regularium confirmatis Brevi Pauli V. die 9. martii 1617. ibid n. 5.

CENSURA.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio, et interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviori culpa, adeo ut suspensio a divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne valide quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. De syn. diœc. l. 7. c. 44. n. 3. quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, et ferendæ sententiæ, n. 5. ibid. l. 10. c. 1. n. 2. nov. edit.

Verum tamen prudenter ab episcopis interdum sub pœna ex communicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit constitutionem suam, qua vetuit ne dispensati in quadragesima a comestione carnium, pisces degustent. De syn. diœc. l. 7. toto c. 46. ibid. n. 3.

Censuræ ab homine latæ a nemine tolli possunt nisi ab eo a quo latæ sunt, vel ab ejus superiore, si agnoscantur injustæ, Inst. Eccl. 55. n. 11. adeo ut neque summus pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio ordinariorum turbetur, ibid.

CENSUS.

Census realis licitus est, et immunis ab usura; nam venditur et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De syn. diœc. l. 7. c. 48. n. 54. l. 10. c. 5. n. 4. nov. edit.

Census vero personalis dubium est num de sua natura sit usurarius necne. Constat tamen vetitum esse ex constitutione Pii V. in qua constituuntur census conditiones, ib. n. 4. Vid. ib. n. 68. ibid. nov. edit.

Num conditiones illæ, quoad ea quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine

legitime præscripta cesserint obligare apud quasdam nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V. concessit non obligare, ut ex Gottierez, ib. n. 5. et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur ib. Monet tamen Pontifex etiam in iis diœcesibus, in quibus piana constitutio non viget, ut a censibus personalibus, præsertim utrinque redimibilibus abstineatur, ibidem num. 6. nov. edit. n. 5.

CHOREÆ.

Choreæ quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Inst. Eccles. 76. n. 6.

Choreas vero a clericis non sine peccato gravi agi posse theologi plerique asserunt, ut firmatur Instit. Eccles. 76. n. 7. Quin et prohiberi possunt ab episcopis clerici omnes, ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt decr. S. C. relati, Inst. Eccles. 76. n. 8.

CHRISMA.

Ex can. Si quis de alio, de Consecr. dist. 4. colligitur vetitum esse parochis aliud chrisma quam ab episcopo suo consecratum adhibere, Inst. Eccl. 81. n. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino, ibid.

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad extremam unctionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist. 4. de Consecrat. colligunt doctores, ibid. n. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quam consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur, ibid. n. 4.

Cum fontes die sabbati sancti a parochis benedicuntur, præstaret nova chrismate ab episcopo feria V.

in cœna Domini ejus anni bendicto ritum peragere, ib. n. 5.

Ex jure communi can. Omni tempore, dist. 4. de Consecr. non licet deferre sacra olea nisi subdiaconis, vel diaconis, vel sacerdotibus, ib. n. 6.

Episcopi latini infantes græcos a presbyteris græcis in Italia et insulis abjacentibus confirmatos absolute confirment; nulla enim a Pontificibus data illis facultas est, ut confirment, adeoque illud egerunt invalide. Bulla *Etsi past.* n. 3. Bull. tom. 1. n. 57.

Qui confirmati sunt a simplici græco sacerdote invalide, in Italia et insulis adjacentibus non sunt cogendi, ut idem sacramentum ab episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: *monendi tamen sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt*, ibidem.

Græci ab episcopo græco-catholico, si haberi possit, confirmandi sunt, chrismate tamen a latinis episcopis accepto, ibid.

Presbyteri græco-catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab episcopis latinis diœcesanis, cum ipsi ex veteri ritu illa conficiant seu benedicant, excepto tamen chrismate, quod nonnisi ab episcopo etiam juxta eorum ritum benedici debet, non tamen olea ista accipere audeant ab episcopis græcis externis diversæ ab Ecclesia romana communionis. Quin nec accipiant ab alio episcopo latino seu græco-catholico, præterquam ab ordinario suo, si sit latinus, ibidem.

CLAUSURA.

Clausura virorum quoad eorum monasteria asseritur in bulla *Regularis disciplinæ*, Bull. tom. 1. num. 39. ex qua eruuntur sequentia:

Tanquam abusus declaratur ingressus promiscue virorum cum feminis intra septa, vel claustra monasterii sub prætextu comitandi solemnes supplicationes, quæ fiunt intra eadem septa cum SS. Eucharistiæ sacramento, sive cum sanctorum reliquiis etc.

Confirmantur constitutiones et sanctiones omnes romanorum Pontificum supra claustra monasteriorum. Denique revocantur quæcumque facultates dispen-

sandi quoad eamdem clausuram a quocumque, et quibuscumque concessæ.

Suum tamen jus asseritur iis concessionibus, quæ ad favorem sunt quarumcumque nobilium feminarum, eo quod eorum majores fundatores, seu insignes benefactores ejusdem monasterii extiterint, et de hac concessione confirmationem ab apostolica sede obtinuerint. Sicut etiam asseritur iis feminis, quæ sunt consanguineæ, et affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus loci ubi situm est monasterium, dummodo tamen apostolica concessio expedita sit in forma Brevis, vel sub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita sint loci illius ordinariis; dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de eorum adventu, et ingressu certiores antea fiant superiores etc.

Quoad monialium clausuram provisum est in bulla *salutare in catholica*, Bullar. tom. 1. n. 40. qua in constitutione hæc eontinentur.

Confirmantur constitutiones omnes antecedentium Pontificum sub pœnis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingressum, cuicumque et pro quocumque concessæ, et transgressores subjiciuntur iisdem pœnis, quibus subjacent violatores clausuræ monialium.

Suum tamen jus conceditur, quoad dispensationes ordinariis locorum, et aliis respective superioribus, qui jus obtinent dispensandi in casibus necessariis, et servatis de jure servandis.

Moniales post professionem neque etiam ad breve tempus exire possunt e monasterio, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda. Causæ autem sunt ex Extrav. Pii V. incip. *Decori* etc. incendium, lepra, et epidemia. Inst. Eccles. 85. n. 14.

In consecratione tamen ex præscripto Pontificalis Romani exire debent e clausura, et ingredi in ecclesiam senioribus matronis eas comitantibus, et statim ad clausuram redire, ibid. n. 30.

Denique, occasione consecrationis earundem monialium non licet episcopo ingredi in clausuram, nec multo magis licet id agere magistro cæremoniarum, et consanguineis consecrandarum virginum. Ita ex eodem decreto, ibid. n. 21.

Violantes clausuram monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentarum, non evitant

excommunicationem reservatam Pontifici; quam etiam incurrunt admittentes hujusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine etiam post concilium introducta. Ita ex alio decr. sacr. congr. ibid. n. 31.

Educandas puellas et famulas in clausuram monialium introduci quacumque ex causa vetat Pontifex sine authentica apostolicæ sedis licentia toties quoties impetranda, et prævio examine ordinariorum loci, ubi sita sunt monasteria, super moribus, fama, habilitate, necessitate, ipsarum educandarum seu famularum. Ita in literis ad episcopum portugaliensem Bullar. tom. 2. n. 26.

CLERICI.

Clericis omnibus vetari ab episcopo potest gestatio ficti capillitii; beneficiatis vero etiam in sacris non constitutis, sicut etiam ceteris sacris initiatis, fas est episcopo id prohibere etiam sub excommunicatione, uti ex pluribus decretis sacr. congr. De syn. diœc. 1. 7. c. 60. n. 5. 1. 11. c. 9. n. 4. n. e. et Inst. Eccl. 96. n. 5.

Sacerdotibus vero sacrum operantibus nunquam uti licet eo capillitio, nisi de licentia sacræ congregationis; nec enim sufficit episcopalis permissio, uti ex literis Innocentii XII. ad nuntios apostolicos, et episcopos datis, ibid. n. 5. nov. edit.

Sententia asserens omnem quamcumque venationem a sacris canonibus interdictam esse clericis, magis juri conformis est. De syn. diœc. 1. 7. c. 61. n. 88. 1. 11. c. 10. n. 8. n. e. Quare nimii rigoris damnandæ non sunt constitutiones illæ synodales episcoporum, quæ indicta pœna clericos ab omni venatione removent, ib. n. 8.

Sententia quorumdam asserens non fore reos lethalis criminis clericos comœdiis quantumvis turpibus assistentes: si hoc fiat citra scandalum, et probabile periculum lapsus, erronea, et scandalosa est. De syn. diœc. l. 7. c. 61. n. 12. l. 11. c. 10. n. 12. n. e.

Clerici non conjugati, beneficiati sine tonsura, et clericali veste incedentes non quidem gaudent beneficio fori, et canonis, ut ex Trident. sess. 25. c. 6. de Ref. sed longe probabilius gaudent aliis privilegiis

clericalibus, puta exemptione reali ab oneribus laicalibus, de quibus cap. Odoardus, De solut. cum Tridentinum non adimat illis nisi tantum privilegium fori et canonis, De syn. diœc. lib. 7. cap. 66. n. 2. l. 12. c. 2. num. 1. nov. edit. Quin etiam per legem Tridentini non privatur episcopus jurisdictione puniendi illos tanquam sibi subditos; neque enim lex Tridentini aliud operatur, nisi ut clericus delinquens forum seculare declinare nequeat. Ita decisum refertur a sacra congregatione apud Sperellum dec. 17. num. 33. 34. ibidem num. 4. Insuper ex alio decreto dato archiepiscopo neapolitano, jus est episcopo eosdem clericos delinquentes, quando neque a jure neque ab homine per declarationem sunt denudati privilegiis clericalibus, e manibus judicis laici repetere, ibid. Est autem hoc decisum quoad clericos conjugatos a S. C. immunitatis in causa alatrina jurisdictionis die 27, martii 1633. ib. n. 5.

Clericos post dimissionem clericalis vestis committentes delictum iterumque illam resumentes, si absque dolo ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat illis non suffragari, si egerint cum fraude. Cognoscere tamen de fraude non est judicis secularis, sed ecclesiastici. Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut judex laicus possit procedere realiter contra bona clerici, questio est inter doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censeretur ille, qui, post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem a judice seculari, fuga se, vel aliqua ratione subtraxit, tuncque clericalem vestem resumsit. De synod. diœc. lib. 7. cap. 67. n. 1. 2. l. 12. c. 3. n. 1. et 2. nov. edit.

Non potest episcopus generali constitutione cavere, ne clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia episcopi, ut decisum a sacr. congreg. refertur n. 3.

Ab hoc autem ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem ecclesiasticam et laicam, suadendum ut episcopus per edictum generale mandet clericis ut incedant in habitu et tonsura, ac deserviant alicui ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus ut pareant; contravenientes dein per sententiam declaret

eos propria culpa excidisse a juribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi transgressores illi neque resumta veste privilegio fori gaudent, ibid. n. 4.

Ecclesia cui inserviendum a clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab episcopo: si tamen alteri a designata inserviat, adhuc gaudet, ut a sacr. congr. decisum refertur, ibid. c. 69. n. 3. l. 12. c. 6. nov. edit.

Non incedentes in habitu et tonsura, præcedente admonitione, etiam per edictum suspenduntur ab ordinibus, officio, et fructibus beneficii ex Trid. sess. 14. c. 6. de Ref. Quin et ex bulla *Cum sacrosanctam* Sixti V. privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus, et beneficiis simplicibus, ac pensionibus. Ab his vero pœnis excipit in alia bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de camera. Quæ tamen postrema dispositio, cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris bullæ, quæ ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex sacra cong. firmatur, Inst. Eccl. 71. n. 12.

Clerici ab exercitio sui ordinis suspensi, si ab eo abstinuerint, esto absque prævia adsolutione ad altiorem ordinem transierint, quanquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt, quæ est magis communis sententia. De syn. diœc. l. 12. c. 3. n. 6, n. e.

Clericos, ne ad sacros et ulteriores ordines ascendant, prohibere potest episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere clericos a divinis, ut a sacra congregatione decisum traditur. De synod. diœc. l. 7. c. 71. n. 3. l. 12. c. 8. n. 3. nov. edit. quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem sedi-apostolicæ exponere, ut ex responso sacr. C. traditur, ibidem n. 4. Ex quo fit, ut, etsi reus appellationem interposuerit, si interim ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat, ibid. n. 5.

Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem theologiæ moralis præmittere tenentur, ita enim intelligenda est sanctio Trident. sess. 23. c. 14. injungens ut ordinandi *ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda*

sacramenta idonei comprobentur; atque hoc injunctum est a Bened. XIII. confirmando bullam *Apostolici ministerii*, datam pro reformatione cleri Hispaniæ, et tanquam normam pro aliis episcopalibus, Inst. Eccl. 2. n. 4. et. 5.

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim episcopis Italiæ et insularum adjacentium mandavit in encyclica Innoc. XI. et innovavit alia encyclica Clemens XII. Inst. Eccles. 104. n. 5.

Non debet episcopus præcipere ut clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus subdiaconatus etc. ad sacros ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum clericorum, qui otio, et vitiis se dedunt; id enim ecclesiasticæ disciplinæ repugnat. De syn. diœc. lib. 12. cap. 4. n. 2. nov. edit. Id tamen verum est, si quidem clerici nullum beneficium ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem beneficium, sed non ex illis quibus adnexum est onus suscipiendi sacros ordines, ibid. n. 3. Qui enim obligationem beneficio suo adnexam neglexerunt, beneficio privantur, ex Trid. cap. 12. sess. 24. de Ref. nisi tamen justo impedimento excusari possint, ibid. n. 6. saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ, ibid. num. 7.

Sacerdotum penuria non satis est causæ ut clerici illiterati ad sacros ordines promoveantur, ut a sacr. C. concilii decisum refert Fagnanus in cap. Quæris n. 18. De Ætat. et Qualit. præficiend.

Clerico interdictum est ex constitutione sancti Pii V. *Qui ordini*, ne quid in testamento relinquat filiis suis illegitimis, eorumque filiis, ac descendentibus, consanguineis, et affinibus, sive ex redditibus ex bonis ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit quominus alimenta filiis illegitimis debeantur etiam ex redditibus ecclesiasticis. Cum vero vetatur legatum in favorem consanguineorum ejusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta ejus consanguineis per quemdam circuitum cedant in commodum ejusdem filii illegitimi. De syn. diœc. l. 13. c. 24. n. 21. nov. edit.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Consuetudo contraria decretis sacri conc. Trid. non est attendenda, quia in bulla Pii IV. quæ legitur in fine ejusdem concilii, legitur decretum irritans ea omnia quæ obstent eidem sacro concilio, ex quo sit, ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis capitulis ejusdem. Inst. Eccles. 60. n. 7.

Cum in sanctionibus concilii additur: *salva semper auctoritate sedis apostolicæ*, quæ verba semper addita voluit idem concilium sess. 25. cap. final. cum de reformatione morum, et ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus a romano Pontifice concessis semper intelligitur derogatum sanctioni ejus concilii, etiamsi hæc derogatio non exprimatur, juxta ac definivit Pius V. in suo Motu proprio aput Garciam de Benef. part. 4. c. 5. n. 32. et 33. et censuit sacr. congr. conc. De syn diœc. cap. 24. n. 33. nov. edit.

CONCIO.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita. Innoc. XII. in sua constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniæ, quam Bened. XIII. confirmavit ut esset norma ceteris ordinandis. Inst. Eccl. 10. n. 3. Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit S. C. die 8. augusti ann. 1732.

Concionatores regulares tenentur petere ab episcopo benedictionem, etsi velint in ecclesia sui ordinis conciones habere, ex bulla Clementis X. suprema, Inst. Eecl. 27 n. 8. In alienis vero Ecclesiis licentia, et benedictio episcopi etiam regularibus requiritur ex Tridentino sess. 5. cap. 2. ibid.

Interdici potest regularibus prædicatio etiam in suis ecclesiis facta eo tempore, quo episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia ecclesia. De syn. diœc. lib. 7. cap. 43. n. 7. tom. 2. p. 475. nov. edit.

Si vero episcopus coram se prædicare faciat, seu prædicationes etiam in sua ecclesia audiat pro consueto more adventus, et quadragesimæ, prohibere non

potest regulares, ne eodem tempore in suis ecclesiis prædicent. Nequeunt vero, prohibente episcopo, prædicare eo tempore quo episcopus ex publica causa convocatis clero, magistratu, et populo coram se prædicari facit, quod ex Clementina *Dudum de sepulturis* eruitur. De syn. diœc. lib. 7. c. 43. n. 7. t. 2. p. 477. nov. edit.

Concionem proprii parochi, quam in parochiali ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contrario modo consuetudo abrogavit. De synod. diœces. lib. 7. cap. 64. num. 13. t. 3. p. 170. nov. edit.

Concionatores si per scurrilitatem *verbum Dei, veluti in scenam adducant, non levem culpam* admittunt, *sed grande piaculum;* ita ex verbis encyclicæ sacr. congr. conc. sub Innoc. XI. datæ 6. julii 1680. Inst. Eccl. 27. n. 15.

CONCURSUS.

In concursu ad parochialem, si collatio pertinet ad episcopum, judicium de digniori ex approbatis ab examinatoribus pertinet ad illum: si vero beneficium sit patronatus ecclesiastici, tunc prælatio ad patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab examinatoribus deputatis approbandum, sed sine concursu, patronus debet eligere. Si tamen in patronatu laicali plures sint patroni, et a singulis suus præsentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio: tunc concursus instituendus est, et ad episcopum pertinet præelectio inter approbatos, ut ex decreto S. C. apud Barbosam, De syn. diœc. l. 4. c. 8. n. 8. et 9. t. 1. p. 298. nov. edit.

Sede vacante in concursibus electio est vicarii capitularis, nam ad illum tota jurisdictio capituli devolvitur, n. 10.

In concursu examinatores tenentur judices esse non tantum doctrinæ, sed et ceterarum dotum, quæ necessariæ sunt ad parochiale officium. Ita Pontifex in bulla *Cum illud*, Bull. tom. 1. n. 68. In concursu habendo hæc servanda, ibid.

Habita notitia vacationis ecclesiæ, episcosus vica-

rium deputet cum emolumento ejus arbitrio assignando.

Episcopus publicet edictum concursus, præfinito tempore ejus habendi, intra quod tempus concurrentes deferant personæ ab episcopo deputandæ suarum qualitatum meritorum, et munerum documenta sincera, sive judicialia; quæ eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta, summa eorum documentorum a cancellario episcopali confecta tradatur illi qui concursui præest, et singilatim omnibus examinatoribus. Tum habeatur concursus assignatis singulis concurrentibus iisdem quæstionibus, eodemque Evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes præscribant. Hæc omnia dictentur omnibus eodem pariter tempore, et in eodem conclavi clausis: assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa scribat tum cancellarius concursus, tum superior, qni preæst, ac demum examinatores singuli.

Tenentur etiam ab examinatoribus, explorari concurrentes, qua peritia polleant in lingua latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis patribus, sive de concilio Tridentino, aut Catechismo Romano, quod oretenus fieri potest.

Responsa ita subscripta etiam ab examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradantur cancellario custodienda, penes acta secreta nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit a mala relatione examinatorum, vel irrationabili judicio episcopi, coram judice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat tam respectu doctrinæ, quam morum.

Si in casu dictæ appellationis episcopus censeat significandum judici appellationis secretam causam, ob quam motus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam judici etiam per literas significare.

Quod si episcopo suscepta sit fides judicis de secreto illo prodendo, literis suis eadem deferat S. congr. concilii præfecto.

Judex appellationis, quando appellatio fit a malo judicio episcopi, seu mala relatione examinatorum, cog-

noscere debet non solum de doctrina, sed etiam de ceteris dotibus electi ab episcopo.

Si judicis appellationis sententia conformis sit electioni episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est: secus vero si acciderit, licet præelecto episcopali, secundo, et tertio appellare. Demum cui duæ conformes assistunt sententiæ, ille victor habeatur.

Si vero beneficium curatum, dignitas, et canonicatus a sede apostolica conferendum sit, tunc concursus, non expectata ulla Pontificis venia, ab episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, et reservatum sit tantummodo ratione mensium, episcopus eligat magis idoneum, et illum datariæ significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenetur transferre. Vicissim transferat illa, et suspendat a ferendo judicio, si reservatio ex alio quovis capite sit. Licebit tamen episcopo denuntiare illum, quem credit magis idoneum fore beneficio, sicut et si alicui occulta aliqua causa obsit, ne beneficium obtineat, ibidem.

CONFESSARIUS.

Confessarii temere interrogantes pœnitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiæ ferendæ incurrunt, peccant graviter, et sunt denuntiandi, si agnosci possit illos hanc sibi praxim tanquam licitam statuisse. Sicut etiam denuntiandi sunt. qui id licere docent. Ita Bened. XIV. in constitutione *Ad eradicandum* etc. ibi etiam additur pœnitentes illos, quos ad prodendum nomina complicum confessarius adegerit, non teneri ad denuntiandum eosdem confessarios, id agentes ex quadam imprudentia, ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii pœnitentes suos ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem pœnitente, quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi confessarius sit simplex sacerdos, et jurisdictione careat;

Etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens non consenserit;

Etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum jam effluxerit;

Etiamsi sollicitatio fiat a confessario non pro se, sed pro alio.

Confessarii caveant ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denuntiaturos quamprimum poterunt. Ita in bulla *Sacramentum pœnitentiæ*. Bull. t. 1. n. 20.

Confessarius caret omni auctoritate et jurisdictione absolvendi socium criminis turpis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem summo Pontifici reservatam; quæ absolutio socii criminis neve in ipso jubilæo, vel privilegio bullæ *Cruciatæ* impendi valet, ibidem.

In mortis vero articulo si adsit quicumque alius sacerdos, qui præsenti necessitati provideat, et confessarius socius criminis nihilominus pœnitenti alias disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at confessarius lethaliter peccat, et excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere confessarius nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius sacerdos saltem simplex, qui impertiri eamdem absolutionem possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam, ad hoc ut ipse se subtrahat, et alium, si fieri possit, substituat. Ita Pontifex in declaratione prioris bullæ *Sacramentum pœnitentiæ*, nova sua bulla *Apostolici muneris*. Bull. tom. 1. n. 20.

Injungitur ordinariis, ut in approbatione confessariorum constitutionem Gregorii XV. et præsentem Benedicti XIV. ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, et observari curent. Ita in bulla *Sacramentum pœnitentiæ*. Bull. tom. 1. n. 120.

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii est invalida. Encylc. *Etsi minime*, Bull. t. 1. n. 42.

Si vero ignoret pœnitens necessaria necessitate præcepti, et rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat, ib. n. 12.

Confessarius si audierit pœnitentem, et non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet se illum absolvisse, nec tunc pariter cum illum absolverit; nam alias, si de aliquo hoc at-

testatus fuisset, et de aliquo non, revelationis confessionis periculum subiret, Inst. Eccl. 45. n. 10.

Patres capuccini, si adsint in loco ubi nullus conventus seu hospitium sui ordinis existit, nullusque frater sui ordinis confessarius ibidem existit, possunt confessiones suas habere apud presbyterum secularem confessarium approbatum ab ordinario loci, seu apud regularem approbatum a sua superiore regulari ad confessiones habendas, non obstante statuto suæ religionis in contrarium. Bulla *Quod communi*, Bull. tom. 1. n. 49. n. 2.

Confessarii regulares non tenentur adesse resolutioni casuum conscientiæ, quæ habetur coram episcopo pro tota diœcesi; tenentur tamen in suis monasteriis habere et interesse lectioni eorumdem casuum. Quæ lectio habenda est in singulis monasteriis ex apostolico præscripto; cui si non interfuerint, potest episcopus illos cogere, ut intersint congregationi casuum conscientiæ, quæ habetur coram illo ex præscripto sacr. canonum. Ita ex encyclica sacr. congregationis data die 29. maii ann. 1752. et est in Append. t. 4. Bull. Bened. XIV. pag. 35. ubi pariter adest decretum alterum congregationis editum anno 1682. in quo id statuitur in favorem regularium, etiam in iis monasteriis in quibus non degunt 12. viri religiosi.

CONFESSIO.

Nemo unquam quodcumque privilegium obtinens, audire potest confessiones secularium absque approbatione ordinarii, idque valet etiam pro confessionibus venialium, et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos qui privilegium bullæ *Cruciatæ* obtinuerunt, uti ex bulla Benedicti XIII. Inst. Eccl. 86. num. 8.

Per confessionem factam cuilibet sacerdoti seculari vel regulari ab episcopo approbato, satisfieri capiti Omnis utriusque sexus, ex constitutionibus Clementis VIII. anno 1592. et Innocentii X. ann. 1645. incipiens *Exponi nobis*, constat. De syn. diœc. lib. 7. cap. 44. n. 4. t. 3. p. 101.

Etiam non commissa gravi culpa præceptum annuæ confessionis obligat, ut qui se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Thom. in 4. Sent. dist. 17. q. 3. A. C. quæst. 3. Institut. Eccl. 18. n. 4.

Parochus quamvis plerumque credere debeat parochiano suo asserenti se confessionem peregisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam paschali, ut ex Roncaglia. Institut. Ecclesiast. 45. num. 15.

Si pœnitens tempore paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio confessarii admonetur ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et Remiss. ib. n. 16.

Possunt episcopi limitatam facultatem audiendi confessiones dare regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint, Inst. Eccl. 85. n. 9.

Quoad confessionem factam laico in necessitate dum non adest copia sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres theologos, et etiam apud sanct. Thomam, recte docet Pontifex neminem ex veteribus illis agnovisse laicum esse verum ministrum hujus sacramenti: sed eam confessionem testimonium esse animi demissi, et humilitatis, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et justificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc nunquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia. De synod. diœces. I. 7. c. 16. per totum. ubi recte ex decreto Clementis VIII. illicita esse, et invalida confessio facta sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis ubi rarissimi sunt sacerdotes qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris, ut ex card. de Lugo, Inst. Eccles. 86. n. 12.

CONFIRMATIO.

Confirmationem sacramentum esse novæ legis constat tum ex definitione Trident. sess. 7. can. 1. cum ex Actuum 8. illis verbis: *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Instit. Eccl. 6. n. 3.

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum episcopi, et prece. Quandonam illud instituerit Christus, qui unicus est auctor sacramentorum, incertum, num tunc cum imposuit manus capiti puerorum. Matth. 19. num. instituerit tantum, non ministraverit; num in ultima cœna cum dixit apostolis: *Accipite Spiritum*

sanctum; num tandem ipsa pentecostes die; ignoratur, ibid. n. 5.

Quanquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modo cessavit id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur, sancto Augustino teste, de Bapt. l. 8. cap. 16. Quæ tamen gratia sacramentum recipientibus amoto peccati obíce confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur et firmitatem quamdam spiritualium virium, quibus diabolo resistamus, ibid. n. 7.

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quædam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quæ a perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non possit, ibidem num. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam hujus sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis. Neque parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali culpa si non instent, ut subjecti sibi parochiani, et quos habent subjectos confirmationem ab episcopo parato recipiant, ibid. n. 9. et 10.

Quoad ætatem chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa, non vetatur quin possit etiam ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos imposterum non sit futurus episcopi accessus etc. ita in bulla pro Cophtis, *Anno vertente*, et De synod. diœces. lib. 7. cap. 10. n. 88.

Confirmationis minister ordinarius est episcopus, extraordinarius vero de Pontificis mandato sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licet olim doctores quidam dubitaverint. De syn. diœc. l. 7. c. 7. p. 61. per totum. Utitur tamen simplex sacerdos chrismate ab episcopo benedicto, quanquam probabilis est eorum opinio qui tenent chrisma illud ex commissione summi Pontificis benedici a simplici presbytero posse, nec desunt, rara quidem, exempla, ib. c. 8. per totum. Ceterum tenendum est irritam fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam; nam romanus Pontifex ex consuetudine in tota Ecclesia latina jamdiu recepta

tacite sibi hanc facultatem reservasse censendus est. Hæc etiam reservatio, utpote jurisdictionem restringens, valet utique ad hoc ut episcopus jurisdictione ad delegandum careat, ibid. n. 7. per totum.

Confirmationis sacramentum cum oleo, et chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico antistite benedictis, conferri a P. guardiano sancti Sepulchri ordinis minorum de observantia, si defuerit episcopus latini ritus, in sua diœcesi residens, conceditur a Pontifice suo Brevi incipiente *Cum ad infrascriptam.* Id tamen personale esse privilegium datum guardiano petenti constat. Exstat bulla in Bull. tom. 1. n. 10.

Idem etiam concessum est a sacr. congr. et confirmatum a Benedicto XIV. in sua constitutione, *Anno vertente,* Bull. t. 3. n. 30. præfecto missionum Ægypti, donec aliquis catholicus episcopus in Ægypto habeatur.

Confirmatio a græcis sacerdotibus collata in locis Græcorum, in quibus mos iste non est expresse improbatus a sede apostolica, valere censenda est ex consensu tacito romani Pontificis. De synod. diœc. lib. 7. c. 9. et constit. pro Cophtis catholicis, Bull. tom. 3. n. 30. quæ constitutio incipit *Anno vertente.* in qua tamen monentur chrisma illud benedicendum esse ab episcopo.

Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per sacramentum pœnitentiæ. Inst. Eccl. 6. n. 11.

Corporis dispositiones non tamen necessario præmittendæ, sunt plerumque confirmandi et confirmantis jejunium, quod consulit Pontificale Romanum, ib. n. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas maribus, femina feminis, qui etiam patrini debent esse confirmati, ibidem num. 13.

Mares seorsum a feminis accedere par esset, ut honestius res perageretur, ut ex concilio Mediolanensi, ibid. n. 13. Porro, patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat, n. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur episcopus hoc sacramentum ministrare, cum sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis. De syn. diæc. l. 13. c. 10. n. 6. nov. edit.

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sane valeret sic collata, cum ex consensu fere omnium theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certe non fieret cum alio medio, quam si pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. De syn. diœc. l. 13. c. 19. n. 15. nov. edit.

CONFRATERNITATES LAICORUM.

Duæ confraternitates ejusdem instituti in uno eodemque loco esse non possunt ex bulla 105. Clementis VIII. Cum tamen amplior est civitas, vel populus frequens, binæ tolerantur, Inst. Eccl. 105. n. 86.

Si confraternitas sit erecta in ecclesiis regularium exemptorum, sub est tamen jurisdictioni, et visitationi episcopi, cui jus est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen *quæ confraternitatum gubernationem respiciunt.* Et si confratribus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum; sicut et ornamenta altaris, onera missarum, et divinorum officiorum ibidem celebrationem etc. ita ex resolutione sacræ congr. ibid. n. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab archiconfraternitatibus romanis, nisi prævia approbatione ordinarii loci, seu episcopi cum interventu duorum de capitulo. Ita ex constit. 115, Clem. VIII. additis decretis sacr. congr. ibid. n. 89. Aggregatarum vero administratores rationem episcopo reddere tenentur, ut ex eodem sacr. congr. concilii decreto, ibid.

Hæc omnia valent etiam pro confraternitatibus aggregatis capitulo sancti Joannis Lateranensis, sicut etiam pro illis qui fundatæ jam sese eidem basilicæ annui tributi solutione submittunt, ut sæpe decisum est, ibid. n. 90.

In solo vero Lateran. fundatæ ecclesiæ, vel oratoria ex bulla 19. Sixti V. non subsunt jurisdictioni ordinariæ episcopi; sed ut firmat rota, utitur jure delegato concesso illi a Trid. sess. 6. cap. 4. sess. 24. c. 3. de Ref. vi cujus potest per se, et per alium eas visitare, ut etiam probat decretum sacræ congreg. ib. n. 90.

Confraternitates laicorum in ecclesiis parochialibus, erectæ dependent a parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus, ut ex decreto sacr. C. rituum die 12. januar. 1704, ibidem n. 93. Quare eædem con-

fraternitates erectæ iu capellis, vel oratoriis adnexis parochialibus ecclesiis, et ab eis dependentibus, eamdem à parocho dependentiam habent, ex eodem decreto, ibidem.

Erectæ tamen in ecclesiis publicis, seu privatis, ab ecclesiis parochialibus sejunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem decreto, ibidem.

Quare benedictiones, et distributiones candelarum, cum non sint de juribus mere parochialibus, sicut etiam benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis (quæ tamen ambo fieri debeant a parocho), ignis, seminis, ovorum, et similium, functiones omnes hebdomadæ sanctæ, celebratio missæ solemnis feria V. in cœna Domini (quæ tamen spectat ad parochos) pulsatio campanarum sabbato sancto (quæ tamen spectat ad ecclesiam digniorem), celebratio missæ solemnis in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ, vel oratorii, expositio quadraginta horarum, et benedictio, quæ fit super populo, expositio sacrarum reliquiarum, vel imaginum, fieri possunt in oratoriis confraternitatum, etiam parocho respective contradicente, ut in eodem decreto, ibidem.

Insuper in iisdem privatis confraternitatum oratoriis cantari possunt absque licentia parochi horæ canonicæ, ex eodem, ibid.

In oratoriis eorum privatis licita est celebratio missæ privatæ assentiente ordinario tantum.

Earum capellani non possunt populo denuntiare festivitates et vigilias contradicente parocho, ex eodem, ibid.

Nequeunt parochi invitis confratribus in eorum oratoriis à parochiali separatis docere doctrinam christianam, ex eodem, ibid.

In eorum ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante parocho conciones per totam quadragesimam, et adventum publicæ, ex eodem, ibidem.

Vicissim non potest in dictis ecclesiis, nisi aliter disponente episcopo, celebrari, seu cantari missa ante parochialem, ex eodem, ibidem.

Ad parochum tamen spectat officium funebre facere super cadaveribus sepeliendis in supradictis ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subjectus parocho, intra cujus finem est ecclesia illa.

In processionibus confraternitatum extra ambitum suæ ecclesiæ (quæ tamen fieri non possunt absque

licentia seu episcopi, seu parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) capellani illarum extra ecclesiam propriam stolam deferre non possunt, ex eodem, ibidem.

Accedenti episcopo ad ecclesias earum publicas, quæ non sunt regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habent, aspersorium a parocho exhibendum non est, ex eodem, ibidem.

Ex solo jure parochiali cessante aliquo titulo non potest parochus capellanos illarum cogere ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis, ex eodem, ibidem.

Absque indulto apostolico non licet in dictis ecclesiis, quæ non sint parochiales, neque regularium, retineri sanctiss. eucharistiæ sacramentum; neque si ea facultas adsit, absque ordinarii licentia potest ibidem dictum sacramentum publice exponi, ex eodem, ibid.

Parochus nequit se ingerere administrationi oblationum, vel eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ, ex eodem, ibid.

Dummodo non impediant functiones et divina officia, possunt confraternitates etiam erectæ in ecclesia parochiali pro libito congregari absque licentia et præsentia parochi, sicut et possunt propria bona administare, et de illis disponere independenter ab illo, ex eodem, ibid.

Non potest parochus tanquam delegatus ordinarii, assistens earum congregationibus, suffragium decisivum ferre, ex eodem, ibid.

Plura tamen ex his quæ exigere a confratribus parochus nequit, possunt fieri de mandato episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus sæpe decisum est a sacr. congregatione, ibid. n. 98.

Confratres non possunt quæstuare etiam per propriam ecclesiam, nisi de licentia ordinarii, ut ex decreto sacr. congreg. Missas vero ex quæstibus illis collectas, celebrandas esse in eadem ecclesia, non vero in parochiali, censuit sacr. congr. concilii, ibid. n. 132.

Inter confraternitates laicorum illa præcedit quæ est in possessione præcedenti: et cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet quæ prius saccis usa est, ut ex constit. 84. Gregorii XIII. constat, Inst. Eccl. 105. n. 84.

Sed in processionibus in quibus defertur sanctiss.

eucharistia, confraternitas sanctiss. sacramenti, si sacco induatur, præcedit ceteras, ut decisum in rota romana, ibid. n. 85.

CONSECRATIO.

Si parietes ecclesiæ sint destructi, et a fundamentis iterum reædificentur, ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex titul. de Consecr. Eccl, vel Alt. firmant canonistæ. Inst. Eccl. 67. n. 2. Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda, ibid. n. 6.

Altaris consecratio plane distincta est a consecratione ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur, ibid. n. 8.

CONSTITUTIO UNIGENITUS.

Publicis refractariis adversus constitutionem *Unigenitus* denegandum est sanctiss. viaticum. Publici autem censentur qui per judicis sententiam declarati sunt, quod debitam eidem constitutioni venerationem, obsequium, et obedientiam contumaciter denegaverint. Ut pariter illi qui hujusmodi contumaciæ reos se judici confessi sunt; sicut etiam qui sacrum viaticum suscepturi inobedientiam suam et contumaciam adversus eam constitutionem profitentur. Denique, qui aliquid evidenter commisisse noscuntur manifeste oppositum eidem venerationi, idque vulgo ita cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Hæc autem notoria certitudo non adest in casibus in quibus crimen nititur conjecturis, præsumtionibus, incertisque vocibus. Igitur hi qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam, num sacro viatico reficiendi sint? Hæc habeantur præ oculis: primo quærat parochus, seu minister sacramenti, num moriturus paschali tempore acceperit communionem a parocho ubi degebat; huic certe non est denegandum viaticum si publice petat, nisi forte inter tempus paschale, quo communionem recepit, et tempus quo viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur quo publici peccatoris notam contraxerit.

Si vero validæ adversus ægrotum præsumptiones et

indicia urgent, tunc sanct. communionis minister debet ægrotum, remotis arbitris, alloqui, et ostendere illi indicia quæ suspectum ipsum reddunt, rogans eum ut resipiscat, ac demonstrans se quidem paratum esse illi sacrum viaticum ministrare, et velle pro sua pietate ipsius infamiam præcavere, et idcirco eum a sacra mensa non repellere, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscere. Ita Benedictus XIV. in sua bulla *Ex omnibus christiani orbis* etc. Bullar. tom. 4. n. 61.

CONSUETUDO.

Consuetudo rationabilis et legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam ex textu in c. final. de Consuet. nefas est tamen episcopo juxta consuetudinem diœcesis suæ contra canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris: nimiæ autem esset arrogantiæ, si episcopus legem conderet contra legem superioris. De syn. diœc. l. 7. c. 71. n. 7. t. 3. p. 252. nov. edit.

CONTRACTUS.

Contractus trium contractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a Pontifice præcise non improbatur, sed facultatem permittit episcopis ut in suis synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo. De syn. diœc. l. 7. toto capite 50. l. 10. cap. 7. nov. edit.

Contractus *collatici* is est quo bos terram arans traditur bubulco qui solvit domino bovis certam portionem frumenti, lege hac adjecta, ut, si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino et bubulco commune: si vero pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt a sacr. congr. concilii die 6. dec. 1730. De syn. diœc. lib. 7. cap. 51. n. 2. t. 2. p. 543. nov. edit.

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto

redimendi rem venditam, prædium tamen retinet tanquam conductor, et pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor a confessario interrogandus est num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter et venditor interrogandus num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est: secus vero, non. De syn. diœc. c. 51. l. 7. n. 5. t. 2. p. 543. nov. edit.

CRUX.

Crux eminens inter candelabra statuenda est in altari ubi missa celebratur; nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum Crucifixi figura; nec decet ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis: quare in encyclica sua ad ordinarios ditionis ecclesiasticæ mandat Pontifex ut amoveantur cruces istæ parvulæ. Vid. Bull. t. 1. n. 17. *Accepimus præstantium.*

Num vero apponenda sit crux de more etiam cum exposita est adorationi sacra eucharistia? Congregatio sacrorum rituum consulta semel mandavit apponi: iterum vero causa reproposita 2. die sept. anno 1721. decrevit ut quælibet ecclesia consuetudinem suam retineret, ibid.

Num etiam necessaria sit crux si in tabula altaris primam imaginem exhibet crucifixus? sacra congregatio censuit hanc sufficere, ibidem.

Denique, num committat peccatum grave celebrans in altari a quo crux abest? Communis sententia tenet id quidem nonnisi venialem culpam inducere. De sacrificio missæ lib. 3. cap. 13. num. 1.

CULTUS.

Cultus privatus impendi potest iis qui nondum inter beatos vel sanctos adscripti sunt, non vero publicus, ut ex celebri decreto sub Urbano VIII. certum est quod confirmat Benedict. XIV. in sua bulla *Quamvis justa,* Bull. t. 3. n. 7. num. 11. Ex vi ejusdem decreti non

potest titulus sancti vel beati illis adscribi, sicut nec potest missa solemnis de sanctissima Trinitate vel de sanctis omnibus in die eorum anniversaria celebrari, sicut nec eorum panegyricæ conciones eadem die in ecclesia haberi; sicut ex vi ejusdem Benedictinæ constitutionis emortualem diem festum eorumdem *ritibus palam celebrare, atque in eorum laudem hymnos prosequi*, non tamen peculiari collecta in litania invocari, ibidem.

DISPENSATIO.

Dispensationes sacræ pœnitentiariæ cum diriguntur ad confessarium ex approbatis ab ordinario, executioni mandari debent a confessario approbato ab ordinario illius loci, in quo dispensatio illa præstari debet, nec valet si actu confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a femina. Instit. Eccles. 87. n. 31.

Cum dirigitur confessario magistro in theologia, vel decretorum doctori, requiritur laurea theologiæ, vel juris canonici in publica universitate; nec aperiri literæ illæ possunt a simplici regulari confessario, nisi tamen religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit, ibidem n. 11.

Si semel apertum fuerit Breve pœnitentiarii ab eo qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit si alteri habenti requisita consignetur, ibid. n. 33.

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quanquam non desint doctores qui oppositum opinentur, ibidem.

Executor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi alioquin ipse eamdem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis doctorum sententia, ibid. n. 34.

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez, ibidem.

In ejusmodi dispensationis literis mandatur executori ut dispenset audita prius sacramentali confessione, et

in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent, ibid. n. 35.

Cum pœnitentia in literis definitur, ea injungenda est: si vero committatur arbitrio confessoris, non est illi liberum et ad arbitrium, injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit, ibid. n. 37. et 38.

Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum si tantum septem vel octo in civitate id resciant; in oppidis vero si quinque vel sex; quam sententiam scriptores, qui mentem sacræ pœnitentiariæ probe norunt, tuentur, ibid. n. 45.

Si vero occultum impedimentum fuerit in loco ubi executioni mandanda dispensatio est, publicum vero in alio ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, et de hac novitate sacram pœnitentiariam certiorem facere, ibid. n. 46.

Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censeri occultum judicant periti earum theologi, ibid. n. 48.

Si quis rem vetitam præstiterit, sed publice credatur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad hunc effectum creditur occcultum; si vero commisisse delictum resciatur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur, ibid. n. 48.

Clausula *dummodo occultum sit* exigit ut nullo modo probari possit, ibid. n. 44.

Si delictum deductum sit ad forum contentiosum a sacr. pœnitentiaria censetur publicum: si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus etc. adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum, ibid. n. 49.

Expressio causarum, earumque verificatio, ad validitatem dispensationis pertinet. Bulla *Ad apostolicæ servitutis*, Bullar. t. 1. n. 45. n. I.

DOCTRINA CHRISTIANA.

In ecclesiis ruralibus longe dissitis a parochiali decernunt episcopi ut sacerdotes ibi sacris operantes populum

doctrinam christianam doceant. Encyclica *Etsi minime*, Bull. t. 1. n. 42. Caveat tamen parochus ne nimium tribuat alienæ operæ; sed cum pueri ad sacramentum eucharistiæ et confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tentet quid didicerint, ibid. n. 14

Non est tolerandus mos in nonnullis diœcesibus obtinens, ut pueri unius parœciæ in alia parœcia doceantur doctrinam christianam quemadmodum rescripsit S. C. conc. ad card. Lambertinum die 9. aug. 1732. Inst. Eccl. 9. n. 10. sed singuli parochi erudire suos debent, vel saltem curare ut in parœcia erudiantur; non tamen reprehendendi sunt illi qui in ecclesiis suis, licet non sint parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant parochis nomina eorum qui eas frequentant, ibid. n. 13.

Ludimagistri, tam conducti a communitate quam non conducti, tam clerici quam laici, hortandi sunt prius ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi, ex decr. sacr. congregat. conc. ad archiep. Spalatr. die 17. jul. 1668, ibid. n. 14.

Doctrinam christianam non omnes scire æqualiter necesse est: plura enim scitu sunt necessaria ecclesisaticis, quam laicis; plura adultis, quam pueris, et puellis; plura valentibus ingenio, quam hebetibus. Inst. Eccl. 72. n. 19.

Si quis non credat explicite ea quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est illum nec valide absolutione potitum fuisse; illicita est quidem certe in eo casu absolutio; nec potest confessarius tuto uti opposita huic sententia, et absolutionem illis qui hæc explicite ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI. constat, ibid. n. 19.

Si quis vero ignoret ea quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doleat, et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex theologis, ibidem.

Parochi doceant pueros diebus saltem dominicis aliisque festis de precepto doctrinam christianam, omni contraria consuetudine penitus sublata. Encycl. *Ubi primum*, Bull. t. 1. p. 6. edit. rom.

In bulla *Etsi minime*, Bullar. tom. 1. num. 42. n. 12. monet Pontifex ut confessarius fixum animo teneat *invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii, impertitur.*

DOS.

Cum puellis quæ virgines non sunt, petuntque subsidia dotalia relicta virginibus, dispensat in occultis, et in foro conscientiæ tantum pœnitentiarius major, tam pro obtentis, quam pro obtinendis, quatenus tantum illæ imposterum honeste vivant. Bulla *Pastor bonus* etc. Bull. t. 1. n. 95. n. 27.

DUELLUM.

Bened. XIV. anno 1752. *die IV. idus novembris has propositiones ad duellum attinentes damnavit.*

I. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet; culpa, et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illum provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux, vel officiales militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, et officii.

IV. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.

Vetat Pontifex in eadem bulla ne easdem propositiones quis defendat, publice vel privatim, divisim aut, conjunctim, etiam disputandi gratia: alioquin, incidat ipso facto in excommunicationem reservatam romano Pontifici. Mandat, in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis eas et ne unam quidem in praxim deducat.

Confirmat præcedentium romanorum Pontificum constitutiones de duello, atque edicit, ut, si quis in duello, sive publice sive privatim indicto, hominem

occiderit, sive ille obierit in loco conflictus, sive extra, ex vulnere in duello accepto, perinde habeatur ac homicida voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi e loco sacro possit, data ab episcopo facultate quam illi Pontifex impertitur. Addit, quod, si adhuc vivat graviter vulneratus in duello, et percussor recurrerit ad asylum, ac merito timeatur futurum ut, si mors acciderit vulnerati, ille se proripiat, tunc, si judicio peritorum grave vitæ periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, præmisso decreto episcopi, et cum assistentia clerici ab eodem episcopo deputati, et teneatur carceribus clausus, exacta tamen a judice promissione, ut, si forte vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio præscriptum, restituat illum Ecclesiæ: alioquin, incurrat pœnas a Bened. XIII. in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis et non restitutis constitutas. Demum privationem sepulturæ, quam incurrunt duellantes in sanctione Tridentini, declarat incurri etiam ante sententiam judicis, si forte decedat etiam extra locum conflictus ex vulnere in duello publico, vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa pœnitentiæ dederit, et absolutionem a censuris obtinuerit; nec dispensari ea in re ab episcopis posse decernit.

ECCLESIA.

In ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat episcopus ne permittat ut missa celebretur ante parochialem, encyclica, *Etsi minime.* Bull. t. 1. n. 42. n. 14.

Ecclesia parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire fabrica, si absit; sin minus, tenetur parochus non quidem redditibus suis patrimonialibus, sed ex redditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quanquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem parochi. Tertio loco, qui habent beneficium ecclesiasticum in illa ecclesia. Quarto loco, si parœcia est de jure patronatus, tenetur patronus suis sumtibus id agere; ita tamen, ut, si infra præfixum ad episcopo tempus noluerit sumtus illos subministrare, amittat juspatronatus illud. Denique ultimo loco, tenetur populus, et

qui in ea parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex canonistis. Inst. Eccles. 100. per totam.

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium, cap. Proposuisti, de Cons. Eccl. Si in ea magna vis humani sanguinis effundatur, can. Ecclesiis, de Cons. dist. 1. Si sponte effundatur semen humanum, *sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam*, ex eodem textu, et cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles. Si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur, cap. Consuluisti, de Cons. Eccl. Item, si ibi sepeliatur ethnicus, can. Ecclesiam, de Consecr. dist. 1. De sacrificio missæ, lib. 3. cap. 7. n. 4.

EPISCOPUS.

Episcopi consecratio ab uno ne, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quanquam sit quæstio inter theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt episcopi, ut ab uno tantum episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum episcopum sufficere. Attamen solent Pontifices præcipere ut episcopo consecranti adjungantur duo abbates, vel duo sacerdotes in dignitate ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis De synod. diœc. lib. 13. cap. 13. n. 5. nov. edit. Ibi pariter decernitur valere consecrationem episcopi ab uno antistite, uno tantum adjecto presbytero, confectam, quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat. De synod. diœc. lib. 7. cap. 3. num. 9. tom. 4. p. 7. nov. edit.

Pactiones initæ a capitulo electore, et juratæ ab episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obsistere officialibus capituli, si quid egerint, et decreverint; pactiones, inquam, illæ si electionem præcedant, nullæ omnino et irritæ declarantur ab Innocentio XII. constitutione incipiente *Ecclesiæ catholicæ*. Quæ vero subsequentur, illarum executionem suspendunt, donec sedes apostolica judicium de illis ferat, ibidem n. 17. Hæ vero pactiones vetitæ et irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ,

ut ex DD. ibid. n. 19. Insuper adsunt ea de re literæ apostolicæ Benedicti XIII. in forma Brevis legendæ, ibid. n. 23.

Episcopi suffraganei si decorentur pallio, in bullis tamen ejus concessionis cavetur ne quid prejudicii ex hoc inferatur eorum metropolitis, quin et vetantur illud ferre in præsentia archiepiscopi. De synod. diœc. l. 13. c. 5. n. 10. nov. edit.

Pallii honore non decorantur latini patriarchæ titulares, quemadmodum nec archiepiscopi in partibus, cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur, ibid. n. 17.

Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant episcopi, non admittuntur a congregatione consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in cap. Cum pridem, de Renuntiation. quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet ipsos plebis suæ saluti prodesse amplius non posse, ib. t. 4. p. 70. nov. edit.

Episcopi regulares si se abdicaverint episcopatu, tenentur claustra suæ religionis repetere, nisi aliter commissum sit a sancto Pontifice. Ita Benedictus XIII. in sua bulla *Custodes*, ibid. n. 4.

Causæ resignationis non tam rigorose examinandæ sunt in ordine ad cardinales episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam, ut assistant romano Pontifici. Ita ex Fagnano, ibid. num. 5.

Episcopus translatus ex uno in alium episcopatum frui potest redditibus Ecclesiæ a qua discedit, usque ad illum temporis articulum quo a summo Pontifice in consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ absolvitur: ex tunc enim prior Ecclesia vacare censetur, ut ex definitione congr. conc. per Urbanum VIII. approbata, ibidem num. 7. Neque ibidem episcopus post absolutionem a vinculo, jure potest conferre beneficia quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum in tribunalibus romanis, ibid. num. 9.

Interim tamen post pronuntiationem, scilicet Pontificis in consistorio, quoadusque hæc pronuntiatio innotuerit episcopo, remanet in eodem episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad diœcesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem decreto, seu in Brevi illud confirmante Urbani Papæ VIII. ibid. n. 10.

Si episcopus in manus paganorum, aut schismaticorum incidat, et fiat captivus, Ecclesiæ administratio

transit in capitulum, quoadusque aliter disponat sedes apostolica, cap. Si epispopus, de Supplem. Neglig. Prælat. in 6. quæ tamen vera sunt, si carcer episcopi sit adeo arctus, ut episcopum suum nequidem per literas adire diœcesani valeant, ibidem n. 11.

Episcopis ex constitutione Pontificis incipiente *Firmandis*, Bull. tom. 1. n. 109. fas est in ecclesia parochiali a regularibus administrata in pastorali visitatione inspicere altare illud in quo tabernaculum sanctissimæ eucharistiæ tenetur, item fontem baptisterii, confessionale parochi, pulpitum e quo parochus jus habet adnuntiandi verbum Dei, sacrarium in quo servatur sacra suppellex ad sacramenta ministranda, sepulchrum, cœmeterium parochiæ, turrim etiam campanariam, si adsint campanæ ad parochiam spectantes; ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea baptismi, et extremæ unctionis; demum pilam aquæ benedictæ.

Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt non tantum ad certum tempus, quemadmodum limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in diœcesi cujus intuitu illam obtinuerint, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios sacerdotes quotquot judicaverint opportunos, ut ipsi episcopis impeditis eamdem indulgentiam conferant. Subdelegati vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota diœcesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus et singulis episcopis qui literas ea de re petierint, quam etiam facultatem obtinebunt prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa jurisdictione in clerum, et populum. Ita sancit Pontifex sua constitutione, *Pia Mater*, edita anno 1747. nonis aprilis in qua etiam ritum hujus benedictionis præbet. Bull. nom. 8. n. 34.

Episcopus in sua synodo non potest quidem definire quæstiones de fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in c. Vestra deducitur. De syn. diœc. lib. 6. c. 4. n. 7.

Episcopis in synodo fas est non quidem rem aliquam inter DD. controversam definire: sed praxim

prohibere, uti ex. grat. non licet illis pronuntiare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante bullam Bened. XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii edendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. De synod. diœc. lib. 7. c. 3. n. 1.

Episcopo ex epikeia fas est aliquando in iis præsertim quæ dilationem non patiuntur, nec de quibus facile summus Pontifex consuli potest, circa jus commune relaxare, uti decisum a sacr. congreg. concilii. refertur. De syn. diœc. l. 7. c. 71. num. 1. t. 3. p. 246. nov. edit. Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. ibid. n. 2.

Ad diœcesanum episcopum pertinet ecclesias consecrare, eique fas est id muneris demandare alteri episcopo, minime vero presbytero etiam cum oleis ab ipso episcopo benedictis. Ita ex DD. De syn. diœc. l. 13. cap. 15. n. 2. nov. edit.

Consecratas insuper ecclesias atque pollutas nemo præter episcopum diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare presbytero, quanquam cum aqua ab episcopo benedicta. Si tamen ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest ut per simplicem sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, ecclesia polluta reconcilietur, ibidem.

Episcopo curandum est ut legata pia impleantur, quod præstare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset a testatore, ut ex cap. Tua nobis, de Testament.

Quod si testator executorem reliquerit sui legati, et ei, in casu quo segniter agat, alterum substituat, tunc episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam id exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trid. sess. 22. de Reform. c. 8. valet etiam non solum pro episcopis, sed etiam pro prælatis inferioribus, habentibus territorium separatum, et jurisdictionem quasi episcopalem, De syn. diœc. l. 13. c. ult. n. 1. et. 2. nov. edit. valet etiam pro vicario capitulari sede vacante, ut de Legato de Missis statuit sacr. congr. ibid. n. 2.

Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia), non se immiscet jurisdictioni episcoporum in ordine ad legata pia, et missarum onera, nisi post annum ab obitu testatoris,

quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi judicium cœptum, ab episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat. De syn. diœc. lib. 13. cap. ult. n. 3. nov. edit.

Non licet episcopo a diœcesi per tres menses abesse pro libito aut quacumque ex causa; sed causa sit vere æqua, simulque provideatur ne gregi ex hoc detrimentum obveniat. Encycl. *Ubi primum*, Bull. tom. 1. p. 6. edit. rom.

EUCHARISTIA.

De frequentia sanctissimæ communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius, nihil innovandum supra decr. Innoc. XI. die 12. febr. 1679. omnia scilicet referenda esse docti et prudentis confessarii judicio. Inferri tamen ex eodem decreto licet frequentem accessum denegandum esse iis qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti; sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhærent. De syn. diœc. lib. 7. c. 12. num. 9.

Eucharistiam una tantum die paschatis resurrectionis distribuere secularibus vetitum est regularibus in suis ecclesiis: ceteris vero paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. Ita in tract. de syn. diœc. l. 11. cap. 14. n. 5. nov. edit.

Paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto, ab Eugenio IV. sua constitutione *Fide digna*, definitum est a dominica palmarum usque ad dominicam in albis; nec licet episcopo, etiam in synodo, tempus istud latius prorogare. De syn. diœc. l. 7. c. 69. n. 9. t. 3. p. 236.

Paschali præcepto de eucharistia sumenda in parochiali ecclesia non satisfit recipiendo illam in ecclesia metropolitana, ut ex decretis sacr. congr. firmat de Lugo. Resp. Moral. l. 1. dub. 15. Ita Inst. Eccl. 18. n. 12.

Qui præcepto paschali de eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest pœnis ad eucharistiam sumendam. Inst. Eccl. 45. n. 15.

Famuli et famulæ seculares inservientes monasteriis regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis

monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem paschalem in ecclesia parochiali, intra cujus fines situm est monasterium, recipere, ut ex decreto sacr. congr. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa ac domos monasteriorum, quod requiritur a Trid. ut famuli eximantur a parœcia. Inst. Eccl. 55. n. 7. et 8.

Sacerdotes missam celebrantes non tenentur præcepto paschali satisfacere in sua parœcia; si tamen raro intra annum celebrant, nec volunt, seu possunt celebrare missam in paschate, tenentur tunc communicare in parœcia, ibidem.

Peccatori occulto publice eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturale ad famam id expostulet. De syn. diœc. lib. 7. c. 2. n. 4. nov. edit.

Occulte vero petenti et noto sacerdoti aliunde quam ex confessione, tuto negatur: si vero pariter aliunde et simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet sacerdos, se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit: si vero noverit rem tantum ex confessione, perinde se gerat ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum. Instit. Eccles. 89. num. 2.

Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo qui talis declaratus est a judice, sed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur, ibid. n. 8. et de sacrif. missæ 1. 3. c. 20. n. 4.

Eucharistiæ sumtionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedenti cœptum. Nec refert si post cibum sumtum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante sacram communionem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumta post celebratam missam admittenda ab eo est cui eo die alias missas celebrare permittitur, uti die nativitatis Domini, quo in casu nec licet celebrare et ad dandum ægroto viaticum; nam præceptum viatici obligat quando conferri potest juxta ritum Ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex rubrica Missalis constat. Vicissim si quis, antequam somno se dederit, parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomachum delabatur, id utique jejunium istud frangit.

Tandem, si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, et statim expueret, hæc non esset fractio jejunii. De sacrif. missæ lib. 3. toto cap. 12.

In dubio num quis fregerit jejunium, disputant theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstaret tamen abstinere a percipienda communione, ibid. n. 7.

Sacerdos extra missam eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Potest vero seipsum suis manibus communicare si absit scandalum, et suppetat causa quæ perceptionem sacramenti exigat, nec alius sacerdos præsto sit. Causa vero est solemnis aliqua festivitas. De sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 10.

In missis defunctorum eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum decr. sacr. congreg. rit. id prohibens, modo non amplius exhibeatur illud poscentibus, et docti rituum scriptores admittant administrari tuto posse in quacumque demum missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem missa consecratas, et reliquias quæ in tabernaculo asservantur, ibid. c. 18. n. 12. t. 2. p. 245. nov. edit.

Nocte natalis Domini ex decretis sacr. R. C. vetitum est ministrare in missa sacram communionem fidelibus adstantibus; quia nec sacerdoti eadem nocte alias duas missas celebrare permittitur, ibid. n. 166.

Feria VI. in parasceve et sabbato sancto nullus, nisi ad viaticum, est communicandus, uti ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est, ibidem.

Sacerdos in peccato mortali ministrans eucharistiam graviter offendit in reverentiam tanti sacramenti: ex quo fit ut qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio sancti Thomæ, ibid. c. 19. n. 2. Ex quo infertur peccare illum graviter, qui sacramentum suscipit a sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicet, ibid. num. 3.

An unico peccato peccet sacerdos, qui, lethali peccato infectus, pluribus sacramentum eucharistiæ administrat? Dissident inter se doctores: alii enim unicum agnoscunt, quando per continuatam actionem pluribus ministrat; alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles, ibid. n. 3.

Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetuit sacr.

congr. conc. decr. approbato ab Innoc. XI. die 12. febr. 1679. ibid.

Peccatori parato recipere in peccato sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum idololatriæ, tum respectu suscipientis, tum adstantium, ibid. c. 20. num. 4.

Purgatio, quæ olim fiebat per eucharistiam, qua sacerdos fideli communicaturo denuntiabat corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez; hodie tamen cum abrogata fuerit per text. ex cap. *Ex tuarum*, in usum revocari non potest. De sacrif. miss. lib. 3. c. 20. num. 3.

Consuetudo eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refillitur; sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem et mortem, quo species eucharisticæ consumantur. De sacr. miss. l. 3. c. 20. n. 6.

Si alicujus sacerdotis negligentia aliquid eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ Missalis servandæ sunt, quanquam fatendum est canonicas pœnas obsolevisse: si vero fragmentum aliquod in feminæ pectus deciderit, præstat ut femina suis ipsa manibus levatum in os injiciat, ibid. n. 7.

Parochus eucharistiam deferens vel cadaver associans, si impeditus sit quominus eat per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest a domino, id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. Instit. Ecclesiast. 89. num. 2.

Si quis sacerdos ægrotus viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre, non renuente sacerdote, damnari non mereretur. De syn. diœc. l. 13. c. 19. n. 27. nov. edit.

Si quis episcopus vetet ne in missa in hoc vel illo altari celebranda, eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi est, nec turbæ ciendæ. Encyclica die 12. nov. anno. 1742 et De sacrif. missæ t. 2. p. 430. nov. edit.

Si quis surripiat hostiam, vel particulas, e tabernaculo, vel e sacra pyxide, vel ex ostensorio, et extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ, quare reo competet demonstrare

non esse consecratas. Ita in bulla *ab augustissimo*, Bull. tom. 1. n. 43.

Eo ipso autem quod quis id sacrilegii egerit, præsumitur uti voluisse ad malum finem, quæ pariter præsumtio valet contra eum qui in actu communionis, vel post illum, e suo vel alieno ore extractam particulam asportaverit, ibidem.

Rei hujus sacrelegii, etiam pro prima vice, tradendi sunt brachio seculari, præcedente in ecclesiasticis degradatione reali, ibid.

Si quis mane sumserit eucharistiam, vesperi vero decidat in lethalem morbum, integrum erit parocho, si vel illum denuo communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab episcopo ad utrumlibet adigi. De synod. diœc. cap. 11. l. 7. n. 2.

Quoad eucharistiam pueris administrandam, recte admonet Pontifex non eamdem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis qui recte valent: in morituris judicio parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant, et adorent. De syn. diœc. t. 2. p. 111.

Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate ut debita religione et reverentia ad sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum ætatis, ibid. p. 110.

Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest et debet semel, iterum, tertio viaticum conferri petente maxime ægroto; sed quoties, et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam, et alteram communionem, nihil definiendum Pontifex censet. De syn. diœc. l. 7. c. 12. n. 4.

Eucharistiam in oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant; tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in diœcesi Bononiensi. Instit. Eccles. 34. n. 12.

Sacerdotes omnes cujuscumque sint collegiatæ tenentur feria V. in cœna Domini sacramentum sanctissimæ eucharistiæ recipere e manibus celebrantis, ut dicunt decreta plura sacræ congregationis apud Bissum v. Communio num. 383. Institut. Ecclesiast. 38. num. 10.

EUNUCHUS.

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio medici ad servandam vitam ; et quanquam theologi quidam admittant ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit, adhuc tamen theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant autem canonistæ num ex vi cap. Significavit, sub tit. de Corpore Vitiato, sacerdos qui id in se commiserit, possit munus diaconi, aut subdiaconi, in missa exercere. Certum est ex vi ejusdem cap. sacerdotem illum posse benedicere, sacramenta baptismi, pœnitentiæ, ac extremæ unctionis administrare de licentia episcopi ; constat tamen eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec episcopo inesse facultatem ut det licentiam se evirandi. De syn. diœc. l. 11. cap. 7. n. 4. et 5. nov. edit.

EXAMINATORES.

Examinatores, si in synodo fuerint designati tantum nomine officii, ut sunt ex. gr. prior Sancti-Dominici, non ex hoc intelligitur quod successor in eodem munere habendus sit ut examinator synodalis, nam est electa industria personæ. De syn. diœc. lib. 4. cap. 7. n. 5.

Electi in synodo examinatores, si interim ante novam synodum decedant, tunc, si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini, non possunt alii in eorum locum substitui ab episcopo ; si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab episcopo quidem approbante capitulo ; ibid. num. 7. qui tamen examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim synodus non celebretur, ut ex decreto Clem. VIII. In hoc casu, quo synodus post annum a priori synodo non celebretur, tunc si non supersint saltem sex in priori synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est, ut, si post annum concursus ad vacantes parochiales instituendus sit, petatur a S. C. facultas ut novi examinatores extra synodum deputentur : quæ facultas si obtineatur,

uti semper obtinetur, tunc episcopus debet quos designavit proponere capitulo a majore ejusdem parte approbandos; capitulum vero tenetur illos approbare, si habeant qualitates a Trid. requisitas, ibid. n. 10.

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam communicando secum invicem, tum indicendo notario hunc vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex, in synod. diœc. l. 4. c. 8. n. 4.

In judicio examinatorum nulla fert suffragia episcopus, vel vicarius loco episcopi præsidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia: tunc enim potest episcopus quibus censuerit partibus accedere; sed hoc præstare debet tunc coram iisdem examinatoribus: ita ex Garcia, ibid n. 5.

EXCOMMUNICATIO.

A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, etiam contentis in bulla *Cœnæ Domini*, absolvere potest major pœnitentiarius regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiæ tantum; quanquam et illos potest absolvere in utroque foro in censuris publicis latis a jure, apostolicæ sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis vel latis nominatim ab homine, si expiraverit jurisdictio judicis delegati a quo latæ fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad romanum Pontificem, vel quando proprios judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti ut satisfaciant parti: alioquin recidunt in eamdem censuram: si vero hæc satisfactio a parte recusetur, tunc major pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata, nihil ultra agendum est. Bulla *Pastor bonus*, Bull. t. 1. n. 95. n. 7.

Si episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus, declaretque illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denuntiati non sint, quia facti notorietate dignoscitur illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet constitutioni Martini V. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in cap. Quod a prædecessore num. 55. de Schismat. De synod. diœces. lib. 7. cap. 68. num. 4. t. 3. p. 211. nov. edit.

Excommunicatio in bulla *Cœnæ*, qua vetatur fidelibus deferre arma etc. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. De syn. diœc. l. 13. c. 20. n. 6. nov. edit.

Ad postulata episcoporum albanensium rescriptum fuit a congregatione de propaganda fide, mandante Pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter christianos et Turcas furente, transvehant sclopos majores aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, et quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrocesque persecutiones evitare, ibid. n. 7.

EXEMPTIO.

Exemptio ecclesiastici a jurisdictione sui episcopi non conceditur a congregatione; nisi evidenter probetur sævities contra se exercita, aut justus timor ne exerceatur, et nec tunc nisi prius audito ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat. De syn. diœc. l. 13. c. 10. n. 30. nov. edit.

Tunc autem plerumque nihil fit aliud nisi ut prohibeatur ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem etc. nisi prius obtenta a congregatione, vel a metropolitano facultate; imo, si reus in flagranti crimine deprehendatur, tunc non intelligitur subtracta facultas ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex decr. sacr. congreg. ibidem.

EXECUTIO PROVISIONUM CURIÆ ROMANÆ.

In bulla *Pastoralis regiminis*, Bull. t. 1. n. 47. feriuntur excommunicatione Pontifici romano reservata laici impedientes executionem mandatorum, citationum,

aliarumque provisionum romanæ curiæ; ut illi pariter qui impedientibus hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem præstant: regulares autem et ecclesiastici suspensionem ipso facto incurrunt tam ab exercitio ordinum quam officiorum, quæ ambæ censuræ sunt reservatæ romano Pontifici: notarii vero, sive tabelliones, recusantes facere hujusmodi provisionum et executionum instrumenta publica ad instantiam partis, privantur officio notariatus, atque infames declarantur.

EXEQUIÆ.

Si testator jusserit sepulturæ mandari corpus suum sine precibus, psalmis et missis, associatione clericorum, candelis ardentibus, ejus voluntas non est attendenda, ut decidit sacr. rota coram Molin. in Romana funeralium die 15. jun. 1699. Inst. Eccl. 36 num. 22.

Clemens XI. mandavit in edicto legendo in ejus Bull. p. 317. ut in associatione funeris cujuscumque serventur leges Ritualis Romani in tit. de Exequiis, et Constituto tempore. Fieri tamen potest ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam præscribat Rituale; quod tamen fieri non debet absque episcopi scientia, ut ex. gr. si deferendum sit cadaver in curru tecto, quod sæpæ alias prohibuit sacr. congr. apud Petram in Constit. Apostol. t. 2. n. 10.

Parochi associantes funus ad ecclesiam regularium arceri non possunt ab ingressu ecclesiæ illius cum cruce et stola, ut ex bulla *Pretiosus* Bened. XIII. ibid. n. 26.

Cadavera sacerdotum, diaconorum, et subdiaconorum exponi non possunt in ecclesia, alia induta veste, quam sacra sui ordinis, ut ex decreto Clementis XI. ibidem.

EXORCISMUS.

Non licet regularibus, contradicente episcopo, exorcisare in propriis ecclesiis. Encyclica ad episcopos Poloniæ, *Magno cum animi.* Bull. t. 3. n. 48.

In epistola ad episcopum Augustanum, Bullar. tom. 1. n. 141. laudatur encyclica Clementis XI. data 21.

junii 1710. qua injunctum est ut nemo exorcisans a norma Ritualis Romani ulla ex parte discedere præsumat.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

Expositio sanctissimi sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab ordinario approbata, etiamsi ecclesia sit regularium, quod ex Trid. sess. 21. c. 8. evincit et statuit sacr. congr. concilii; quanquam ex causa privata licet regularibus in propriis ecclesiis exponere sanctissimum sacramentum, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et hostia sit velata, ut ex pluribus sacr. congr. decr. firmatur. Inst. Eccl. 30. n. 11. et 12.

Reprobatur apud frequentes scriptores usus exponendi palam SS. eucharistiam in festis sanctorum, ibid. n. 15.

Si exponatur sanctissimum sacramentum intra tabernaculum apertum, et in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent ex sensu sacr. congr. ibid. n. 21.

Verum si extra tabernaculum id fiat in ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ, ibid. n. 23.

EXTREMA UNCTIO.

Extremam unctionem verum esse novæ legis sacramentum a Christo Domino institutum, per apostolum Jacobum fidelibus commendatum, et promulgatum, Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu Ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat olei speciem, validitati sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione, sive expressa, sive tacita Romani Pontificis a simplici sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo Ecclesiæ orientalis eruitur. Ita docet Pontifex in tractatu de syn. diœc. lib. 8. cap. 1.

Unctionis extremæ forma in Rituali Romano expressa, est deprecativa; nunquam tamen definitum est ab Ecclesia an hæc ita necessaria sit ut non æque ad sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur: satis enim constat, formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse; constat tamen aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auotoritate non posse.

Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut sacramentum fiat: aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum, et renum unctio; hæc enim in feminis omittitur; illa vero cum gravi incommodo præteriri potest. Ceteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt: num vero singulæ ita sint necessariæ, ut absque illis sacramentum non consistat? alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronuntiata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. De syn. diœc. l. 8, c. 3.

Sacramenti hujus ministros esse sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita definiente Trid. sess. 14, cap. 4. Quanquam vero conferri a pluribus simul sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde pluribus seculis in latinam Ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. De syn. diœc. l. 8. c. 4. nov. edit. Laudabile tamen fuerit, si, dum res sacra peragitur, plures assistant sacerdotes, vel saltem probi viri, *ut oratio totius Ecclesiæ*, ad effectum hujus sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S. Thomæ cap. 43. lib. 4. contra gentes, ib. num. 5.

Ministrare istud sacramentum valide omnes sacerdotes possunt; uni tamen parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate, contra statutum in Catechismo Romano peccant. Quinimo religiosi ægrotum ungentes, minime a parocho petita venia, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt apostolicæ sedi reservatam in Clementina I. de Privilegiis:

excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum caritatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de latinis sacerdotibus cum de græcis alia sit ratio; nam apud istos mos est, nec a romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc sacramento conferendo septem sacerdotes, vel saltem tres præsto sint, ibid. n. 8.

Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est iis quibus certum adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium innituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget græcorum consuetudo ungendi bene valentes; nam, si hoc agant, rati se conferre verum sacramentum, increpandi acriter sunt, et prohibendi; sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per confessarios imponendæ, pœnitentes inungunt, ibid. c. 5.

Providendum est tamen a parocho, ne in hoc sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam ne hoc sacramentum quanquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel ille negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin, nec desunt plures qui opinentur ægrotum, negantem recipere sacram unctionem, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu sacramenti id renuere merito censeri possit, ibid. cap. 7.

Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiæ doctrina non datur, quanquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua sacramenti pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam; nam, si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt, ib. cap. 6.

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint?

Eos profecto hoc sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti aliorum sacramentorum remedio juvari non possint, ibid. cap. 6.

Ordo in hoc sacramento conferendo quanquam non idem fuerit semper in tota Ecclesia, cum alii statim post sacramentalem absolutionem ante viaticum ægrotos inunxerint, alii post viaticum; cum tamen Ecclesiæ romanæ disciplina in Catechismo concilii Tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur, ibid. cap. 8.

Eodem morbo, et periculo perseverante, repetere sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est, ibid. In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit, ut ad sacramenti iterationem parochus propendeat, ibid. Peccat graviter ille qui tamdiu differt extremam unctionem conferre, *cum jam ægrotus omni salutis spe, vita, et sensibus carere incipiat.* Verba hæc sunt Catechismi Romani de Extrema Uunct. ibid.

An teneatur parochus sacramentum hoc administrare peste laborantibus, dictum est v. Parochus. An valeat, si instrumento, nempe penicillo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen hunc ritum in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum. De synod. diœc. lib. 13. cap. 19. n. 17. nov. edit.

Non refert utrum hoc sacramentum conferatur ab uno sive a pluribus presbyteris juxta morem græcorum, dummodo illi credant hoc fieri posse etiam ab uno valide et licite. Necesse tamen est ut sacerdos græcus, qui ungit, idem et formam *pronuntiet.* Bull. *Etsi Pastoralis,* Bullar. tom. 1. n. 57.

FESTI DIES.

Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis; conceduntur tamen, si urgeat vera, et non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festum transferrentur. Petenda est tamen a superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet episcopus parochis

ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent oneratio plaustrorum, collectio frugum, et fructuum, herbam secare, colligere fœnum, quando periculum imminet veræ tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in civitatem, nec posset id commode differri. Instit. Eccles. 55. n. 33. etc.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi, molendinum aqua, seu jumentis, seu vento volvatur; non possunt, inquam, seclusa consuetudine, vel necessitate: quæ necessitas, si adsit, in diœcesi Bononiensi facultas non a parocho, sed a curia archiepiscopali conceditur, ibid. n. 37.

Piscatio inter opera servilia die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est ut operi illi incumbere possint, dummodo id non præstent die nativitatis Domini, epiphaniæ, paschatis, ascensionis, pentecostes, et corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alexandro III. De syn. diœc. l. 13. c. 18. n. 10. nov. edit.

FIDES.

Actus fidei, spei, et caritatis, debent per accidens elici, cum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum. Instit. Eccles. 72. n. 20.

Non sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu caritas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur. Instit. Eccles. 72. n. 20.

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus fidei, spei, et caritatis, illum versari in periculo æternæ salutis firmatur, ibid. num. 21.

Non licet christianis degentibus sub Turcarum imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, turcica sibi nomina, vel retinere, vel imponere; hoc enim pertinet ad externam fidei professionem. Constit. *Inter omnigenas, ad incolas regni Serviæ et finitimarum regionum*; et congregatio universalis inquisitionis in rescripto ad postulata episcoporum alba-

nensium idem edixit. De syn. diœc. l. 13. c. 20. n. 9. nov. edit.

Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publice abjurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ religionis; et curent ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis, eorum abjurationem etiam cum periculo vitæ. Ita ex decr. S. inquisitionis, ibid. n. 17. At in decreto servato in archivio sacr. inquisitionis non legitur hoc additamentum, *curent ut successu temporis*, etc. quare ad id non esse obligandos fideles additur, ibid. n. 18.

GRÆCI.

Græci in Italia degentes ordinem suscipere non possunt, nisi ab episcopo græco Romæ constituto, sive ab altero græco episcopo in Calabria in oppido sancti Benedicti Ullani bisimianensis diœcesis, ut ex constit. Clem. VIII. 34. quam et Benedictus XIV. confirmavit bulla 57. tom. 1. De syn. diœc. l. 2. c. 12. nov. edit.

Quanquam vero habeant aliquando vicarios suos apostolicos ex græcis assignatos, adhuc tamen et vicarius, et ceteri græci omnimodo jurisdictioni latinorum episcoporum subsunt, ibid. n. 8.

Græci non tenentur in symbolo pronuntiare *a Patre Filioque*, quanquam id debeant credere. Ubi tamen viget consuetudo, sicut etiam a Græcis in quibuscumque Italiæ et insularum adjacentium regionibus commorantibus, si ab ordinariis locorum ob aliquam legitimam causam fuerint requisiti, illam addere omnino teneantur. Hæc omnia in bull. *Etsi Pastoralis*, Bull. tom. 1. n. 57.

Licet autem in fermentato eucharistiam conficere permittantur, credere tamen debent etiam in azymo eam veraciter confici, ibid. num. 1.

Item qui in Dei caritate decesserint nondum pene per pœnitentiam purgati, purgatorii pœnis expiandos esse in altera vita, quibus suffragia fidelium viventium prosint.

Item animas purgatas statim in cœlum recipi ad intuitivam Dei visionem. Qui vero cum peccato mortali

decesserint, hos in inferni carcerem protrudi pœnis imparibus puniendos pro imparitate delicti.

Item superioribus hisce adjiciendus est primatus romani Pontificis in universam Ecclesiam, ibidem.

HÆRETICI.

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori pœnitentiario, vel de ejus mandato. Occulti vero sunt, qui etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarunt, nemo tamen illos vidit. Ita in bulla *Pastor bonus*, Bull. t. 1. n. 95. n. 9.

Potest etiam major pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos hæreticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denuntiare, illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis: non vero si illi vivant, ubi inquisitionis officium viget, ibidem.

Principes, vel qui vicarii nomine statui præsunt, dominia, et respublicæ, illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, episcopi, et superiores prælati, in casibus publicis contentis in bulla *Cœnæ Domini*, ab illo absolvi nequaquam possunt, ibid. n. 11.

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incursa censura omnes quicumque etiam S. R. E. cardinales, qui vivente romano Pontifice, de alio eligendo vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusque aut pactiones fecerint, ibidem n. 12.

Nec potest absolvere eos qui per astrologiam judiciariam per se vel per alios de statu reipublicæ christianæ, sive de vita et morte romani Pontificis tunc existentis inquisierint, n. 13.

Denique, neque potest in casibus publicis violatæ immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ, etiam non deductis in judicium, num. 14.

Tenetur episcopus etiam in locis ubi officium S. inquisitionis viget, sedulo curare ut creditam sibi diœcesim ab hæreticis purget; et, si quem repererit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet ne fidei inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero hæreticum ad suum tribunal non minus episcopus, quam inquisitor reconciliare possunt Ecclesiæ, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt

hæreticum, postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem confessarium pro absolutione remittere, quæ tunc data a confessario in foro sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. Ita in tr. De syn. diœc. l. 7. c. 32. n. 3. t. 2. p. 329. nov. edit.

Ab hæresi mere interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata, simplex confessarius absolvere potest, cum hæresis sit summo Pontifici reservata per censuram adnexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit; neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur, quanquam in foro externo tanquam hæreticus puniretur, et nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse, ibidem n. 4.

Si vero agatur de hæresi externa occulta, nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit episcopis a conc. Trid. sess. 24. c. 6. ut per se, non vero per vicarios suos, ab illa absolverent in foro conscientiæ. Sed, cum in bulla singulis annis publicata reservetur romano Pontifici absolutio inter cetera etiam ab hæresis crimine, et in ea bulla derogetur omnibus contrariis decretis cujusvis concilii, hinc quæstio agitatur apud theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi hæreticos in foro conscientiæ. Neganda tamen est illis hæc facultas: nam illis verbis *non obstantibus cujusvis concilii decretis*, omnis concilii Tridentini facultas episcopis adimitur. Quam in rem multa congregationis S. officii, et congregationis conc. afferuntur decreta, et adjiciuntur Pii IV. Greg. XIII. Clem. VIII. vivæ vocis oracula, ne quid dixerim de propositione 3. inter damnatas ab Alexandro VII. *Sententia asserens bullam* Cœnæ *solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est anno* 1629. 18. *julii in consistorio sacr. congr. em. cardin. visa et tolerata est.* Ingenue quidem fatendum hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione sacr. congr. quæ nulla fuit. Vix tamen creditur Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac sacr. congr. approbatione ab ea propositione, nisi et eamdem ipsa propositionem improbabilem judicasset. De synod. diœces. t. 2. p. 336. At nec credi potest

facultatem ab hæresi hujusce absolvendi gallicanis episcopis datam esse, quanquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis cap. 5. evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum etiam est inquisitoribus Hispaniæ et Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex bulla *Cœnæ* sublata est, ibid. t. 2. p. 340.

HOMICIDIUM.

Cum homicidis et bannitis, etiam in casu homicidii voluntarii, major pœnitentiarius potest dispensare, ut religionem approbatam etiam tanquam clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua bulla *Pastor bonus*, Bullar. tom. 1. n. 95. s. 17.

JEJUNIUM.

Dispensatio impetrata in quadragesima vescendi carnibus non continuo deobligat ab unica comestione, quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas, atque interdictas*. Constit. *Non ambigimus*, Bull. tom. 1. n. 19.

Hac vero admixtione vetita est comestio carnium cum piscibus. Ita declaravit Pontifex in epistola ad archiepiscopum Compostellæ, ibid. n. 89.

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere a carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare quam quod ceteri non dispensati, ibidem.

Debent sicut ceteri horam jejunantibus præscriptam in comessatione servare, ibidem.

Id quod præscribitur de non miscendis carnibus cum piscibus, æque servandum est in dominicis quadragesimæ.

Utrumque hoc præceptum unicæ comestionis et cavendæ admixtionis carnium cum piscibus, urget etiam in jejuniis extra quadragesimam, ibidem.

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis et lacticiniis, a piscibus abstinere non tenentur, ibid.

In petendis a Pontifice dispensationibus generalibus a jejunii disciplina pro oppidis, et diœcesibus, monentur episcopi ne faciles se præbeant, sed prius consulendi

medicinæ peritiores, exquirendo ab illis num morbus sit communis, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, adeoque ad præservationem a morbo multum conducere judicent; si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Alia quæ servanda ab illis sunt, latius explicat encylica *Libentissime* etc. Bull. tom. 1. n. 136.

Potum chocolatis die jejunii tolerat Pontifex. Instit. Eccl. 15. n. 10. Vix tamen admittit majorem longe cyathum, nec omnino tolerat sæpius eadem die iterare, ibidem.

Filios seu famulos non servare jejunium quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus, eo quod cum patre familias dispensetur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. Instit. Eccles. 15. n. 25.

Benedictus XIV. in sua const. *Pias Christi fidelium*, Bull. t. 4. n. 2. concedit iterum singulis confratribus confraternitatis sanctæ Mariæ de Succursu, in civitate Januæ erectæ, commorantibus in januensi ditione et dominio, et complentibus statuta seu pia opera in ea præscripta, privilegium ovis et lacticiniis vescendi certis diebus quadragesimæ, nempe diebus dominicis, secundis, tertiis, et quintis feriis. Hoc insuper privilegium antea concessum prorogat eadem bulla ad omnes feriales dies quadragesimæ etiam dominicas, comprehensa pariter dominica in palmis et hebdomada majori, quam in priori privilegio exceperat: sed ab hac exemptione excipit archiepiscopos, episcopos, inferiores prælatos, nec non regulares omnes, et quoad seculares ecclesiasticos, eos qui ad ordinem presbyteratus fuerint promoti, nisi tamen illi sexagesimum ætatis annum compleverint. Vult tamen ut illi omnes exempti legibus jejunii de unica comestione in die subjiciantur. Datur illis pariter privilegium ut bis in vita tantummodo possint absolvi a simplici confessario a reservatis sedis apostolicæ, sic ut etiam id possint in mortis articulo. Declarat vero in n. 3. in eadem facultate absolutionis obtinendæ non comprehendi reservata ab ordinariis locorum.

IMAGINES SACRÆ.

Non est permittenda imago Spiritus sancti sub figura hominis, cum id nunquam obtinuerit in Ecclesia catho-

lica, in epist. ad episcopum Augustanum; sicut nec imago trium hominum æqualium ad repræsentandam sanctiss. Trinitatem, ibid. n. 35. Bull. tom. I. num. 161.

IMMUNITAS LOCALIS.

Ab immunitate locali præter exemptos in bulla Gregorii XIV. alios etiam adjungendos censuit Bened. XIII. in bulla *Ex quo divina*, scilicet sequentes.

I. Impedientes ne quis recurrat ad locum immunem, vel ex eo violenter extrahunt.

II. Interficientes proximum animo præmeditato ac deliberato.

III. Adulterantes literas apostolicas.

IV. Reos furti, seu quid falsi committentes in Monte pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, vulgo *banco*; ex quo crimine arca pecuniaria ita minuatur, ut pene ordinariæ locus sit.

V. Vitiantes seu abradentes aureas argenteasque monetas cujuscumque principis etiam externi cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius et particeps censeri possit.

VI. Illos qui curiam simulantes insinuant sese in domo ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium, aut mutilationem membrorum in eos qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

VII. Homicidium etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur; quod valet tantummodo in ecclesiastica ditione. Inst. Eccl. 41. n. 21.

In eadem bulla immunitate privatur ille qui, stans in ecclesia vel in cœmeterio, interficit stantes extra illa loca, et vice versa.

Ab ea vero immunitate excluduntur non solum respectu ejusdem ecclesiæ violatæ, sed et aliarum omnium, ibid. n. 22.

Declaravit etiam eos censeri grassatores viarum, si unum tantummodo homicidium, seu mutilationem commiserint etiam in via vicinali, ibid. n. 23.

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum

præmium promiserint mandatario, etsi non dederint, homicidium tamen, seu mutilatio commissa sit.

Clemens XII. hanc bullam confirmavit constitutione sua, *In supremo*, et extendit etiam ad ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad majores annis viginti, quos omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adjecit indicia ad tradendum reum judici seculari sufficere, si talia saltem sint quæ ad torturam valeant. Hæc tamen valere statuit tantummodo pro ditione ecclesiastica.

Denique Benedictus XIV. in sua bulla *Officii nostri*, Bull. tom. 8. n. 29. confirmavit ea omnia, declaravitque comprehendi etiam ecclesiasticos, et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo. Exemit vero quando commissum esset homicidium casu aut necessaria defensione; restringet enim quando id agitur ex odio, et nocendi animo.

Declaravit etiam quod, si forte accidat ut vulneretur quis ad mortem, et percussor statim confugiat ad ecclesiam nondum morte secuta, tunc, si chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, tunc reus servatis servandis possit extrahi ab ecclesia, et mancipari carceribus, ita tamen ut, si vulneratus vivat ultra tempus a legibus constitutum, Ecclesiæ iterum restituatur.

Confirmat constitutionem Benedicti XIII. in eo quod privative ad episcopos pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium ejusmodi e loco immuni (quæ facultas dari potest cum adsunt indicia ad carcerationem), adeo ut, si locus sit nullius diœcesis, tunc recurrendum voluerit pro ea facultate ad episcopum viciniorem, et semper cum fit extractio, adsit ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione, construitur processus de mandato episcopi: si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignandus est reus judici seculari (obligando tamen illum sub excommunicatione latæ sententiæ, ut, si reus purgaverit indicia, restituatur Ecclesiæ).

Si homicidium perpetratum est in locis a residentia episcopi remotis, mandat ut de mandato episcopi vicarii foranei indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, statimque ad episcopum transmittant.

Transgressores sacræ immunitatis, etiam quoad pœnas, declarat eos qui sine recursu ad episcopum extrahunt, sive etiam obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum ut se dedat curiæ seculari.

Qui sic egerint, privat eos jure asyli.

Si quæ viget consuetudo inter finitimos principes, ut homicidæ committentes delictum in alterutrius ditione, capiantur et transmittantur ad principem loci ubi delictum commissum est, ab episcopo loci homicidii exquiri jubet indicia, et transmitti ad episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Hæc tamen bulla lata est tantum pro ditione ecclesiastica, et pro illis principibus qui eam postulaverint.

Hæretici, aut de hæresi suspecti, judæi post baptismum in apostaciam lapsi, possunt ab inquisitoribus extrahi ab ecclesia; sed vel ante vel post capturam commoneri debet episcopus. Encycl. ad Inquisit. *Elapso proxime*, Bull. tom. 3. n. 40.

Qui e loco relegationis, sive e carceribus, sive e triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum quæ immunitate privantur, jure asyli potitur, ibid. n. 5.

Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos qui impediunt ne judex ecclesiasticus cognoscat in causis in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam. Inst. Eccles. 40. n. 10.

Si quis reus dolose extrahatur ab ecclesia, et extra illam capiatur non per vim, aut per salvum conductum, ista dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex decr. sacr. congr. die 22. dec. 1716. Inst. Eccl. 41. n. 9. n. 31.

INDULGENTIA.

Indulgentias plenarias solus romanus Pontifex conferre potest cui thesauri Ecclesiæ clavium commissa est custodia. De syn. diœc. l. 2, c. 9. n. 7.

Omnibus episcopis facultas a jure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, et centum in ecclesiæ dedicatione, ex cap. Cum eo, de Pœnit.

Cardinalibus vero centum dierum. Hanc vero indulgentiam etiam regulares lucrantur; cum eorum exemptio non debeat illis in damnum converti. Inst. Eccl. 63. n. 16.

Vicarius capitularis ne indulgentias quascumque conferat abstinere debet. Ita ex decretis sacr. congr. De syn. diœces. l. 2. c. 9.

Pro lucrando indulgentiam non sufficit opera injuncta præstare, ad quæ alias quis tenetur alio titulo, puta justitiæ etc. Encycl. De quæst. in jub. excit. n. 4. Bull. t. 3. n. 21.

Indulgentiæ a Pontifice concessæ iis qui cum confessione et communione ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut ecclesia visitetur post confessionem et communionem, sed sufficit, ut, si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, et communicandi, ut ex pluribus theologis firmatur. Instit. Eccles. 48. num. 10.

Si quis pluries intra eamdem diem ecclesiam aliquam visitaverit, in qua est indulgentia, non ideo pluries indulgentiam acquirit, juxta decr. sacr. congr. sub Innoc. XI. die 7. martii ann. 1678. in declaratione de quæst. pro jub. acquisit. *Inter præcipuos*, Bull. tom. 3. n. 21.

Indulgentiæ concessæ fratribus et sororibus tertii ordinis secularis de pœnitentia S. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit Pontifex, et singulas numeravit, ceteris omnibus revocatis in bulla de nova concessione ejusmodi indulgentiarum, Bull. t. 3. n. 41. *Ad Roman. Pontif.* Sunt autem ejusmodi. Indulgentia plenaria confessis, et sacra eucharistia refectis ea die, qua ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis, et communione refectis die festa sancti Francisci, die 4. octobris, sanctæ Claræ, sancti titularis ecclesiæ, oratorii, vel capellæ ejusdem tertii ordinis, die dedicationis sanctæ Mariæ-Angelorum-de-Portiuncula, dummodo ecclesiam ipsam etc. devote visitaverint, et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis, et communione refectis, et ore, vel si non potuerint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus ecclesiam tertii ordinis, seu oratorium, sive capellam diebus stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiæ illæ conceduntur, quas prædictis diebus visitantes ecclesias Urbis, et extra eam consequuntur.

Confessis, et sacra communione refectis in festo stigmatum sancti Francisci, sancti Ludovici Galliarum

regis, sanctæ Elizabeth reginæ Portugalliæ, itemque sanctæ Elizabeth Hungariæ reginæ, sanctæ Margaritæ-de-Cortona, atque duodecim aliis anni feriatis vel dominicis diebus ad libitum eligendis, et a superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiæ.

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint misssis, aut divinis officiis in ecclesia, ut supra celebrandis, seu congregationibus publicis, vel privatis tertii ejusdem ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint, vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut processiones de licentia ordinarii faciendas, sanctissime eucharistiæ sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem, si sunt impediti, ad signum campanæ orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint; item, si quinquies orationem dominicam, et salutationem angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus, et sororibus recitaverint; item si peccantem ad pœnitentiam redegerint, doctrinam christianam rudes docuerint, tandem quoties opus aliud pietatis, vel caritatis, exercuerint.

Indulgentiæ pro fratribus tertii ordinis sancti Francisci-de-Paula conceduntur a Pontifice instar fere indulgentiarum pro illis qui tertium ordinem sancti Francisci-de-Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequantur in festo sancti Francisci-de-Paula, sancti Francisci Salesii, dedicationis sancti Michaelis archangeli, et in festo omnium sanctorum, si visitaverint ecclesiam aliquam ordinis, si ibi sit, et in defectu unam aliquam civitatis, vel loci ubi degunt. Ceteræ indulgentiæ eædem omnino sunt ac superiores pro tertiariis sancti Francisci assisiensis. Quoad cordigeros sancti Francisci-de-Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus ordinis, vel ab alio deputato a superioribus ejusdem ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt, confessi et sacra communione refecti, plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in festo sancti Francisci-de-Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo quo tertiarii sancti Francisci

assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem Domini Jesu Christi, et sanctorum apostolorum preces effuderint. Denique cordigeri illi, sicut et tertiarii pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a tertiariis sancti Francisci assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Bulla pro indulgentiis tertiariorum sancti Francisci de Paula inexhausti. Bull. t. 3. n. 56.

Indulgentiæ plenariæ iu articulo mortis ab episcopis per benedictionem impertiendæ. Vid. Episcopus.

Docentes rudes homines publice vel privatim orationis mentalis regulas, et modum, itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes, ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos, et totidem quadragenas de vera indulgentia. Item, si assidue eo convenerint semel in mense, vere pœnitentes, et sacra communione refecti, orantesque pro more indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur, quam pariter ita obtinent ii qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes et confessi, eucharistiam sumserint, et orent pro concordia etc. Concedente hæc omnia Pontifice in bulla *Quemadmodum*, Bullar. tom. 2. n. 23. pag. 161.

De validitate indulgentiæ Portiunculæ, ejusque extensione ad omnes alias ecclesias ordinis sancti Francisci ambigi non potest; nullo licet exstante authentico documento, scientibus, et non contradicentibus romanis Pontificibus. De synod. diœc. l. 13. c. 18. n. 5. nov. edit.

Item nec de indulgentiis Ecclesiæ lateranensis, quas approbavit et ex integro concessit Benedictus XIV. in bulla *Assiduæ solicitudinis*, ibidem.

Indulgentias *in forma jubilæi* concessas abrogavit Clemens VIII. aliique quidam Pontifices; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit num post ea decreta concessa fuerit, ut ex tractatu de Indulgentiis P. Theodori, part. 2. c. 4. n. 2. ibid. n. 9.

Clemens XII. in suo Brevi dato die 14. aug. 1736. indulgentiam plenariam, die ad libitum quotannis eligendo, concessit iis qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint ps. De profundis,

vel semel orationem dominicam, et salutationem angelicam, cum versiculo Requiem in suffragium defunctorum: dummodo ea die confessi, et communione refecti, preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulæ recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur. Institution. Ecclesiast. 61. num. 5.

INFIDELITAS.

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Pontifex in suis decretis pro incolis regni Serviæ, incipientibus *Inter omnigenas*, Bull. tom. 1. n. 89. nomina turcica assumere, infidelium templa, scilicet moschæsas frequentare, jejuniorum dies per carnium esum profanare ad effectum ut mahumetani credantur. Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent, cum istorum assistentia, et mahumeticis adhibitis ritibus.

INTERDICTI.

Interdicti ab ingressu ecclesiæ assistere non possunt missæ, et divinis officis; neque coram illis potest missa celebrari in ecclesia. Spectat vero ad ministros ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suarez docemur missam jam incœptam non esse omittendam. Inst. Eccl. 55. num. 11.

Interdicti ab ingressu ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter DD. ibidem.

Interdicti ab ingressu ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione paschali, si contumaces se præbuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur. Institut. Eccles. 55. n. 11.

IRREGULARITAS.

Major pœnitentiarius in casibus occultis, et pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum

laicis quam cum ecclesiasticis, vel secularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates, etiam cathedralis, et quæcumque beneficia eccleciastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonice obtentas retinere; nec non ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor Bonus*, Bullar. tom. 1. n. 95. n. 15.

Ubi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcumque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen ordinis generalatu in irregularitate ex defectu natalium, ibid. n. 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis, in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus, ibid. n. 32.

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio, et pensione, ut ex decis. rotæ romanæ. Instit. Eccles. 101. num. 18. Quoad hanc irregularitatem hæc accipe. Clericum in sacris constitutum militantem, et arma ferentem in servitium alicujus laici principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est incidisse in irregularitatem, licet mortaliter certus sit se neminem mutilasse, vel occidisse, ut ex decr. sacr. congr. in Ipren. *Irregularitas* erui posse videtur, ibid. n. 10.

Idem forte affirmari potest de clerico in minoribus beneficiato, cum ea quæ vetantur ordinatis in sacris, etiam beneficiatos clericos comprehendant, ib. n. 23.

Clerici in minoribus, si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala in qua militant, homicidia commiserit, seu mutilaverit, inducit in eos clericos irregularitatem: in eo enim casu clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitæ, ibid. n. 8.

Porro, si ille militaverit sub suo principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare num justum sit, necne; sed potest credere bellum esse justum, ibid. n. 17. Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno principe; quia impossibile esset illi indagare num sit bellum istud justum, vel injustum, ibid. n. 17.

Si vero bellum esset justum, clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, uti ex cap. Petitio, de Homicidio, voluntario, ibid. n. 10.

Demum, si bellum sit justum, et defensivum, si clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem, etiamsi occiderit, ibid. n. 9.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus, et beneficiis non habentibus adnexam animarum curam, potest episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero romanus Pontifex in aliis omnibus, et ex cap. Is qui, de Filiis Presbyter. in 6. De syn. diœc. lib. 13. c. 24. n. 11. nov. edit.

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia, et pensiones in ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque eisdem ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt, ex Tridentino sess. 25. cap. 15. de Ref. sicut et nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur. De syn. diœces. l. 13. c. 24. n. 13. nov. edit. Quin, nec filius illegitimus parochi jam defuncti munus confessarii obire potest in ea ecclesia quam pater parochus obtinuit ex verbis congregationis vetantis ne filii illi in ea ecclesia *quoquo modo ministrent*, et ex responso sacr. congr. habetur, ibid. n. 14.

Vicissim autem, si pater in aliqua ecclesia munus gessit capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium seu pensio, ut ex responsione sacr. congr. ibidem.

Si vero pater dignitatem in ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum quæ sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso sacr. congr. ibidem.

Si patronus beneficii rectorem interfecerit, ejus filii, et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex cap. In quibusdam, de Pœnis: intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante;

quæ est interpretatio ab ipsa etiam sacra congregatione admissa, ibid. num. 21. et ipse, ac reliqui ad patronatum vocati ab eo jure cadant, ibidem.

Si pater in hæresim inciderit, etiam filius erit irregularis, ex cap. Quicumque, et cap. Statuit, de Hæretic. in 6. At relicta a patræ hæresi non quidem ejus, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis sacr. congr. ibidem.

In dispensationibus quæ dantur pro irrigularitate filiorum illegitime natorum, apponi solet clausula, *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit;* ex quo fit ut episcopus debeat inquirere in illum, et quærere numquid per decennium moribus integrum se præbuerit; et, si toto decennio nihil indignum admisisse compertus sit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex decretis sacr. congr. De synod. dioeces. l. 13. c. 24. num. 22. nov. edit

JUBILÆUM.

In jubilæo anni 1750. Benedictus XIV. suspendit toto eo anno indulgentias omnes etiam non plenarias; exceptis indulgentiis alias concessis in articulo mortis, tam illis quas ex concessione apostolica impertiuntur episcopi, quam aliis quibuscumque communiter, aut personaliter concessis pro eodem articulo; item illis quas lucrantur fideles recitantes salutationem angelicam ad sonum campanæ: item excepta indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum toties quoties quas lucrantur ex concessione Ben. XIII. durante præterito anno jubilæi, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti, vel saltem vere contriti visitaverint ecclesias in quibus expositum est sacramentum eucharisticum, et oraverint de more: item illis quas concessit Innocentius XII. comitantibus, seu mittentibus facem cum sacramentum eucharistiæ ad infirmos defertur: illis quoque quas concedunt legati de latere, ut nuntii apostolici, ac episcopi in usu Pontificalium, aut in benedictione impertienda: item perseverare concedit indulgentias altarium privilegiatorum pro defunctis, pro quibus etiam valere statuit alias quascumque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in

brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi a casibus apostolicæ sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, et in eis dispensandi, et tollendi irregularitates alias concessas ecclesiis, monasteriis etc. piisque locis, magistris, superioribus tam secularibus quam mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias quas solebant coronis, granis, imaginibus, et numismatibus ex metallo etc. Vide bullam *Cum nos*, Bull. tom. 3. n. 18. Excipit tamen facultates episcoporum, et ceterorum supremorum antistitum quoad diœcesanos in iis quæ obtinent ex vi Tridentini, et Pontificum concessione in ordine ad dispensandum, et absolvendum quod etiam extendit ad prælatos regulares subditos.

Quoad opera præscripta in hoc jubilæo mentem suam ita exponit Pontifex in sua encyclica *In hac constitutione*, Bull. tom. 3. n. 21. Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul, et spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera injuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem intra quem basilicarum visitatio compleri debet, liberum est incipere, sive a vesperis diei præcedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive a media nocte ad mediam noctem.

Qui iter romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, et subita impedimenti, vel mortis incursione opera injuncta præstare non valuerant, confessione expiati, et sacra communione refecti jubilæum lucrantur.

Facultates absolvendi a reservatis, et dispensandi, omnes se suspendisse declarat, sive quæ quarumdam indulgentiarum occasione conceduntur, sive quæ alia de causa collatæ sunt.

Regularium confessiones excipere possunt Romæ pœnitentiarii basilicarum, licet alias obstent eorumdem regularium constitutiones, vel privilegia a sancta sede approbata.

Minores pœnitentiarii Romæ commutare possunt dispensando, non solum vota nuda, sed et quæ confirmata sunt juramento.

Item absolvere possunt sacerdotes reos censurarum, et dispensare in irregularitate contracta ob violationem

censurarum tantummodo; quod et præstare possunt cum aliis etiam clericis non sacerdotibus,

Si quis est dispensatus a visitatione basilicarum, non continuo est dispensatus ab aliis operibus injunctis, neque etiam a precibus *quæ a basilicarum visitatione separari possunt.* Nec sufficiunt ea opera injuncta quæ quis ex alio titulo præstare alias tenetur, puta, titulo justitiæ.

Confessarius neque in jubilæo potest absolvere illum qui secum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus uti nequeunt pœnitentiarii extra basilicas, seu ecclesias sibi assignatas, nec nisi in actu confessionis, neque cum iis quibus sincera voluntas jubilæi acquirendi deest. Quos tamen absolvunt, illis pœnitentiam sacramentalem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando jubilæo.

In censuris absolvendis præmitti, vel saltem promitti cum juramento debet satisfactio parti læsæ. Læsa vero pars non est judex, sed ille qui damnum passus est.

In constitutionibus jubilæi alia opera præscribuntur Romanis, vel Urbis incolis: alia peregrinis. Priori nomine designantur illi qui intra quintum ab Urbe lapidem habitant: sicut et incolæ Urbis dicuntur qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem transigendi; sicut et intra eorum numerum comprehendi vult Pontifex, qui alia quam jubilæi consequendi causa Romam advenerint. Ceteri omnes peregrini aut exteri ad hunc effectum vocantur.

Censet Pontifex valere communem opinionem theologorum, quæ non obligat præmitti confessionem ad opera præscripta; sufficere enim ad lucrandum indulgentiam credit, si postremum opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, deinde ante completa opera recidat in lethale peccatum, non sufficere illi vult si conteratur, et sic contritus opera perficiat; vult igitur ut, quamvis non teneatur præstitas visitationes repetere, debeat iterare confessionem, idemque ab eo præstandum esse dicit, qui in priori confessione invincibiliter oblitus sit subjicere clavibus peccatum aliquod mortale.

Cum pueris qui de jure incapaces censentur communionis dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad indulgentiam lucrandam non requiritur ut per portam sanctam quis ingrediatur et egrediatur.

Si quis visitationes aliquas basilicarum præmisit, dein per indultum quod emitti solet intra spatium anni sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes præcedentes, et indulto uti; sicut etiam eadem indulgentia utendum cum illis qui ante indultum numerum totum implessent visitationum ab indulto dein emanato præscriptarum.

Mentem esse suam dicit ut vocalis fiat oratio in basilicis, nec sufficere si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera injuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam: sed alios favores et gratias quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minime potest, puta iterum absolvi a reservatis, aut novorum votorum commutationem obtinere.

Quanquam concessa sit pœnitentiariis minoribus et confessariis a cardinali vicario Romæ deputatis, facultas absolvendi a peccatis reservatis in bulla *Cœnæ*, non ideo tamen ea facultate generali data est facultas absolvendi ab hæresi externa.

Declaravit insuper in sua constitutione, quæ incipit *Convocatis*, num. 54. illum qui, ex intentione recipiendi jubilæum, absolutionem a censuris, et votorum commutationem obtinuit, si postea, mutata intentione, jubilæum non recepit, non ideo incurrere iterum censuram, et votis prioribus obstringi; sed inclinat in sententiam ut reus habeatur peccati mortalis qui ita voluntatem suam mutat: censet enim hic quemdam tacitum contractum celebrari, ut confessarium ex sua parte illum participem reddat gratiarum jubilæi, et ex parte altera pœnitens se obliget ad reliqua opera præstanda.

Præter pœnitentiarios basilicarum, et alios a cardinali vicario deputatos pro anno sancto, sunt etiam Romæ alii confessarii ordinarii; ex quibus alii regulares sunt, et ex regularibus alii a suis superioribus destinantur ad suos conregulares auscultandos in confessione; alii vero regulares a cardinali vicario pro excipiendis secularium confessionibus approbantur. His postremo a cardinali vicario approbatis respectu suorum conregularium concessæ sunt facultates quæ dantur confessariis secularium, adjecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursa, dummodo sit occulta; quæ tamen facultas non suppetit illis regularibus qui tantum a superiore suo deputati sunt.

Qui vero a cardinali vicario consuetam facultatem habent audiendi confessionem, nec sunt specialiter deputati pro anno sancto; illis eadem facultas quoad seculares remanet, quam prius obtinebant, neque enim suspensio facultatum quæ fit in anno jubilæi, confessarios Urbis Romæ comprehendit: quod habet locum etiam in regularibus.

Hæc omnia Pontifex late explicat, et exponit in sua encyclica ad pœnitentiarios, et confessarios Urbis, *Inter præteritas*, Bull. tom. 3. num. 21. Ad hanc encyclicam recurrendum edicit Pontifex in altera encyclica *Celebratione magni*, pro extensione jubilæi ad universum orbem, Bull. tom. 3. num. 28.

In altera bulla quæ continetur in Bull. tom. 3. num. 24. conceditur infirmis utriusque sexus, monialibus, oblatis, tertiariis in communitate viventibus, novitiis, et educandis, in eisdem communitatibus degentibus; item anachoretis, et eremitis, viventibus cum clausura, et solitudine sub regimine saltem ordinariorum; item captivis, et carceratis quocumque in carcere: denique infirmis, tam secularibus quam regularibus, senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo episcopi et superiores commutent illis opera injuncta; insuper concedit monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice dumtaxat ad effectus jubilæi consequendi eligere sibi confessarios, seu regulares, seu presbyteros seculares ex approbatis ab ordinariis ad audiendas moniales. Anachoretis vero, oblatis, tertiariis, mulieribus etiam in conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate, ac senectute impeditis, omnibus etiam regularibus facultas datur ad hunc effectum, ut possint sibi eligere in confessarium, sive presbyteros seculares, sive regulares cujuscumque ordinis ad confessiones secularium audiendas approbatos; a quibus absolvi possunt a reservatis etiam apostolicæ sedi, et in bulla *Cœnæ*. Vult tamen ut in carcere detenti, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, moneantur de obligatione qua tenentur judicibus secularibus juridice interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam ut confessarii illi a monialibus, oblatis, aliisque puellis supradictis electi, possint dispensare in votis a monialibus emissis post professionem, quorum observantia cum professione religiosa componi potest.

Quoad vero novitias educandas, sicut et quoad tertiarias, et in conservatoriis degentes, concedit ut possint confessarii dispensare quoad vota, etiam jurata, exceptis apostolicæ sedi reservatis.

Alia etiam bulla quæ incipit *Pastoris æterni*, Bull. tom. 3. n. 24. concedit apostatis et fugitivis cujuscumque ordinis, qui citra montes intra quatuor, et ultra montes intra octo menses a publicatione (publicata est die 19. Januarii 1750.) ejusdem bullæ redierint ad suam religionem, remissionem omnium pœnarum propter apostasiam incursarum et infligendarum, et insuper impunitatem, dummodo coram superiore suo culpam deprecentur, et ab eo absolutionem obtineant.

Jubilæi extensio per universum orbem ita facta est. Intra sex menses a publicatione bullæ suæ incipientis *Benedictus Deus*, Bull. tom. 3. n. 17. a publicatione, inquam, in qualibet ecclesia facienda concedit Pontifex jubilæum instar romani, quod obtineri etiam ab iis possit qui anno præcedenti jam Romæ illud lucrati fuerant.

Deputandam vero edicit ab ordinariis locorum ecclesiam cathedralem, seu majorem ejusdem civitatis cum aliis tribus ejusdem civitatis, seu loci, sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos, vel interpolatos visitare, die incœpta a primis vesperis diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consueto.

Navigantes et iter agentes, etsi redierint elapso jubilæi termino ad sua domicilia, seu alio diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus ecclesiam cathedralem, vel majorem, et confessionem ac sacram communionem exceperint, eamdem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis, ut pro visitationibus alia opera præstanda designentur a superioribus suis per se, vel per prudentes confessarios. Communionem etiam sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum communitatibus vero, tam regularium quam secularium, capitulis, congregationibus, sodalitatibus, universitatibus, collegiis processionaliter visitantibus ecclesiam, visitationum hujusmodi numerum restringi permittit.

Quoad moniales et novitias concedit ut eligere sibi

possint ad hunc effectum confessarium quemcumque ex approbatis ad moniales ab ordinario actuali loci.

Quoad ceteros omnes etiam regulares, concedit ut possint sibi eligere quemcumque confessarium tam regularem quam secularem ab actuali ordinario loci approbatum, a quo absolvi possint in foro conscientiæ ab omnibus censuris a jure vel ab homine latis, etiam apostolicæ sedi reservatis, etiam in bulla *Cœnæ*, et commutari eorum vota etiam jurata, et apostolicæ sedi reservata, excepto voto castitatis, et religionis, et iis quibus jus tertio acquisitum est, et dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo quæ contracta est ob censurarum violationem. Reservat vero de more absolutionem complicis in re venerea: ac tandem declarat eum qui prædictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi jubilæum, non ideo incidere in priores censuras, seu votis astringi, quanquam *a peccati reatu vix immunem censeri posse* judicat; tandem eos qui morte præventi visitationum numerum complere nequiverint, confessos, et sacra communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in bulla jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi bulla absolutionem a criminibus in bulla *Cœnæ* expressis in genere permittat, ut decrevit sacra congregatio sancti officii die 23. martii 1656. sub Alexandro VII. Institut. Eccles. 48. n. 15.

In jubilæo, confessarii ab ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi; sicut nec habent illi qui ab ordinario loci simul quidem illam obtinuerunt; sed modo cessavit. Ita ex pluribus decr. sacr. congr. Instit. Eccles. 84. n. 27. ubi tamen ex sensu ejusdem congregationis additur fideles sic bona fide ab ejusmodi confessariis absolutos non esse inquietandos, ibid. num. 27.

JUDÆI.

Si judæus conjugatus ad fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi libellum repudii mittere, etiam extra judæorum domicilium, et coram notario, testibusque christianis. Sanctioni huic contravenientes si forte repudium confecerint intra judæorum domicilium, et ritibus superstitionis adhibitis, sub-

jacent eisdem pœnis ac judaizantes; mitioribus tamen puniendus est qui id confecerit extra judæorum domicilium: puniuntur pœna pecuniaria notarii christiani. Ita in constitutione *Apostolici ministerii*, Bull. tom. 2. n. 38. ubi edicitur etiam ne uxor hebræa ad fidem conversa libellum repudii mittat viro in judaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione cum hebræis cohabitare, ex cap. 5. de Judæis, De synod. diœces. lib. 6. cap. 4. num. 2. sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere, ibidem.

Hebræi ad fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec a successione, et parentum hereditate excludendi, ut ex bulla Clementis XI. *Propagandæ*, ibidem.

Descendentes a Judæis, nisi aliter cautum fuerit in beneficiorum fundatione, vel nisi aliter summus Pontifex statuerit, arceri non possunt, etiam ex constitutionibus privatarum ecclesiarum, a consecutione beneficiorum, ut ex cap. Eam te, de Rescriptis; idem pariter dicendum de illis qui ex infidelibus descendunt, De synod. diœcesan. lib. 7. cap. 75. num. 4. et 5. idem etiam dicendum de ordinibus sacris, ibidem num. 5. tom. 3. pag. 175. nova editione.

JUDICES SYNODALES.

Judice synodales, quibus a romana curia committuntur judicandæ causæ in partibus a curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum, in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab episcopis in synodis; et, si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi; designatorum vero sive in synodis, sive extra nomina secretario supplicum libellorum Pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. Constit. *Quamvis paternæ*. Bull. tom. 1. constit. 28.

JURISDICTIO.

Inferior prælatus ad hoc ut territorium separatum, et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem, in clerum et populum obtineat, cum ipsius episcopi exclusione, non juvatur per quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio sacr. congreg. conc. die 7 januarii 1721. dein approbata a Clemente XI. die 14 januarii, et confirmata a Benedicto XIV. in suo Bull. tom. 2. constit. 33. Tunc autem dicetur consuetudorite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus in cujus diœoesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, nec in iis se unquam miscuerit. De syn. diœc. lib. 13. cap. 8. n. 18. et 21. nov. edit.

Episcopi, licet habeant capitula quantumcumque exempta, possunt per seipsos sine adjunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos, et beneficiatos, ut decisum a sacr. congregatione concilii in quadam causa Zomarensi, quamvis non possint committere hoc munus alteri. De syn. diœc. lib. 13. c. 9. n. 6. nov. edit.

Si tamen extra visitationem velint contra canonicum procedere, tenentur duos ex capitulo canonicos adjunctos habere, a capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo canonici constituunt unum tantummodo suffragium; et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Trident. sess. 25. cap. 6. de Ref. præscriptam. Ita ex pluribus decretis S. congregationis concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6. cap. 4. altero in sess. 25. c. 4. De synod. diœces. lib. 13. cap. 9. nov. edit.

LEGITIMATIO.

Per sequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est

sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Epistola ad archiepiscopum Hispaniolæ, Bull. tom. 1. n. 133. *Redditæ nobis.*

LEX ECCLESIASTICA.

Lege episcopali vel synodali non tenentur illi qui in diœcesi quidem degunt, sed extra diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se et immediate territorium respicit. Verum, si quis e diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eamdem legem. Ita Clemens X. in constitut. *Superna*, edixit pœnitentes recidentes a territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. De synod. diœc. lib. 6. c. 8. n. 10. t. 3. p. 301.

Lex ab episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio capituli, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem episcopi, neque enim habet quid diversum a lege in synodo lata, quam etiam defuncto episcopo perseverare satis constat. De syn. diœc. l. 13 c. 5. n. 1.

Lex synodalis si non acceptetur a populo, quamvis peccent non acceptantes, tamen, si id sciat superior post paucos actus ab eo neglectos, et non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conniventia. De syn. diœc. lib. 13. cap. 5. n. 3. si vero id nesciat episcopus, tunc decennium sufficere censetur; hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur, ibid. lib. 13. cap. 5. num. 3. nov. edit.

Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium: neque enim agitur de præscriptione qua aliquod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur; quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris juridicus saltem et legalis, qualem scilicet leges requirunt. De synod. diœc. lib. 13. cap. 5. n. 5. nov. edit.

Lex synodi diœcesanæ obligans totam provinciam.

si obtinuerit confirmationem a sede apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: *Si juste, canonice, ac provide facta sunt, et dummodo sacris canonibus, concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur.* Tunc utique abrogari ab episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo: si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur, *ex motu proprio, atque ex certa scientia,* tunc utique fit lex Pontificis, in qua episcopus dispensare non potest. De syn. diœc. l. 13. c. 5. n. 11. nov. edit.

MATRES.

An mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa? Theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant, nec ulla sint bruta, quæ natis suis id non præstent. Alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen pluries legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. De syn. diœc. l. 7. c. 58. num. 11. t. 3. p. 107. nov. edit.

MATRIMONIUM.

Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus. In encyclica ad episcopos Poloniæ, *Nimiam licentiam,* Bullar. tom. 1. n. 90.

Abstinendum Pontifex ab ea censet quæstione inter theologos agitata, num parochus sit hujus sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, et ministri hujus sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta late exposita videnda sunt in syn. diœc. lib 7. c. 28. quanquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractus et sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi qui a contracturis matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ christianæ saltem eorum quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI. et ipse etiam Benedictus XIV. in quadam encyclica, quæ est in ejus

Bullario tom. 1. num. 42. ut parochus ab inituris matrimonium exquirat interrogando quæ ad salutem necessaria sunt, et si deprehenderit ignorasse, matrimonio jungendi non sint. Monet insuper cum Giribaldo, illos qui præcipua fidei mysteria sciunt; ea vero quæ sunt de necessitate præcepti rudi solum modo tenent, illos quidem aliquamdiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim parochus illos diligenter doceat; et, si deprehenderit rudiores esse ingenio, et exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem conjungere, ibid. cap. 29.

Matrimonium coram parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, celebari debet, quæ verba sunt Tridentini de Ref. Matrim. sess. 24. c. 1. Reprehendendum vero censet Pontifex episcoporum quorumdam oscitantiam, qui in synodis suis edixerunt celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, parochum esse legitimum sacramenti matrimonii ministrum.

Si episcopus generatim interdicat parocho ne matrimoniis assistat, adhuc tamen matrimonium valere definit sacr. congregat. conc. et firmat Pontifex in tr. De synod. diœc. l. 7. c. 68. n. 11. t. 3. p. 209. nov. edit.

Si vero interdictum istud venerit a Pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex jure suo possit impedimenta constituere; nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet; cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit, ibid. n. 3.

Parochus coram quo celebrari potest matrimonium, est parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum, et sensu sacr. congr. constat. Inst. Eccles. 33. n. 6. Quare, si quis habeat duo domicilia in duplici parœcia, in alterutra matrimonio jungi potest; attamen, ad habendum duplex domicilium, requiritur ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. Instit. Eccl. 33. n. 6. Parochus ruralis quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius qui ibi moratur causa recreationis, et ad rusticana negotia: ita enim perpetuo censuit sacr. congreg. ibid. num. 7.

Nullum est matrimonium ejus qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonium,

non adepto novo domicilio: seu quasi domicilio; ita ex sensu perpetuo sacr. congreg. ibid. n. 8.

Vagorum parochus quoad matrimonium, est parochus loci ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium theologorum, ibid. n. 10.

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi qui, relicto proprio domicilio, aliud quæsituri vagantur; peregrini vero qui, non relicto domicilio, peregrinantur alicubi, ibid. n. 10.

Scholares, judices, medici etc. qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore: ita ex DD. et decr. sacræ congregationis, ibid. n. 11.

Quoad matrimonia eorum qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, parocus loci ubi carcer situs est, est parochus matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc parochus eorum est ille ubi habent domicilium: ita ex sensu S. congr. et DD. ibid. n. 12

Parochus eorum qui expositi sunt, et in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est cappellanus ejusdem hospitalis, sed parochus ubi situm est hospitale, ut ex decretis sacr. congregationis, ibid. num. 14.

Educandæ in monasterio degentes habent pro parocho matrimonii illum in cujus loco est domicilium paternum, maternum, vel fraternum, ut ex multis theologis, ibid. n. 16. si eo careant, est parochus loci ubi est monasterium.

Famuli habentes domum et familiam in alia parœcia diversa ab ea quam habet domus heri, parochum matrimonii habent illum in qua est domus et familia; ita ex statutis cleri romani, ib. n. 20. disponitur: si vero domicilium familiæ habent extra urbem, et in urbe famulatum, tunc coram parocho urbano contrahunt. Inst. Eccl. 88. n. 5.

Si episcopus mandet alicui parocho ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus, et si postea reperiatur vere non esse parochum illorum, adhuc tamen mandatum episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, uti semel et iterum decisum a sacr. congr. refertur Instit. Eccles. 88. num. 4.

Matrimonium etiam bona fide contractum coram parocho et unico teste non valet, ut ex responso sacr. congregationis concilii constat. De synod. diœces. lib. 12. cap. 5. nov. edit. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine parocho in loco ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest, ibidem.

Parocho præsente, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a sacr. congregatione concilii post diligens examen in causa romana die 7. martii 1700. At, si parochus *affectaverit non intelligere* verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593. in causa Ulyssiponensi sacr. congregatio De syn. diœc l. 13. c. 23. nov. edit.

Tunc vero *non audire affectat* parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, et testes audierint, et viderint, quæ sane ratio fuit decreti sacr. congregationis in carthagin. matrim. anno 1753. lati pro similis matrimonii validitate, ibid. num. 11.

Parochus, cui interdictum est ab episcopo ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum; ita ex decis. S. congr. De synod. diœc. l. 13. c. 23. n. 1. nov. edit. idem dicas, si ordinarius tantum vetet vicario parochi ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est si vel parochus, vel ejus vicarius probibiti ab episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur, ibid. ex eodem decreto.

Matrimonio jungendi non sunt sponsi a parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem. Encyclica *Etsi minime*, Bull. tom. 1. n. 42.

In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est conjugem, qui ad fidem transiit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, et sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum Pontifex cum neophytis baptizatis pii loci catechumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie et extrajudicialiter illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit infideles illos tempore secundi matri-

monii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos. Constit. *In suprema*, Bull. tom. 1. n. 117.

Si infidelis conjux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad episcopum) tunc decrevit sacr. congregatio non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At, eo ipso quod alter velit in infidelitate perseverare, censent theologi plures satis esse periculi in neophyto. Verum hujus dubii solutionem recte monet Cabassutius ex moribus regionum, et casuum circumstantiis pendere. De syn. diœc. l. 13. c. 21. n. 1. nov. edit.

Accidit ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa quæ prior ducta est, quæ, propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit, requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa quæ venit ad fidem matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram parocho et testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus fuisset nullus propter matrimonium prius cum altera celebratum), comparet uxor prior, et probat se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam, ùt suam voluntatem manifestaret, nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendum, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu Pius V. concessit missionariis ut cum judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tanquam cum uxore legitima, cum ea uxore quæ fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII. episcopis, parochis, et e societate Jesu presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis regionibus approbatis, quoad eos qui ab Anglia, Æthiopia, ac Brasilia, in captivitatem adducti, et in remotas regiones delati fuerant, ut, non expectato nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, matrimonium inire possint cum quocumque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent se juste fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias regiones, quantum-

vis similes rationes suppetant, clare constat. Quare, si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a sanctissimis Pontificibus. De syn. diœc. nov. edit. l. 13. c. 21. n. 3. et seqq.

Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet; ut si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum sit, cum matrimonium institutum sit ut unicam habeat, ibid. n. 8.

Si matrimonium ineatur inter duos qui pravum habent errorem substantiæ matrimonii repugnantem, ut inter græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati matrimonii: ita resolvit sacr. congr. concilii 15. januarii, 1724. De syn. diœc. l. 13. c. 22. n. 4. nov. edit.

Verum, si hæc opinio deducatur in pactum tanquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiæ matrimonii repugnans, ex Decretali Gregorii IX. cap. de Appositis, ib. n. 5. Hinc, quem subdo, casus resolutus est a sacr. congr. die 20. maii anni 1754.

In formula quam calvinistæ in conjugiis ineundis adhibent, minister sponsum interrogat: *Accipisne illam in uxorem?* Respondet ille: *Accipio.* Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: Personam, quam manutenes, amas, et accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres, *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit?* Tantundem dicit sponsæ. Porro illud quoadusque in sua honestate et puritate permanserit, in sensu calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur hæc conjugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii: quæ sane perpetuitas essentiæ conjugii adnexa est, ut ex conc. Florentino in decreto de Unione Armenorum, et instructione Clementis VIII. pro Italo Græcis, confirmata a Benedicto XIV. sua constitutione *Etsi pastoralis*, quæ est 57. Bull. tom. 1. constat. Quare, optime definitum in congr. sancti officii die 20. maii 1754. conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. De syn. diœc. l. 13. c. 22. n. 9. Neque obstare judicatum est prius dixisse utrumque

sponsum; Accipio hunc in conjugem, deinde ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse; quia et prior et secunda interrogatio unus idemque actus judicatus est.

Ex his etiam resolutus est a sacr. congregatione casus alter die 8 julii 1724. Vir et femina convenerunt ad celebrandum matrimonium coram Ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier monasterium ingrederetur, et post probationis annum profiteretur; interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset, consenseratque, ut, si ab his pactis defecisset, matrimonium nullum irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt, ac significata testibus et parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc matrimonium nullum esse declaravit sacr. congreg. ex cap. Si conditiones, de Condit. Apposit. nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiæ matrimonii. Quamvis enim in ipsa matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ, constabat tamen ex antecedentibus, et sequentibus simul junctis, conjuges ab iis non recessisse, ibid. n. 10.

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur, et alter renuit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit. Epistola ad vicesgerentem de baptismo Hebræorum etc. *Postremo mense* etc. Bull. tom. 2. n. 28. Vide et De synod. diœcesan. lib. 6. cap. 4. num. 4. nov. edit.

Hebræi cum hæretica non valet, obstante cultus disparitate. Epistola ad cardinalem ducem eboracensem data die 9. febr. 1749. n. 11. et seq.

Num in casu quo alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero qui non vult cohabitare sine injuria Creatoris, dein vero et ipse ad fidem conversus sit, atque interim, postquam secundus licet ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit, in eo casu suadendum sit Pontifici ut matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, ambigit merito Pontifex, et censet id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ. De synod. diœces. lib. 6. cap. 4.

Catholici qui cum hæretico matrimonium celebrant, etiam in locis hæreticorum, gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant; quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est: si vero, postquam sic contraxerint coram parocho catholico, possint iterum coram ministro protestante conjungi ad evitanda gravia damna, quæstio est, ad quam sacr. congr. respondit: Minister hæreticus si assistat hisce matrimoniis, ut minister politicus, tunc a catholicis peccatum non committitur: secus vero, si assistat ut minister sacris addictus. Ita censet Pontifex in syn. diœc. l. 6. c. 5. n. 4. et 5.

Conjugia hæretici protestantis cum femina hæretica, coram parocho non catholico in Belgio confederato celebrata, valida habenda sunt. Decretum a Pontifice approbatum die 4. nov. 1741. Item valet ita, et in iis regionibus celebratum, si hæreticus catholicam ducat, quanquam postremum hoc illicitum haberi debet, ib. Idipsum reperitur in epistola ad cardinalem ducem eboracensem data die 9. febr. 1749. l. 6. c. 6. n. 12.

Nuptiæ inter catholicum et hæreticum conjugem multo rectius non sunt benedicendæ neque missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter ecclesiæ ambitum peragendus; quod et vetitum fuisse a Clemente VIII. circa benedictiones quidam refernut. De synod. diœces. lib. 6. cap. 5. num. 5. nov. edit.

Matrimonia inita a Græcis catholicis in Ecclesia orientali post susceptum sacrum ordinem, dubium est num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare, si forte id accidat, petenda est dispensatio a sede apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur.

Quoad Italo-Græcos matrimonia post ordinem sacrum inita, nulla sunt. Constit. *Etsi pastoralis*, Bull. t. 1. n. 7.

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Pontifice in tract. De syn. diœc. l. 9. c. 10. Connubium iniri non potest inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes, quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum, et adoptatum. Secundo inter adoptatum, et filios naturales adoptantis. At impedimentum istud tamdiu durat, quamdiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per mancipationem filii sive adoptivi

sive naturalis, cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem, et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero hæc impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta, lis est inter doctores. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui juris ex principis rescripto, ita transit in potestatem, et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus heres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub patris, seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve judicis competentis auctoritate in filium aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam, et potestatem adoptantis transit, et succedit solum ab intestato, ib. n. 4.

Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta, etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis invaliditate et communitate inter virum et uxorem, valida tamen habenda esse in ratione sacramenti censet Pontifex, et oppositum sentientes rejiciendos omnino judicat. De syn. diœc. l. 9. c. 11. n. 2.

In matrimonio puberis cum impubere, malitia ætatem supplente, episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri. Encyclica ad episcopos Poloniæ. Bull. tom. 2. num. 51. *Magnæ nobis.* Ad pronuntiandum in ea causa cumulativum jus est inter sedem apostolicam, et judices ordinarios, ibidem.

Quoad matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos solus romanus Pontifex dispensat, ibidem.

Impedimenta matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt: si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, et illud, quod ex voto perpetuæ castitatis, et ingrediendi religionem, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cetera vero matrimonium irritantia, tollere, nisi romanus Pontifex, nemo potest. Excipitur tamen casus quem statim subdo.

Si forte accidat ut matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, et adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rustici-

tatem, locorum distantiam etc. nec possit separatio fieri sine scandalo, dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest major pœtentiarius Papæ, in foro tamen conscientiæ tantum. Quare, si impedimentum illud postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a summo Pontifice dispensatio. De synod. diœc. l. 9. c. 2. n. 1. nov. edit.

Forte etiam episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum matrimonium proxime contrahendum est in casu quo tales urgeant rerum circumstantiæ, ut nec sanctus Pontifex consuli possit, nec matrimonium differri sine scandalo, aut infamia contrahentium. Tunc censendus est sanctus Pontifex tacite delegare episcopo potestatem dispensandi, ibid. n. 2.

His præcisis rerum circumstantiis, nemini fas est episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est et sanum axioma illud a nonnullis adoptatum: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, velut fidei articulum definire potest episcopus in sua diœcesi, nisi Papa sibi illud reservaverit.* Non enim potest inferior legem a superiore latam relaxare. Sunt qui consuetudinem prætendant; at considerent attente, cum res sit de minuendis juribus roman. Pontif. unice competentibus, n. 100. ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum insuper et potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ:* tunc enim nunquam contra legem præscribitur. Cap. Cum inter, de Consuet. tract. De syn. diœc. l. 9. c. 2. n. 6.

In contractis matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat sancta pœnitentiaria in gradibus *primo* et *secundo* consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, et conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat, sicut in gradibus et tertio et quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis et abreptionis literarum apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ.

Bulla *Pastor bonus*, Bull. tom. 1. n. 65. n. 40. Vide Inst. Eccles. 87.

Si in dispensatione a dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra pœnitentiaria dispensat in matrimonio contrahendo, et etiam contracto; at, cum agitur de primo in secundum gradum, exigit compositionem 50 ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum, ibidem.

Si in dispensatione a dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendæ dispensationis, tunc si mala intentio sit occulta, dispensat sacr. pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda. Inst. Eccl. 87. n. 23.

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum, in contracto et contrahendo matrimonio, in foro conscientiæ dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius præstat, ibid. n. 44.

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut et dispensat in foro conscientiæ pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio, ibid. n. 45.

In dispensationibus pro impedimentis matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis, rescriptum vitiatur, ut DD. Instit. Eccles. 87. n. 13. In contractis tamen matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat pœnitentiaria, ibid. n. 14.

Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus, *absolutio, et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, possit ordinarius conjuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navarro, ibid. n. 50.

Si ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest; imo, debet

facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione: si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a confessario, seu parocho, qui possunt id clam testificari episcopo, tunc debet episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex clericato monet auctor, ibid. n. 50.

Postrema clausula sic enuntiatur: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute* etc. Rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem, sed ut confessarius instruatur, quo certior sit contractus, ac veram esse conditionem ex ablativo absoluto, quo enuntiatur, ut est juristarum sensus, demonstratur. Inst. Eccl. 87. n. 68.

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non posset revelatio impedimenti, sufficere ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe qui suadent ut sciens impedimentum proponat alteri se adeo illum amare ut denuo cum illa velit ligari, si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur, eo quod consensus præstitus a parte inscia sit consensus junctus cum errore quare non adimpletur conditio, *dicta muliere certiorata.*

Præfertur ceteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, et tunc fit, cum parti ignaræ dicitur, in priori matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque, ibid. n. 78.

Sed quid, si timor occurrat ne parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto matrimonio, timeatur ne nata antecedenter proles declaretur illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur; nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum, si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii, suadet auctor, ut per novas literas exponatur sacr. pœnitentiariæ casus, vel recurratur ad episcopum, qui id suadebit quod erit opportunum, ib. n. 80.

Causæ matrimoniales a curia romana commissæ in partibus, non delegantur nisi episcopis, vel, si nullus sit in diœcesi, saltem vicinioribus, et, si vel illi abfuerint,

judicibus synodalibus. Const. *Dei miseratione*, Bull. tom. 1. n. 33. Mandat insuper Pontifex ut in singulis diœcesibus defensor matrimoniorum designetur, qui semper adsit in judicio, et citetur in omnibus actibus. At, si judex in partibus pro validitate matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat: secus, si pro invaliditate defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non: pendente vero appellatione, ad novas nuptias transire, conjuges vetantur sub pœnis contra polygamos constitutis.

Post duas conformes sententias latas de nullitate matrimonii, licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, ib. Pacta prævia inita inter conjuges de non appellando a sententia de nullitate matrimonii irrita declarat Pontifex in encycl. ad Polonos. Bull. t. 1. n. 85.

Matrimonia inter hæreticos sine præsentia parochi in provinciis fœderati Belgii, cum non sit ibi receptum concilium Tridentinum, tenent; quemadmodum etiam matrimonia inter hæreticam et catholicum ab incolis illorum locorum sustinentur; idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militias ordinum fœderati Belgii addictas muniendis arcibus vulgo dicti *di barriera*. Extenditur ad contrahentes in civitate Mosæ Trajectensi; sed, si contrahentes habentes domicilium in provinciis fœderatis velint contrahere in regionibus catholicis, seu vicissim velint contrahere in provinciis fœderatis, cum habeant domicilium in regionibus catholicis, nihil de illis decernitur. Const. Matr. Bull. tom. 1. n. 34.

Ut quoad denuntiationes matrimoniales non sine gravi causa dispensetur ab episcopo, mandat Pontifex constit. *Satis vobis*, Bull. tom. 1. n. 55. In eo vero casu, quo fiat dispensatio, jubet nomina contrahentium, et fidem celebrati matrimonii a ministro deputato facta in libro secreto adnotari, quem sigillis clausum servandum esse in episcopali cancellaria edicit. Si proles nascatur, ejus parentes, et fides collati illi baptismatis in eodem libro adnotandi, quapropter moneri jubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies a nativitate numerandos, moneant de his omnibus episcopum, et si secus fecerint, sciant occultum matrimonium fore revelandum ab episcopo.

Matrimonio celebrato, non præmissis denuntiationibus nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si assistat parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex cap. Cum inhibitio, n. final. a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur. Tract. de syn. diœc. l. 12. c. 6. n. 2. nov. edit.

Diebus quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum, ut ex c. Capellanus, de Feriis, monent theologi, et notatur Inst. Eccl. 70. n. 5.

Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur Instit. Eccles. 80. n. 7. Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit episcopus, nunquam licet benedictiones illas conferre, ibid. n. 2.

Imo, et tota missa pro sponso et sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore, n. 11.

Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quanquam illa sint de se licita), quia in synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur ut episcopi facultas intercedat, ibid. n. 4.

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt, ut ex sensu DD. theologorum statuitur, ibid. num. 17. et 18.

Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex congregatione firmatur, ibid. n. 21.

Matrimonia per procuratorem contracta valent, ut communis est theologorum, etiam post Tridentinum scribentium, sententia.

Quanquam cautius est ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram parocho renoventur; quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. De synod. diœces. lib. 13. c. 23. n. 9. nov. edit.

Matrimonia occulta antequam ab episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum, et conditionem petentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filiifamilias, et num illæ nuptiæ sint tales, ut pater juste illis possit dissentire. Cum vero omnia repererit ad

formam, debet deputari ad assistendum eisdem nuptiis parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id muneris demandari debet sacerdoti a parocho diverso; qui sacerdos vel parochus debet exhibere episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci et temporis, et testium qui interfuerunt. Id vero documentum transcribatur in libro diverso ab illo in quo reliqua publica matrimonia adnotantur, idemque liber clausus et sigillis obsignatus in episcopali cancellaria caute servetur, non aperiendus, nisi cum alia similia matrimonia adnotanda sunt. Mandat Pontifex ut proles inde nata denuntietur episcopo vel per literas parentum manu propria signatas, vel per personam fide dignam a parentibus designatam eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo in quo matrimonia occulta describuntur, utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verum in celebratione matrimonii hujusmodi, ille qui parochi nomen et vices gerit, debet monere conjuges ut prolem ex eo conjugio natam denuntient episcopo, eo modo quo supra: alioquin, si hæc omittantur, denuntiet episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filiis natis jactura inferatur: ita in bulla *Satis vobis*, n. 35. Bullar. tom. 1.

Cum petita fuisset a Pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis, et contracto matrimonio non jam consummato, repertum fuerit inter conjuges intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum; ideo supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, et vir cujus nomine oblata est supplicatio significavit uxorem suam esse insciam novi hujus impedimenti, quia, si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, et, si hoc dissolvetur, magna scandala oritura essent, Pontifex concessit novum Breve, in quo dispensavit in radice matrimonii. Uxor in nova supplicatione demonstravit se consciam fuisse secundi hujus impedimenti ante concessionem secundæ hujus dispensationis, et dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando obtentam fuisse a viro, se inscia, dispensationem. Sacr. congregatio resolvit pro invaliditate ejusdem matrimonii; cujus resolutionem Benedictus XIV. confirmavit in sua bulla *Etsi matrimonialis* etc. Bullar. tom. 4. n. 50.

MATUTINUM.

Matutinum non est segregandum a laudibus sine causa, quæ optima suppetit Ecclesiæ, sejungendi matutinum a laudibus nocte natalis Domini. Inst. Eccl. 24 n. 9.

Peccat etiam is venialiter, qui sine ulla legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma, ibidem n. 9.

Hora recitandi matutini die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in calendario romano adnotatum est, ibid. num. 10.

MEDICUS.

Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet confessarium ut provideat de salute animæ suæ, ita præcipiente concilio Lateranensi in cap. Cum infirmitas, de Pœnit. et Remiss. Sanctus Pius V. in sua constitutione 3. in Bullario Romano, jubet medicum ante omnia id monere; neque tertio die ulterius illum visitare, si vocare confessarium recusaverit; transgressores medicos incurrere pœnam infamiæ, et privationem omnium privilegiorum ejus professionis. Mandat insuper ut nemo deinceps lauream medicinæ obtineat, nisi prius juret coram publico notario et testibus ejus bullæ observantiam. Neque ab his servandis excusantur medici de consuetudine jam per longum tempus introducta, cum ob singulorum juramentum consuetudo ista induci non potuerit: sufficit tamen si medicus id moneat per alium virum gravem. Inst. Eccl. 22. n. 16.

Non tamen tenentur sub gravi monere ægrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus judicari possit periculum esse ut evadat mortalis, ibid. n. 18. Consultius est tamen, ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum, illud, ibid. n. 22.

Si tamen ægrotus renuat confessionem, et morbus sit adeo periculosus ut timendum sit ne desertus a medico moriatur, docent tunc theologi deserendum a medico non esse, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque resipiscendi, ibid. n. 17.

Laici artem medicam vel chirurgicam exercentes ex

præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen iucurrunt irregularitatem; attamen *ad cautelam* petunt, et obtinent dispensationem si promoveri ad ordines sacros postulant: attamen ejusmodi Brevia non conceduntur, nisi prius audito episcopo, cui injungitur ut distincte referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat cujus rei gratia orator ad ordines sacros promoveri poscat. De syn. diœc. l. 13. c. 10. n. 4. nov. edit.

Ordines autem sacros jam obtinentes, vel etiam minores cum ecclesiastico beneficio, ex præscripto sacrorum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc vero indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo orator degit, et profiteri cupit, vel sit pene destitutus, vel non satis illi provisum sit ex medico laico, vel denique, ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ex arte medica percipiendo, ibid. n. 6.

Regulares vero in missionibus agentes privilegio donantur, ex bulla potissimum Clementis XII. *Cum sicut*, ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti, et gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione, et adustione. Denique, requiritur ut non adsint medici laici, vel sint quidem, at hæretici, vel hæbrei, ut ex decreto congreg. de Propaganda Fide, ibid. n. 7.

Regulares ex instituti sui ratione hospitalium curam et administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia, ibidem.

In prædictis indultis apostolicis monachis, vel clericis concessis semper apponitur hæc limitatio, *absque incisione, et adustione*, ibid. n. 8.

Clericis secularibus sacris ordinibus insignitis si concessum fuerit indultum, ut provideant familiæ indigenti, illud durat, quoad usque orator certos ecclesiasticos redditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab ægrotis, neque enim ecclesiastico seculari medico vetatur, ut sponte oblata recipiat, præterquam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere, ibid. Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant ididem.

Porro indulta illa ecclesiasticis vel regularibus concedi non solent, nisi prius audito episcopo testante de viri peritia in ea arte, et de indigentia medici in ea civitate vel oppido; præterea exquiritur etiam pro regularibus testimonium superioris regularis circa mores illius qui indultum petit: si vero non præmittatur testimonium episcopi, adhuc tamen pontificii Brevis executio episcopo committetur, qui, commissum munus impleturus, de his omnibus certiorem se reddere tenetur, ibid. n. 9.

Chirurgiam vero exercere ecclesiasticis secularibus et regularibus longe difficilius conceditur, et tunc solum cum omnis omnino chirurgus laicus deest, quin et tunc sine adustione et sectione, ibid. n. 11.

MEDITATIO. Vide ORATIO.

MISSA.

Missæ sacrificium est *latreuticum* et *eucharisticum*, id est laudis, et gratiarum actionis pro beneficiis acceptis; est propiatorium, quo expiantur peccata, non eo tamen modo quo baptismus et pœnitentia, peccata remittentes per gratiæ infusionem: sed Deus intuitu hujus sacrificii pœnitentiæ donum largitur, seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem, vel ad absolutionem in sacramento pœnitentiæ utiliter consequendum. Quoad remissionem tamen pœnæ, abolita jam culpa, immediate illam remittit; remittit, inquam, illi pro quo offertur, ea tamen mensura quæ Deo placuerit. De sacrif. miss. l. 2. c. 13. n. 17. Est denique *impetratorium* spiritualium et temporalium bonorum, ibid. num. 19.

An ejusdem sit efficaciæ sive a bono, sive a malo sacerdote missa celebretur? Respondendum est fructum provenientem ex opere operato nunquam minui, et si applicetur semper operari, dummodo impedimentum nullum obstet, ibid. n. 20.

Alius est fructus, qui oritur ex universa Ecclesia offerente sacerdotum suorum ministerio; Ecclesia vero est semper sancta, pulchra, sine ulla ruga, aut macula.

Tertius tandem est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex majori, vel minori sacerdotis sanctimonia minuitur, augeturve, ibidem.

Missæ fructus triplex est: *generalissimus*, cujus fideles omnes sunt participes; *specialissimus*, quo sacerdos fruitur; *medius*, quem sacerdos applicat pro iis pro quibus sacrificium offert. De sacr. miss. l. 3. c. 8. n. 1.

Materia sacrificii missæ est panis triticeus, et vinum ex uvis. At, si magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, et permixtio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. De sacr. miss. l. 3. c. 10. n. 15. Nec post consecrationem novus liquor, et præsertim aqua in calicem infundendus est, ibid. n. 16. Alioqui, censet sanctus Thomas corruptionem sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est; ex quo fit ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie; quanquam si hoc fieret a sacerdote, consecratio quidem valeret: sed ille gravi se crimine obstringeret, et sacramentum quidem, non vero sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio, ibid. n. 19.

Sacerdos verba consecrationis proferens super panem et vinum, sed extra missam, valide quidem, sed illicite consecrat; nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. De sacr. miss. lib. 3. c. 11. n. 11.

In forma consecrationis defectus accidere possunt qui invalidam, et defectus qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, et verbum *est;* item, si loco vocis *hoc* dicatur *istud.* Invalidam, si pro *hoc* substituatur *illud;* vel *hic* pro adverbio sumtum. Dubium est an invalida sit consecratio calicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est calix sanguinis mei*, ceteris omissis; ideoque si id forte contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini, ibid. cap. 15. num. 15.

Sacerdos valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. Licite tamen ut celebret, debet esse in statu gratiæ, et a lethali peccato liber, ibid. c. 11. num. 1.

Alioqui duplicis culpæ reum se constituit, conficiendo

scilicet vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando, ibid. n. 2.

Vetat Tridentinum sess. 13. cap. 7. de Eucharistia, ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius sacramentali confessione expiatus, ad celebrandum accedat, ibid. n. 3. Permittit tamen sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia confessarii: simul vero in eo rerum eventu mandat ut qui ita celebraverit quamprimum confiteatur, ibid. n. 4. atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum: *Probet autem seipsum homo.* In casu vero urgentis necessitatis non sufficit attritio; sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud vero præceptum, *at quamprimum confiteatur*, verum est præceptum, et non consilium; nec ita intelligendum est, ut sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Hæc omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur, ibid. num. 5.

Urgens necessitas, de qua hic, ea censetur, si sacerdos eo die non celebrans offensioni esset et scandalo; item, si parocho celebrandum est ad ministrandum viaticum. Sunt qui addant, sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter sacrificio indigens, quod tamen aliis, et merito, minus probatur, cum omnes animæ in purgatorio sacrificio indigent, ibid. n. 6.

Sed quid, si sacerdos cœpta missa recordetur peccati lethalis, non expositi in confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, missam deserere tenetur, nisi aliud suadet justus de gravi scandalo timor: si vero post consecrationem, perficiat, ut sumat sacramentum præmissa contritione, si occurrat grave peccatum nondum pœnitentia deletum, et elicito proposito satisfaciendi postmodum præcepto confessionis et absolutionis: si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere quam sacramentum conficere et indigne recipere.

Scandalum autem an causaret recedendo ab altari ille qui, in loco privato celebrans cum unico ministro, peccati gravis, inchoata missa recordetur, quæstio est

anceps; sunt enim qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus, ibid. n. 9.

Si ea die, tempore missam præcedente, grave peccatum commissum a sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, et confessus est, non decet sacerdotem eadem ipsa die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immunditities corporis adimitur, ibid. n. 11. Idem dicas de eo qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit: quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad sacrificium accedere, præsertim, si menti tenacius inhæreant pravæ cogitationes, ibidem. num. 12.

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex rubrica reputatur, quæ mandat; si forte accidat ut post sumtionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta sacrificio, resumendum esse novum panem, et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*, facta tamen prius utriusque oblatione. Sunt quidem qui putent sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non servaretur;* quæ altera est ex duabus causis, ex quibus rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare rubricæ parendum, ibid. c. 15. n. 2.

Si vero post consecrationem sumta jam hostia cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem, tuncne nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda? Id utique censent S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII. rubricas Missalis, legitur in illis expressum: si missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et facta oblatione consecretur, statimque sumatur, ibid. n. 3. 4. etc.

Defectus si occurrat in pane et vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, missa omitti tuto potest; si post sumtionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset missæ audiendæ, quo in casu posset sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem missæ non pertinerent, et benedictionem populo impertiri, ibid. cap. 15. n. 9.

Si aqua infusa calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim: si post consecrationem, missa peragenda est, ibid. n. 10.

Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, et novum apponatur. Si post consecrationem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, et comburatur. et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita S. Thomas, ibid. num. 11.

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem, quod prius, servandum est; si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, et tamdiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, et aliud vinum consecretur; ut ex sancto Thoma, ibidem.

Vinum acescens non est adhibendum in missa; si tamen id fiat, conficitur sacramentum; nec peccant regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem commutandi vinum: id enim peccati ligat eorum superiores, ut ex Quarto et Merato adnotatur. Inst. Eccles. 77. n. 2. Vinum quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale a latinis priscis lora seu lorea dicebatur, ineptum est ad sacrificium, ut ex theologis firmatur, ibid. n. 4.

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum; quod ex musto, et aqua æquali, vel fere æquali quantitate conficitur, ut ex theologis. Inst. Eccl. 77, n. 6.

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admixtum, est enim vinum usuale, ibid. n. 7.

Si guttæ vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratæ, et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratæ, et per secundam purificationem assumantur, De sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 7.

Generatim monet sanctus Thomas in dubiis, num aliquid omissum in missa sit, vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate sacramenti, negligendum esse: si sit vero de necessitate sacramenti, illud iteretur, ut reliqua omnia ex ordine deducantur, ibid. c. 15. n. 16.

Cum novi sacerdotes cum episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant

se consecraturos eodem momento quo episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus formæ remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum episcopo, atque ita una cum eo consecrent: ex quo fit, ut, si non ita jungant sua verba cum episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi, ibid. c. 16. n. 6.

Sacerdotes missam cum episcopo celebrantes eleemosynam pro sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit missam modo consueto. De sacr. miss. l. 3. c. 16. n. 10.

Intentio applicationis missæ sufficit si habitualis fuerit; est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multo ante intercesserit, ibid. n. 8. Tempus applicationis num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Præstat ut sacerdos missam applicet cum se ad eam præparat, ibid. n. 9.

Beneficiatus cui injungitur a testatore celebratio missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii, ut sacr. congr. conc. sæpius respondit. De sacrif. miss. lib. 3. cap. 9. num. 2.

Idem dicas, si fundator mandaverit ut oraretur pro se in missa; nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse, nisi tamen ex aliis conjecturis deducantur aliam fuisse ejusdem fundatoris voluntatem; ut si pluribus capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus sacr. congr. ibid. n. 3.

Si superior sacerdoti præcipiat ut missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem sacerdos inobedientiæ: sed applicatio a sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister, et dispensator sui sacrificii, ibid. n. 4.

Missæ applicatio quoad parochos. Vide *Parochus*.

Missa conventualis in collegiatis quotidie celebranda est, et applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit, si pro uno benefactore applicetur; neque satisfit, si beneficiatus seu canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare: si vero præbenda beneficii tenuis sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus, quod, si et distributiones et præbenda tenuissimæ sint simul sumtæ, tunc recurrendum est

ad congregationem concilii; ita pontifex in encyclica ad episcopos Italiæ incipiente *Cum semper*, Bull. tom. 1. n. 103. Sufficit tamen prioris missæ applicatio, etiamsi plures cantentur in collegiata, ib. n. 22.

Si sacerdos sumta purificatione animadvertat remansisse in corporali vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva, illa absumantur, sicut et absumenda sunt fragmenta, si quæ remanserint, post distributionem eucharistiæ in adstantes peracta missa. De sacrif. miss. l. 3. c. 17. n. 3.

Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna, seu parva, hæc post sumtam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo, vel ponenda in patena, ut alteri sacerdoti mox celebraturo reservetur: quod si fieri non potest, absumatur; ita ex rubricis, ibid. n. 4.

Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si cum vino non difluat in os, sed remaneat in calice, potius quam digito redigatur ad oram calicis, præstat ut mediante novo vino hauriatur, ibid. l. 3. cap. 17. n. 1.

Sacerdoti in sacristiam jam restituto post missam, et nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta, si quæ averterit remansisse in patena: si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio, reponendum est in tabernaculo, si adsit; sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est; ita ex sancto Thoma, ibid. n. 5.

Peccaret graviter sacerdos, si hostiam in missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam quæ in eodem tabernaculo antea continebatur; ita ex canone relato de consecr. distinct. 11. ibid. n. 8.

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret si populum doceret ne miraretur si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum qui censent posse tunc extrahere e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte ibi adest, et adhibere illam ad elevationem, ib. num. 9.

Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicite quidem id fieret, sed cum moraliter præsens esset sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est, etiamsi, quando consecravit,

actu de particulis non cogitaret. Moralis vero præsentia ea dicitur, cum ita præsens est, ut verificari censeantur illa verba formæ *Hoc* vel *hic*. ibid. cap. 18. n. 2. et 3.

Si particulæ afferantur ad altare post peractam oblationem, non debet sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi, parata ad recipiendam eucharistiam, alias careret sacramento; tunc vero sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre. Cœpto jam canone, si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando viatico infirmo; tunc enim sufficeret, si sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret, ibid. n. 5.

Si forte contingat ut pyxis deferatur ad altare, nec sacerdos illam advertat, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitet de pyxide, tunc utique si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse sacerdos consecrare; alioqui enim censeretur voluisse istud quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint DD. qui contrarium censent, cum tamen in sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem, relicta probabili, ideo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia missa sub conditione consecrentur, satis constat, ibid. num. 6.

Si celebranti sint præsentes undecim hostiæ, et ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex rubricis discimus. Quare debet sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quidquid ante se positum est. Ex quo intelligitur sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare, ibid. n. 7.

Missam bis eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest, etiamsi parochus sit, nisi saltem episcopi licentia accedat, quæ tamen datur ob causas singulares, non tanquam privilegium: ita Pontifex in bulla *Declarasti*, Bull. tom. 2. n. 3.

Sacerdos, qui sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere; tum quia ea præsumitur voluntas fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam, ut ex cap. Significatum de Præbendis: non tamen potest, qua die vacat, sacrum agere, et alicui attribuere, percepta eleemosyna. De sacrif. miss. lib. cap. 22. n. 3.

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem

missa accipere applicando uni fructum medium, alteri specialissimum; at contrariam sententiam proscripsit congregatio sacr. officii, ac dein Alexander VII. proposit. IX. inter damnatas, ibid. n. 5.

Sacerdos qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere? Non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta sacr. congregationis concilii non apparent, ibid. c. 22. n. 7.

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testato, ut ex decretis sacr. congr. ibidem.

Missæ in altari privilegiato celebrandæ semper debent esse de Requiem, nisi cum festum duplex, vel dominica dies, occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi missæ de festo agantur: perinde est autem sive altare istud privilegium habeat perpetuum sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada: si igitur testator jusserit celebrari sibi missas certis hebdomadæ diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod festum duplex, satisfit testatori cum missa de festo. Idem dicas de diebus in quibus duplex quidem non currit, sed missæ pro defunctis vetantur. Hæc omnia ex decretis variorum Pontificum, quorum postremus est Clemens XI. De sacrif. miss. l. 3. c. 23. n. 8.

Missæ altaris privilegiati debent esse de Requiem, nisi cum inciderint in diem in qua missæ illæ celebrari non possunt, sive ratione festi duplicis, sive alia quacumque: ita ex plurimis Pontificum decretis. Instit. Eccl. 34. n. 27.

Missæ privatæ de Requiem celebrandæ non sunt in festis duplicibus, et dominicis diebus, sicut nec infra octavas epiphaniæ, paschæ, et pentecostes, prima die quadragesimæ, tota hebdomada sancta, in vigiliis nativitatis domini, epiphaniæ, et penticostes; denique ex decretis sacr. congr. infra octavam corporis Christi; et natalis Domini, sicut nec cum expositum est vener. sacram. ib. n. 28.

Solemnes et cantatæ pro defunctis missæ qua die a testatore præscriptæ sunt, et illa sit vere annua illius

obitus, celebrari possunt, etiamsi officium sit de duplici majori, vel minori: ita ex decreto sacr. congr. De sacrif. missæ, l. 3. c. 23. n. 5. non vero in dominicis, et festis de præcepto, nec in iis in quibus nec de duplici agi potest. Inst. Eccles. n. 5. n. 24. et seq.

Præsente corpore canitur quidem missa pro defunctis, exceptis tamen duplicibus primæ classis. Quæ verba sunt decreti S. C. rituum die 5. julii 1698. attamen non satis constat an id vetitum sit in omnibus duplicibus primæ classis, et non tantum in magis solemnibus. De sacrif. miss. l. 3. c. 23. n. 5.

Dies tertia, septima, et trigesima, quæ habent missam cum oratione propria in Missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas, ibidem.

Si parochus duas regat parœcias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius sacerdos, potest duas missas eodem die celebrare. De sacrif. miss. l. 3, c. 5. n. 1. Debet tamen episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic vero unicus est casus, in quo bis celebrare liceat; neque enim fas est sacrificium repetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam principum, aut episcopi, qui die festo missam non audierint, nec alius adsit sacerdos; neque enim hæc est tanta necessitas, quanta requiritur in cap. Consuluisti, de Celebrat. Missarum: item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quæ differri in aliam diem non possint. Tunc enim celebrari possunt nuptiæ sine missa, et benedictiones in sequentem diem transferri, ibid. l. 3. c. 5. n. 3.

Sed quid, si ministrandum sit viaticum infirmo? Profecto si sacerdos jam missam absolvit, tunc utpote non jejuno non licet ei rursus celebrare. Si missam non absolvit, potest necessitati illi providere, dando partem hostiæ suæ. Si vero sacerdos eucharistia quidem, non vero ablutione percepta moneatur de viatico infirmo ministrando, tunc utique potest aliam missam celebrare, ibidem.

Cum in alicujus forte ecclesiæ capella tam multas missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit sacr. congr. concilii ut quæ supersunt in aliis altaribus ejusdem ecclesiæ celebrentur, injunxitque simul ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re

moneantur, scripta tabella in loco visibili ecclesiæ exposita. De syn. diœc. lib. 12. c. 8. n. 5. nov. edit.

Quamvis a sacra congregatione sæpius decisum fuit in oratoriis publicis sitis intra fines parochiæ juris non esse parocho prohibere ne missæ celebrentur ante missam parochialem; si tamen episcopus in synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a missa parochiali et concione, constitutio illa valet, et episcopo parendum est. De syn. diœc. l. 12. c. 7. n. 7. nov. edit.

Missa celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII. Inst. Eccl. 12. n. 4. Jus habet episcopus vetandi, etiam sub pœnis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex decretis S. C. firmatur. Inst. Eccl. 68. n. 12.

Nemo ignotus, sive secularis sive regularis, admittendus est ad celebrandum missam, nisi adductis testimonialibus, iisque visis, et approbatis ab episcopo; idque præcipi posse ab eodem episcopo, saltem quoad sacerdotes regulares exteros, etiam regularibus censuit S. congreg. Instit. Eccl. 34. n. 4. et De syn. diœc. l. 9. c. 15. n. 5. nov. edit.

Tridentinum sess. 23. cap. 4. monet episcopos, curent ut sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem dominicis, vel festis solemnioribus missam celebrent. An committant peccatum grave sacerdotes illi, si monito Tridentini non se submiserint, quæstio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui nunquam per annum sacrificium offeret, esset enim hoc indicium vitæ corruptæ, et pareret scandalum. De sacr. miss. l. 3. c. 1. n. 10. Teneretur etiam celebrare, ut ægroto viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset, ibidem.

Missam quotidie celebrare melius est quam ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optime præstet sacerdos si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo quod ad spiritum Ecclesiæ propius accedat qui quotidie sacramentum recipit. Addendum quod munus sacerdotis sit non privatum, sed publicum, sitque ejus opus Ecclesiæ utile; et ex assidua celebratione validius auxilium obtenturus sit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum sacerdoti, ut plurimum, quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persua-

dere sibi moraliter possit se esse in statu gratiæ. Nec obstat minor fervor, cum illum persæpe patiamur inviti. De sacrif. miss. l. 3. c. 2.

In oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica missæ celebratio, die natalis Domini fas est tres missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex decretis S. congreg. De sacrif. miss. l. 3. c. 4. n. 8.

Episcopi quanquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam ut in oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum oratorium habere, et permittere aliis sacerdotibus ut in eo celebrent; ut ex decretis sacr. congregationis. De sacrif. miss. l. 5. c. 6. n. 1.

Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest, etiam absente episcopo; atque ibi audientes missam quicumque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique quod hic dicitur de episcopis, valet etiam pro cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen valere hæc pro oratoriis episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus, ibid. l. 3. c. 6. n. 6.

Si missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo capellanorum in castris; eorum etiam qui per infidelium regiones iter faciunt, et etiam in littore maris respectu navigantium. De sacr. miss. l. 3. c. 6. n. 7.

Ut celebretur missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto ac tuto.* Non conceditur autem, nisi cum conditione, ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter, vel sacerdos, vel diaconus, ibidem.

Sacerdos missam celebrans etiam in necessitate dandi viatici infirmo absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia; neque enim urget viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo quo decet, ibid. lib. 3. cap. 7. n. 1.

Idem dicas, si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo, et si desint, in necessitate saltem e sebo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali

libro, in quo sit saltem canon. Hæc ex DD. ibid. num. 2.

Peccat etiam sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. Proposuisti, de Filiis Presbyterorum; si tamen sit ministrandum viaticum, potest sacerdos sine ministro missam celebrare, et sibi ipsi respondere; alias, præstat omittere missam, quamvis, si hoc agat, sunt qui negent illum peccare, ib. n. 3.

In templo polluto celebrans sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex cap. Is qui, de Sent. Excomm. in 6. nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa; quin, nec desunt qui credant eum minime peccare, si adsit episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eodem cap. Is qui, ibid. n. 4.

Sacerdos ratione beneficii obstrictus ad bis vel ter singulis hebdomadibus celebrandum, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus aut altaria quædam singulis hebdomadibus missa carerent. De sacr. miss. l. 3. c. 9. n. 8.

Si conferens eleemosynam missæ tempus præscripserit ob causam, quæ differri non possit, sacerdos non servans illud tempus deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere, ibid. num. 6.

Sacerdos onus habens missæ quotidianæ, unicam tantum missam applicare cogitur in festo natalis Domini. An vero parochus itidem teneatur tres ejus diei missas pro populo applicare, nunquam decisum a sacr. congregatione reperitur; tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die missas celebrare, ibid. n. 9.

Sunt qui doceant die commemorationis defunctorum cessare onus capellaniæ quotidianæ, adeoque integrum esse capellano ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare, ibid. n. 9.

Canonici in cathedralibus, et collegiatis, qui juxta præscriptum rubricæ certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus nunquam a sacr. congreg. decisum est, ibid. n. 9.

Eleemosyna pro missis a regularibus celebrandis in

eorum ecclesiis, taxanda est ab ordinario loci; ut ex decreto sacr. congreg. Inst. Eccl. 56. n. 10.

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab episcopo taxatam exigere non possunt sacerdotes tam seculares, quam regulares; nam debet dari quædam proportio inter id quod datur, et quod accipitur: hanc autem proportionem definire ad episcopum spectat: quare justitiam commutativam lædit ille sacerdos qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, et petens minus accipere, quanquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in synod. diœc. l. 5. c. 2. et id quod postremo dixi, confirmatur ex decreto congregationis concilii lato in una S. Severini die 16. julii 1689.

Missarum stipendia, si quæ acceptata sunt pro curanda celebratione missarum, retineri non possunt, parte eorumdem tradita sacerdoti celebranti, etiamsi pars illa contineat consuetam eleemosynam: secus qui fecerit, et colligat missas in loco ubi datur majus stipendium, ac committat easdem missas celebrandas alteri sacerdoti minori stipendio, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum; si laicus incidit in excommunicationem; sacerdos vero seu clericus in suspensionem ipso facto: quæ excommunicatio et suspensio Pontifici romano est reservata. Constit. *Quanta cura*, Bull. tom. 1. n. 22. vide Inst. Fccl. 56. n. 4.

Vetitum est accipere novas missarum eleemosynas iis qui veteres habent quibus satisfaciendum, *dummodo*, ut legitur in decreto Urbani VIII. *infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit sacr. congr. concilii esse unum mensem. De sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 14.

Si ecclesia et loca pia careant redditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius missæ, ut ex decret. Urbani VIII. certum est: sed ex pluribus decretis sacræ congreg. eruitur detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in missis perpetuis; tunc autem videndum est num adsit aliquis qui sit obligatus ad supplendum,

et num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri missarum.

Sive autem ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliquam ecclesiam celebraturi, sicut etiam ab iis qui ab administratoribus ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis qui omnino ibi celebrare volunt, nec ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia De sacrif. miss. l. 2. cap. 24. n. 13.

Eleemosynas receptas pro missis sacristæ regulares tenentur ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatis, ac dein de satisfactione earumdem missarum tenentur reddere rationem coram patribus decretis, ut ex decreto Urbani VIII. ab Innocentio XII. confirmatio constat. Instit. Eccl. 72. n. 29.

Missæ nec ita breves esse debent ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ ut horæ dimidium excedant. De sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 2. Vide Inst. Eccl. 34. n. 19.

In missæ celebratione ne quis episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia vetuit Innoc. XI. in sua encyclica apud La-Croix l. 6. p. 2. n. 401. idque pariter locum habere in parvo pileolo ex theologis docemur, Inst. Eccl. 34. n. 14. giro tamen capillitio, vulgo *girello*, uti passim etiam Romæ sacerdotes ibidem notatur, eadem Inst. Eccl. n. 4.

Annulum etiam in digito gerere dum missa celebratur cujuscumque dignitatis nemo potest, vetante sacr. rituum congregatione, ibid. n. 15.

Nec licet etiam protonotariis non participantibus adhibere in missa instrumentum argenteum cum candela, ut ex decreto apud Monacellum, ib. n. 17. quod etiam superioribus ordinum mendicantium, et parochis vetuit sacr. congr. cujus literæ hic referuntur n. 16. Quin, et juxta decreta Alexandri VII. abbatibus regularibus consecratis id non licet, nisi in missa solemni, cum Pontificalibus utuntur, ut ex decretis sacr. congr. ibid.

Pari passu cum hoc argenteo instrumento proce-

dendum est cum assistenti, ibid. n. 18. ut ex decreto sacr. congregationis rituum, ibidem.

Missæ privatæ feria V. in cœna Domini, et sabbato, sancto prohibentur non decretis tantummodo sacr. congr. rit. sed etiam edicto Clementis XI. die 15. maii. 1712. Instit. Eccl. 38 n. 9.

Novus sacerdos in celebratione primæ missæ vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes; potest tamen se vertere ad altare, et ibi eas accipere ex decreto sacr. congr. Inst. Eccl. 56. n. 7.

Sacerdos in alia diœcesi celebrans missam non potest nomen episcopi sui nomini episcopi illius diœcesis substituere, ex Pouget, et Merato. De sacrif. miss. lib. 2. cap. 17. n. 4.

Sacerdos die natali Domini non tenetur ex præcepto tres missas celebrare, sed potest unicam. De sacr. miss. lib. 3. c. 4. n. 5.

Missa cantata in eo distinguitur a solemni, quod cantata fiat cum cantu chori, sed unico ministro assistente: solemnis vero habeat adjunctum diaconum cum subdiacono; idcirco, si testator jubeat cantari sibi aliquam missam, non requiritur diaconus et subdiaconus. Inst. Eccl. 105. n. 119.

Commentitia est distinctio inter rubricas præceptivas et instructivas. De sacr. missæ cap. 11. n. 3. sed omnes sunt præceptivæ, sed aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligant, ibid.

Nulla urgente causa, leve peccatum est celebrare missam privatam non recitatis matutino et laudibus. At, si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille qui ante matutinum et laudes eam celebraret (nempe ante eam partem officii in choro celebratam); sicut et peccato gravi se obstringeret qui perpetuo et quasi animo statuisset nunquam missam celebrare matutino cum laudibus recitato, ibid. n. 4.

Nemini licet ab altari recedere cœpta missa, relicto alio sacerdote, ut reliqua suppleat, veluti statuitur in canone Nullus episcopus, de Cons. dist. 1. quod ibi vetatur sub pœna suspensionis, quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ; nec locum habet, si sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recesserit, ibid. c. 14. n. 2. ubi id definitum a sacr. congr. affertur.

Si contingat ut sacerdos, dum missam celebrat, subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc

accidit ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari: si vero post consecrationem unius vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex præcepto, a sacerdote initio inde sumto ubi alter sacerdos desierit; et, si prior ille sacerdos adhuc vivat, et capax sit sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut in rubricis Missalis, ibid. n. 4. et 5.

Sacerdos missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunus, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc etiam quærendus ab illo est confessarius, et si non reperiatur, eliciendus actus contritionis; atque ita comparatus missam perficiat. At, si neque conteri posset, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex Rubricis, et ex doctoribus ib. n. 7. et 8. Ex hoc conficitur quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, et calix dari non possit, ibid. n. 6.

Si sacerdote missam celebrante violetur vel polluatur subito templum ante incœptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incœpto perficienda, ut ex rubricis, ibid. n. 12.

Si dum celebratur incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem deserenda est missa, post consecrationem sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis: si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu quo christianæ religionis hostes in contemptum ejusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat, ib. n. 13.

Superveniente excommunicato non tolerato, missa, si nondum perventum est ad canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est; post consecrationem perficienda. Sed sumta communione reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti, ibid. 8. 14.

Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizantem infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur; vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret; vel etiam ad extremam unctionem administrandum. Curandum tamen tunc esset a sacerdote ut sacramentum

interim diligenter custodiatur, et cum redierit resumenda missa est ex eo loco ubi fuerit, intermissa, ibid. n. 15.

Si, recitatis jam Evangelio et Symbolo, superveniat vir princeps, laicus, seu ecclesiasticus, qui missam die festo non audierit, negant plures DD. posse ex integro missam resumi, ibid. n. 16.

Bened. XIII. in romano concilio, uti Pontifex Innocentius XIII. præfectis regularium ante præscripserat, monuit ne in taxanda pecuniæ summa pro missis perpetuis sexaginta scuta romana definirent non excedendo, nec muniendo. De sacrif. miss. l. 3. c. 22. num. 9.

Missæ sancti Gregorii quæ a sacr. congr. olim prohibitæ sunt, erant quædam missæ peculiares, ineptiis refertæ. Ceterum, triginta missas continuatas juxta consuetudinem a sancto Gregorio inductam non vetuit, quas tamen celebrare debet sacerdos juxta ritum Ecclesiæ, quare tribus diebus majoris hebdomadis intermittendæ sunt, ibid. cap. 25. n. 3. Instit. Eccles, 34. n. 22.

Episcopus potest quidem visitare parochiales ecclesias regularium, sed num possit etiam recognoscere de oneribus missarum, an sint impleta, requisita fuit sacr. congregatio, et nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere num parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi episcopo in visitatione. De synod. diœc. lib. 13. cap. ult. n. 5. nov. edit. Fas est tamen episcopo visitare confraternitates laicorum in ecclesiis regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera missarum, ad quæ confraternitates illæ tenentur, ut ex decreto sacr. congregationis, ibid. n. 6.

Si testator missas reliquerit quotannis celebrandas in ecclesiis regularium, et heredi suo permiserit ut designet sacerdotem per quem celebrari debeant, non possunt regulares exigere ut unus ex suis designetur; quin et præstare debent patientiam, ut ab eo quem heres designarit, in suis ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso sacr. congr. ib. n. 7.

A mandatis et monitoriis etc. per quæ retardetur executio provisionum et statutorum pro divino cultu conservando et augendo, præsertim circa missæ celebrationem, ad executionem Trid. s. 21. de Ref. cap. 8.

et sess. 22. in decret. de Observand. et Evitand. in Celebr. Miss. ne recipiantur in tribunali actus judiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est a Pontifice in bulla *Ad militantis*, Bullar. t. 1. n. 48. §. 6.

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missæ, non sunt obligandi sacerdotes, si parochi, seu episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi sanctissima eucharistia asservatur extra missam. Encyclica ad episcopos Italiæ *Certiores effecti*, Bull. tom. 1. n. 64.

Missam auscultare diebus festis in quacumque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis cuicumque fideli, ut præcepto satisfaciat fas est, uti consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat. De syn. diœc. l. 11. cap. 14. n. 10. nov. edit.

Sacerdotes seculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur; sed utendum est illis Romano Missali, ita tamen ut possent de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare, eam desumendo ex communi Missalis Romani, uti pro capellanis et confessariis monialium decrevit sacr. congregatio, Clemente XI. decretum approbante. De sacrif, miss. lib. 3. cap. 23. n. 1. Instit. Eccles. 34. n. 20.

Missarum onera a fundatore beneficii præscripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relicti decrementum subierint; non enim posse ab episcopo reduci missas semper renuit sacra congregatio concilii; facultas vero ad hoc data in concilio Trid. sess. 25. de Ref. cap. 4. ut episcopi possent missas in testamento, vel dispositione inter vivos assignatas, reducere in synodo diœcesana, et generales ordinum in suis capitulis generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus missarum impositis ante concilium Tridentinum, et de reductione facienda in diœcesana synodo, vel capitulo proxime post expletum concilium Tridentinum habendis, ut exposuit sacr. congr. De syn. diœc. lib. 13. cap. ult. num. 18. nov. edit.

Modo insuper non licet episcopis etc. id præstare in suis synodis etc. quia id vetuit Urb. VIII. et Innoc. XII. in sua constit. de qua ibid. ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera, antequam acceptentur ab iis ad quos pertinent; uti definitum est a sacra congregatione, ibid. n. 19.

Cum datur episcopis facultas reducendi *pia legata et missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius dispensationis constat nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera missarum, ibid. n. 22.

Si aliqua dispositio missarum onera et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem reddituum reductio aliqua facienda sit, reducenda esse prius reliqua opera quam numerum missarum censuit sacra congregatio, ibid. n. 23. Quanquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis aliam fuisse mentem fundatoris deprehenderetur, ibid. At, si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit ex ampliatione indulti concilii romani sub Benedicto XIII. vel ex instructione quadam tradita a sacr. congr. et res fuerit, ut vel numerus missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad sacram congregationem concilii, ibid. n. 34.

Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi missæ quarum celebrationi Ecclesia etc. per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata constitutione, ibid. n. 25.

Si testator missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas, et in eum finem hunc vel illum fundum addixerit, et fundus ille diminuatur ut non sufficiat ad consuetam missæ eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est heres ut suppleat quod deest; præsumitur enim testator semper voluisse hunc missarum nnmerum in favorem animæ suæ. Porro, si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, et postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab herede: si vero dispositio illa incipiat designatione fundi, et subinde descendat ad onera missarum, tunc utique impetranda est *taxativa*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est heres ut suppleat. Quæ omnia exprimi solent de instructione, de qua supra, ibid. n. 32.

Si testator mandet heredi ut det fundum legatario, ut ex ejus redditibus celebrentur missæ, heres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex DD. et decisione rotæ coram Cerro, ibid. n. 33. si vero testator mandasset heredi ut tot præstaret fructus sufficientes ad injunctam missæ celebrationem, et ipse fundum

idoneum dedisset, si fructus ille dein non sufficiat, supplendus est ab herede, ibidem.

In reductione missarum perpetuarum per ampliationem concilii romani facienda, stabiliri solet eleemosyna sexaginta scutorum monetæ romanæ: quoad missas vero cantatas assignanda est eleemosyna consueta pro iis missis in qualibet diœcesi vigens, ut ex decreto sacr. congregationis, ibid. n. 34. At, si celebrandæ sint simul aliquot missæ cantatæ, et aliquot privatæ, nec sufficiant redditus, erogandi sunt illi in celebratione missarum privatarum, deleto onere missæ cantatæ, ut ex decreto sacr. congr. ibidem.

At, si reductio fiat ab episcopo vigore facultatis in instructione contentæ, statuendum est ut missæ celebrentur, non quidem ea eleemosyna quæ ex indulto concilii romani præfixa est, sed ad rationem eleemosynæ manualis in diœcesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsius instructionis, ibid. n. 35.

Si episcopus ab apostolica sede obtinuit facultatem reducendi missas in sua diœcesi, potest etiam reducere pro regularibus, ut delegatus sedis apostolicæ, si ad illum recurrant, ibidem.

Ne novæ aut inusitatæ orationes in missa recitentur vetitum est in bulla *Quemadmodum preces*, Bull. tom. 1.

Non promoti ad presbyteratum, si missam celebrent, tradendi sunt a judicibus sacr. inquisitionis curiæ seculari puniendi ex constitutionibus Pauli IV. Sixti V. et Clementis VIII. Item Urb. VIII. in constitut. *Apostolatus officium*, iis pœnis subjicit etiam minores annis 25, dummodo 20 expleverint. Has constitutiones innovat Benedictus XIV. in bulla *Sacerdos in æternum*, Bullar. tom. 1. n. 97. et addit singulas testium depositiones, nempe quando testes in suis depositionibus sunt singulares, valere ad reorum torturam: valere autem ad pœnam, si ordinarius declaraverit per simplices literas reum a se non esse promotum. In eadem bulla iisdem constitutionibus subjicit hos reos celebrantes unam tantum missæ partem, dummodo elevationem peregerint. Si has reus exceptiones, sic a Pontifice sublatas prætenderit, sive illæ conjunctim considerentur, sive singulatim, non tamen satis est hoc quominus tradantur brachio seculari, si sint laici; et, si clerici, quominus procedatur ad degradationem et traditionem brachio seculari. Declarat insuper

Pontifex eisdem pœnis submitti quoscumque non sacerdotes sacramentalem confessionem audientes et absolutionem impertientes: si tamen non sit prolata absolutio, tunc a judice ecclesiastico minor pœna est injungenda, ibid. n. 8.

Benedictus XIV. concedit presbyteris latini ritus in Russia Polonica degentibus, missas celebrantibus in ecclesiis Ruthenorum unitorum, ut, deficientibus altaribus seu lapidibus consecratis, et calicibus aureis vel argenteis, missam celebrare possint super antimensia eorumdem Ruthenorum, latino tamen ritu, Bull. tom. 3. num. 93.

MONIALES.

Monialium professio religiosa ante decimum sextum ætatis annum expletum et exactum annum novitiatus emissa, irrita est, ex Trid. sess. 25. c. 15. De syn. diœc. l. 13. c. 12. n. 1. nov. edit. Excipiuntur tamen mulieres quæ pœnitentes aut convertitæ appellantur; cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt, non obstante conciliari decreto de monialium professione, ut ex decreto sacr. congr. concilii. De syn. diœc. l. 13. cap. 12. n. 1. nov. edit.

Hæc conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa quæ, usa privilegio bimestris post conjugium, religionem ingreditur; et, quanquam id cedat in incommodum illius qui in seculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam conjux religiosa anno probationis exacto professionem emittit, ibid. n. 2. quin, et accidere potest ut biennium expectandum illi sit, si conjux religiosa anno probationis fere exacto religionem mutaverit, et in ea novam probationem instituerit.

Si novitia ordinis prædicatorem in mortis articulo professionem emiserit ante expletum annum probationis quod ex bulla sancti Pii V. illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori bulla Gregorii XIII. qua professio ante expletum annum probationis irritatur; ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non vero ad vindicandum monasterio dotem, et reliqua bona professæ, ut ex sæpius decisis a sacr. congr. concilii, ibidem num. 6.

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utrinque juramento de contrahendo et consummando matrimonio, potest ante initum conjugium religionem ingredi, juxta illud, *Promissum non infringitur ab eo qui in melius illud commutat*, cap. Pervenit, de Jurejur. Et definitur in c. Commissum, de Sponsal. quamvis ibi dicatur tutius esse si ineat matrimonium, tum religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem, nisi de conjugio celebrando; non vero de celebrando et consummando, uti tunc ferunt ib. n. 8.

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri religionem approbatam ingredi, et per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. Hæc tamen valent pro veris et approbatis religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur, ut est etiam ordo equestris Hierosolymitanus, non vero ceteri equestres ordines, ut ex Trid. sess. 24. de Matrim. c. 6. et traditis a DD. ibid. n. 9.

Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier religionem ingredi (idem de viro dixeris), et in ea profiteri; si tamen et alter conjux consentiat in religionem ingredi, si junior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis: si vero ab alterutro, vel revocetur consensus libere præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam: si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux religiosus eo petente egredi e religione tenetur, ut definitum in cap. Præterea, de Convers. Conjug. can. Quia Agatho 27. q. 2. c. Cum sis, de Conv. Conj. ib n. 10. 11.

Non vero sufficit, si muliere religionem ingressa, alter conjux non senex sacros ordines suscipiat, ex constitut. Joannis 22. *Antiquæ*, tit. de Voti Redemptione.

Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad religionem, tunc integrum viro est in seculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat: ita ex decis. a sacr. congr. ibid. n. 15.

Quin, et in eo casu, si ex episcopi testimonio constet virum in seculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum ut nullo se castitatis voto obliget,

adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire : ita ex resolutis a congr. ibid. n. 16.

Concessum est etiam aliquando indultum viro sexagenario majori, ut sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret, ibid. Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros ordines, et uxor paris ætatis tertiaræ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incolerent.

In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in religionem, sed pro contractu quem facit religio cum illa quæ ingreditur, obligans sese ad ejus sustentationem: si vero monasterium per se sit dives ut sufficere ex suis possit monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quanquam id agendum non est, nisi prius consulta sacr. congr. concilii. De synod. diœc. l. 11. c. 6. n. 6. nov. edit.

Quoad prandia, cœnas, et munera, quæ ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V. Extrav. 1. de simonea inter Comm. De synod. diœc. l. 11. c. 6. n. 9. nov. edit.

Modum tamen imponendum sumtibus apparatuum, et comessationum ac pomparum quæ fiunt in ingressu monialium, censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina Navarri in tract. de Redd. Eccl. in fin. pr. q. ib. n. 7.

Moniales regularibus subjectæ ex Trident. sess. 25. de Regul. c. 5. ordinario loci, tanquam delegato, subjiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans Gregorius XV. in constitutione sua n. 18. statuit confessarios earum regulares ab ipsis suis superioribus deputatos pro confessionibus monialium ab episcopo approbandos esse. Eidem etiam episcopo reddendam esse rationem ab iis qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam superioribus regularium, qui si renuerint, tunc id præstet per se episcopus. Datur etiam episcopo auctoritas præsidendi una cum superiore regulari, cum antistites monasterii eliguntur. Denique conceditur episcopo, ut, si regulares forte in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos, et corrigat usque ad censuras. Alex. VII. in sua constitutione 153. concedit superioribus regularibus jus ingrediendi septa monasterii earumdem monialium semel quotannis oc-

casione visitationis. Sæpius vero ex causa urgenti vetuit ne ingrederentur, nisi præsente episcopo, vel alio ecclesiastico, ab eodem deputato. Inst. Eccl. 29. n. 4. 5. Contraria quoad hæc omnia consuetudo etiam immemorialis a sacr. congr. sæpius reprobata est, ibidem num. 7. etc.

In visitationibus monasteriorum sanctimonialium, non tenetur episcopus denuntiare illis diem et horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem regularem ejusdem ordinis, ibid. n. 18. potest etiam episcopus monialibus regularibus subjectis sacram eucharistiam ministrare, si ipsæ velint, ibid. n. 9.

In monasteria monialium introduci pueros et puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente, ibid. n. 24.

In electione abbatissarum quæ præsint monasteriis regularibus subjectis, tenentur regulares monere episcopum si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex const. Gregorii XV. n. 18. quibus debet episcopus manifestare suam voluntatem. At potest episcopus in synodo generaliter edicere velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem. De syn. diœc. lib. 5. c. 12. nov. edit.

Monialium transitum de uno ad aliud monasterium, cum monialibus ultra montes concedit summus pœnitentiarius, qui tamen facultatis hujus executionem ordinarii arbitrio committit. Bulla *Pastor bonus*, Bull. t. 1. n. 95. et 96.

Translatio monialium ab uno ad aliud monasterium fieri jure nequit, nisi de licentia romani Pontificis, nisi exigente aliquo repentino casu in quo rei necessitas exigat repentinum egressum; tunc enim etiam pro monialibus regularibus subjectis, præter facultatem prælati regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla Pii V. *Decori et honestati.*

Casus repentini indicantur in eadem bulla: magnum incendium, infirmitas lepræ ac epimediæ, sive pestis. De syn. diœc. l. 9. c. 15. nov. edit. n. 8.

Non licet autem absque facultate sedis apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possint occurrere casus alii, qui videantur æquipollere iis quos sanctus Pius V. in sua constitutione expressit, ut si, ex gr. sit aliqua monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali, et perversionis aliarum, ibidem.

Superiores monialium tenentur bis vel ter singulis annis exhibere confessarios extraordinarios monasteriis sibi subjectis, quibus tamen sic oblatis non tenentur moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si vero aliqua monialis graviter ægrotet, ut sit in mortis periculo, petatque alium sacerdotem, qui non sit ordinarius monasterii confessor, huic a respectivo superiore annuendum est: si vero superior regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab episcopo; quin etiam, si aliqua monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari a suo superiore. Quod si superior regularis id renuerit, tunc potest satisfacere episcopus ejus petitioni, etiamsi requirat alterius ordinis regularem, vel etiam sacerdotem secularem ex approbatis a superiore ad confessiones monialium. Demum suadetur superioribus earumdem monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori sui animi quiete, et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones jam approbato, licet sit alterius ordinis regularis, vel sacerdos secularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper ut confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab ordinario ad confessiones monialium audiendas. Postremo, si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in confessarium extraordinarium, vel sacerdotem secularem, vel regularem alterius ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad episcopum. Hæc oblatio confessarii extraordinarii bis vel ter in anno, sicut et cetera omnia quæ superius præscripta sunt, præstari debent etiam cum aliis mulieribus sive regularibus sive secularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent confessarium. Hæc omnia ex variis sacr. congr. decretis olim stabilita confirmat Pontifex in bulla *Pastoralis curæ*, Bullar. tom. 2. num. 56.

Durante munere confessarii extraordinarii pro tota communitate, non licet confessario ordinario audire confessiones alicujus ejusdem monasterii monialis, neque alterius cujuscumque intra septa monasterii aut piæ domus commorantis, ibidem.

Quoad censuras seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando ab aliquo occulto defectu, major pœnitentiarius confessarium monialibus concedit. Publicis in casibus clausuræ, a monialibus vel ab aliis quibuscumque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius ordinarius supplicarit, et casus a congreg. super episcopos et regulares ad pœnitentiarium delatus fuerit. Bulla *Pastor bonus*, Bullar. tom. 1. n. 95. §. 37. et 38.

Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitæ communi minime repugnant; sed requiritur ut omnia in manibus præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentiis illius monialis in cujus gratiam collatæ sunt; et, si quid reliquum, in ceterarum levamen erogetur. Ita ex pluribus decretis. De syn. diœc. lib. 13. cap. 12. num. 19. nov. edit.

Ingressus in monasteria monialium, quæ regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, sicut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII. ibidem n. 23. in quo etiam decreto statuitur licentias moniales illas alloquendi petendas esse ab episcopo, non vero a superiore regulari.

MONS PIETATIS.

In Montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, *nisi apostolicæ sedis dispensatione*, ut ex decreto sacr. congregationis concilii in causa neopolitana, die 7. februar. 1737. De syn. diœc. l. 10. c. 5. n. 2. sicut neque absque beneplacito ejusdem sedis plus exigi potest quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio decreto sacræ congregationis, ibidem n. 2. si vero plus exigatur quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur episcopus moderari istas usuras; tutius est autem quod consulat de hac re sacram congregationem, ibidem n. 3.

MULCTA.

Mulctas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia sedis apostolicæ, sicut ex pluribus argumentis sacræ congregationis evincitur in tract. De syn. diœc. l. 10. cap. 10. num. 2. nov. edit. sed debent in usus pios expendi; multo magis non possunt, nisi in pios usus, applicari illæ mulctæ quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus, aut concubinariis, ibidem.

Si quas vero mulctas diœcesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab apostolica sede, etiamsi sint pauperes: quia sedes apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert, ibidem. n. 3.

Has vero mulctas, antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelium jussit sacr. congr. in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5. februarii 1670. ibid. n. 4.

NEGOTIATIO.

Constitutiones adversus clericos negotiatores innovantur, et extenduntur ad clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad clericos devoluta, sive hereditario jure, sive quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, coheredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi clerici qui per seipsos suoque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine, etiam per suos coheredes ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab eis acquisita pœnis in constitutione Pii IV. quæ incipit *Decens esse*, quæ est 19. inter bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis cameræ apostolicæ comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex constitutionibus Pii IV. *Romanus Pontifex*, et Pauli V. *In eminentis*, illos pariter non exemptos quoad bona ex

negotiatione provenientia decernit atque declarat in constit. *Apostolicæ servitutis,* quæ est 13. tom. 1. Bullarii.

Negotiatio tamen impropria non est clericis interdicta, ut v. g. manuum suarum labore, et honesto artificio victum sibi comparare, quod et apostolus Paulus suo exemplo docuit, et a sanctis etiam monachis præstitum est. De syn. diœc. l. 10. c. 6. num. 2. nov. edit.

Licitum est etiam clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut et eas quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem, quæ si superfuerint possunt vendere carius quam emerint, intra limites tamen justi pretii, ibidem.

NUNDINÆ.

Nundinæ a mercatis sedulo distinguendæ sunt: nam illæ semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, et de longinquo eo conveniunt populi; mercatus vero est, quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariæ, et fiunt singulis hebdomadis, currentibus populis e viciniis. Posteriores isti si incidant in festum de præcepto, transferendi sunt; priores vero non sunt, quamvis apothecæ ea die claudendæ, sicut nec contractus fieri oportet matutinis et vespertinis horis quibus divina officia in ecclesia celebrantur. Ita pro ditione ecclesiastica jussit Bened. XIV. in const. *Ab eo tempore,* Bull. tom. 1. n. 144.

OBLATI MONASTERIORUM.

Oblati, et qui donati appellantur, quamvis non sunt religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem et usumfructum, sibi non retinuerint, sed transtulerint in monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori, et immunitate ab exactionibus secularibus. Verum, ut subtrahantur ab jurisdictione episcopi, requiritur ut actu inserviant suæ religioni, uti late docet Pontifex De synod. diœc. l. 6. c. 3. n. 4. nov. edit.

OBSTETRIX.

Debent obstetrices diligentius examinari a parocho, num sciant ea quæ necessaria sunt ad sanctum baptismum conferendum. Tunc autem si baptizaverint, in templo supplendæ sunt cæremoniæ; non tamen sub conditione iterandus est baptismus indiscriminatim ex eo quod ab obstetrice aliisve similibus tinctus sit puer: sed inquirendum numquid aliquid necessarium omiserint. Inst. Eccl. 8. num. 6.

OFFICIUM DIVINUM.

In recitatione divini officii ad dispensandum in aliqua morali difficultate, commutare potest major pœnitenarius. Bulla *Pastor bonus*, Bullar. tom. I. num. 95. sec. 30.

ORATIO.

Indulgentiæ jam concessæ pro orationibus seu vocaliter, seu mentaliter, confirmantur in bulla *Quemadmodum*, Bullar. tom. 2. num. 23.

Qui rudes homines pie orandi seu meditandi exercitationem docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quoties lucrantur indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenas, dummodo vere pœnitentes sint, ac sacra communione refecti. const. *Quemadmodum*, Bull. tom. 2. n. 23. Item, qui id præstiterint assidue, semel singulis mensibus, vere pœnitentes, et sacra communione refecti, et pro consueto indulgentiarum more orantes, plenariam indulgentiam animabus etiam purgatorii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis potest qui toto mense quotidie saltem uno horæ quadrante orationi mentali operam dederunt, dummodo sint vere pœnitentes et confessi, ac sacra communione refecti, et oraverint pro concordia etc. Quapropter suadet Pontifex ut episcopi injungant singulis præcipuarum ecclesiarum præpositis in civitatibus, et singulis parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanæ sonum

invitent fideles, sive ut in ecclesiam ad hoc exercitium conveniant, sive ut id privatim in domibus præstent.

Peccatorum orantium tria sunt genera: alii, scilicet, in statu peccati mortalis degunt, et se credunt contritos quamvis non sint; eorum oratio rite instituta a Deo exauditur: alii dolent quidem de peccato, sed non ita ut ab eo se expediant; hi vero si enitantur ab eo liberari, et ideo Deum deprecentur, ea saltem impetrabunt quæ ad æternam suam salutem pertinent; alii tandem nec dolent de peccato, nec enituntur ut e statu illo exeant, imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez. Instit. Eccles. 62. num. 10.

ORATORIUM PRIVATUM.

Non obstante decreto Clementis XI. fas est episcopis altaria erigere, ibique celebrare, vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis vel itineris, vel hospitio ibidem recepti. Const. 48. Bull. tom. 3. pag. 377.

Indultarii, coram quibus celebrari potest missa in oratoriis privatis, sunt illi qui nominantur in fronte seu in inscriptione Brevis; illis non præsentibus, missa celebrari non potest, ibidem.

Si tamen in corpore Brevis nominatur aliquis, coram quo missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu in inscriptione Brevis, adhuc tamen eo præsente missa celebrari potest.

Sacramentum pœnitentiæ vetitum est ibi administrare vel ab ipsis pariter regularibus, ib. n. 20. Communio sacra non potest hic administrari, nisi accedat episcopi licentia, n. 23.

ORATORIA PUBLICA.

Nullum jus assistit parocho ne in oratoriis publicis intra suam parœciam missa celebretur ante absolutam missam parochialem, ex decretis sacr. congr. Inst. Eccl. 44. n. 11. potest tamen id vetare ordinarius, *dummodo tamen missa in ecclesia parochiali hora op-*

portuna celebretur. Quæ verba sunt decreti sacr. congregat. ib. num. 12.

In archiepiscopatu tamen bononiensi, si oratorium publicum distet a parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio, onere tamen injuncto capellano adnuntiandi festa de præcepto, evangelium explicandi, sicut et catechismum, ac doctrinam christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII. in encyclica ad episcopos Italiæ, data anno 1735. ibid. n. 15.

ORDINES.

Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex theologorum omnium consensu et concilii Tridentini definitione, sess. 23. c. 3. certum est: id vero sacerdoti convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, et complementum teneretur. De diaconatu, quanquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam theologorum, attamen ex Trident. definitione inferri posse videtur.

De ceteris singularibus ordinibus disceptant theologi, licet de subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ ceteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumisse profitetur: quare vetat episcopis ne sacrilegii crimine in suis synodis illos damnent qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores susciperent; quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat nec possit extra missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. De synod. diœcesan. lib. 7. cap. 24. per totum, lib. 8. cap. 9. nov. edit.

De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de sacerdotio, episcopatu, et diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat: quin, et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut, si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso sacræ congrega-

tionis censeat Pontifex ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. De synod. diœc. l. 8. c. 10. nov. edit.

In denuntiationibus, quas plerique episcopi ordinationes sacras inituri per archidiaconum suum præmittunt, suæ scilicet non esse intentionis illos ordinare qui irregularitate ceterisque canonicis tenentur impedimentis, unicus plerumque scopus est ut sic vitiatos deterreant; serio tamen volunt quemlibet sibi propositum consecrare; neque enim censendi sunt vel gravis peccati se reos statuere, plane contrariæ voluntati insistendo; nam gravem culpam commissuros, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen Pontifex præstare ut ea denuntiatio omittatur, atque intra fines edicti quod in Pontificali Romano habetur, episcopi sese contineant: in eo enim edicto sub excommunicationis pœna præcipitur ne quis canonico detentus impedimento accedere audeat, ibidem cap. 11. Vide etiam de hac quæstione De sacrif. miss. l. 3. c. 10.

Sacri vero ordines intra missarum solemnia nec ab alio quam ab episcopo ordinante celebranda, conferendi sunt, ut reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui, alio sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret: valeret tamen ordinatio. De syn. diœc. l. 8. c. 11. nov. edit.

Beneficium ad cujus titulum ordines conferuntur, debet tantum ex redditibus ferre quantum sufficit ad clerici sustentationem honestam, juxta taxam ab episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen missarum, saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia diœcesi, tunc, si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam synodalem loci ubi est beneficium: secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat juxta ac statuit Innoc. XIII. in sua constit. *Apostolici ministerii*. Hæc omnia De syn. diœc. l. 12. c. 9. n. 2.

Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici, nec nisi in subsidium pro necessitate vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad tiulum pensionis vel patrimonii ex Trident. sess. 21. c. 2. de Reform. nec, nisi concurrat necessitas vel commoditas ecclesiæ, licitum id esse edixit sacra congr. concilii in encyclica die 18. maii 1679. jussu Innocent. XI. exarata. Inst. Eccles. 26. n. 2.

Ad ordines conferendos censet Pontifex ex conc. Trid. sess. 23. de Ref. c. 2. non esse positum in arbitrio episcopi ut ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam concilium exigit ut saltem linguam latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinæ linguæ. Inst. Eccl. 42. n. 2.

Quoniam vero ad sacros ordines requirit Trid. ibid. canon. 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, atque ad administranda sacramenta, ideo subdiaconatui convenit ut præcedat annus integer studii, sive theologiæ moralis, sive scholasticæ, sive juris canonici; biennium vero ad diaconum ordinandum, triennium ad sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit contractus, cambia etc. concilium enim exigit ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem, ibid. n. 3.

In ordinum sacrorum interstitiis dispensare etiam quoad regulares, non quidem ad eorum præsules, sed ad episcopum ordinantem spectat, uti ex responso sacr. congr. Instit. Eccles. 58. n. 1. quanquam ab episcopo deferendum sit judicio superiorum regularium, ut ex aliis decretis sacr. congr. ibid.

Quoad clericum secularem episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem aut necessitatem ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt; cum ordinandus provectior sit ætate, et simul etiam maxime provectus in studiis; seu tandem, cum agitur de parœcia, seu alio beneficio exigente intra annum ordinem sacrum, ut ex DD. ibidem.

Ceterum, si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum sedis apostolicæ, permissa est tamen ista dispensatio arbitrio episcopi, ut Innocentius XII. in sua resolutione die 4. dec ann. 1693. in in ejus Bullario ibidem.

Si quis obtinuerit privilegium a sede apostolica ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo; quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in Brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo sedis apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit decretum sacræ congreg. concilii, definiens

dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. Inst. Eccles. 136. num. 6.

Ordines minores conferre non licet, nisi mane diebus dominicis, et festis duplicibus *de præcepto*, quod postremum additum est Pontificali Romano ex nova correctione Urbani VIII. cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus:* quare non licet ordinare initiandos diebus duplicibus, sed non festis de præcepto. Inst. Eccles. 106. num. 3.

Si quis recipiat ordines minores eadem que die subdiaconatum, incidere in suspensionem vi decretalis, in c. De eo qui furtive ordines suscip. doctores quidam censent, quanquam alii negant, Instit. Eccles. 106. num. 8. Vetitum est tamen id agere, sicut ex pluribus decretis sacræ congregationis firmatur, ibidem.

Si clericus initiandus sacris sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero tam sincera exhibeat resipiscendi argumenta ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille confessario suadendi ut differat susceptionem sacri ordinis acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat etiam consilium. De syn. diœc. l. 11. c. 2. n. 17. 18. nov. edit.

Ordines minores collati ab abbate nullum ad id obtinente priviligium, neque licite conferuntur, neque valent: si vero conferantur ab abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis sacræ congreg. De synod. diœces. lib. 2. cap. 11. num. 8. et 9. nov. edit.

Cum regularibus faciliorem se præbere potest episcopus in ordine ad examen, ut ex Salm. Theol. Moral. tract. 8. c. 5. dub. 2. Pont. 2. n. 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio superioris regularis testantis de sufficientia causæ. Inst. Eccl. 26. n. 1.

Episcopus alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio episcopo sit præstandum, ut ex communi doctorum sententia; at, si velit novæ discussioni illum subjicere, potest, ut

sæpius a sacr. congr. Concilii definitum est. At episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumtus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem congregatione decisum est in causa Elbor. Dubior. die 22. augusti anni 1721. cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. De synod. diœc. l. 12. c. 8. n. 7. nov. edit.

Ordinatus, ut valide id præstet, debet habere intentionem virtualem saltem externam, et internam suscipiendi quod Ecclesia intendit ab eo suscipi. Quod si coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet. De sacrif. miss, l. 7. c. 10. n. 12. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est nec voluntatem suscipiendi, et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum sacr. congregationis.

In sacra congregatione die 31. martii 1635. agitatum est num clericus (qui falsaverat testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi ordinem subdiaconatus, qui tunc sibi ab episcopo conferebatur) reipsa ordinatus esset. Respondit vero die 24. augusti ejusdem anni esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur clericus, non satis constare poterat utrum verum animum suscipiendi ordinem non habuerit, ibid. num. 13.

Cum male promotis ad ordines, et signanter cum promotis per saltum in casibus occultis major pœnitentiarius dispensare potest ad effectum ut omissos ordines occulte suscipiant a quolibet antistite, etiam extra tempora, non servatis interstitiis, et absque dimissoriis: non tamen ut plures ordines sacros eodem die suscipiat. Bulla *Pastor bonus*, Bull. tom. 1. n. 95. sec. 18.

Dispensat etiam cum promotis ad sacros ordines per simoniam, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiæ, ib. n. 19.

PAROCHUS.

Parochus actualis, etiam regularis, quocumque appelletur nomine, nempe vicarii perpetui, seu ad tempus constituti, tenetur missam applicare pro populo singulis diebus festis de præcepto, ut in encyclica ad episcopos Italiæ, incipiente *Cum semper*, Bull. tom. 1. n. 103. Pontifex mandat.

Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi missam, curare debet ut illis per alios satisfaciat, ibid. n. 8. Parochis tamen pauperibus potest episcopus indulgere ut ipse parochus satisfaciat aliis obligationibus, quæ forte occurrunt, applicandi missam diebus festis, dummodo tamen eidem missæ pro populo infra hebdomadam satisfaciat, ibid. n. 8. parochus etiam pinguioribus redditibus præditus absolvitur ab obligatione applicandi missam singulis diebus pro populo, dummodo non aliter in fundatione beneficii cautum sit, ibid. n. 6.

Parochum regularem suo muneri deficientem potest punire episcopus cumulative cum superiore regulari, ita tamen, ut, si aliter statuat superior regularis, aliter episcopus, standum sit episcopi mandato; ita statuit Pontifex in bulla *Firmandis*, Bull. tom. 1. n. 109. si removeri debeat, potest tam episcopus sine superiore regulari, quam hic sine illo id præstare, ibid. n. 11.

Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, uti ex communiori et in praxi recepta sententia. De syn. diœc. l. 5. c. 4. n. 2. nov. edit.

Parochi ecclesiarum filiarum interesse tenentur benedictioni fontium diei sabbati sancti, ex sæpe repetitis sacr. congr. concilii decretis. Instit. Eccl. 1. n. 2. et seq.

Episcopi successores ex rationabili causa etiam extra visitationem possunt examinare parochos ad Ecclesias parochiales alias approbatos, ut in decr. sacr. congr. concil. Instit. Eccl. 9. n. 16. quin, et hoc potest episcopus præstare pro libitu, et ex sola quiete animæ suæ, quamvis nihil habeat suspicionis, ibidem.

Si vero episcopus velit iterum examinare quos ipse

approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia; quamvis hoc non requiratur ab iis quos laicus patronus nominavit ad beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex sacra rota, et ex cardinali de Luca de Paroch. disc... ibidem.

Parochus habendus est quoad crimen complicitatis ille qui peccat cum famula sua quæ in ejus domo habitat, quamvis in alia parœcia habeat paternam domum; et reipsa quidem præceptum paschale tenetur illa implere in parœcia ubi famulatum habet. Instit. Eccl. 83. n. 22.

Tolerari potest ut parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo et secundo gradu consanguinitatis, et etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quæ tamen minores non sint annis quadraginta: ita decretum est a sacr. congreg. concilii pro diœcesi bononiensi, Instit. Eccl. 72. per totam, quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo parocho cohabitantes; quæ vero munus suum præstant propinquis ejusdem parochi minoris etiam ætatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonæ famæ suæ habeant.

Parochi alienæ diœcesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex decr. sacr. congregat. concil. Inst. Eccl. 86. num. 7.

Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota civitate vel oppido ubi parochi constituuntur, non vero in tota diœcesi episcopi approbantis, ut ex decretis sacr. congregat. ibid. n. 10. Ex consuetudine tamen parochi civitatis confessiones audiunt in diœcesi, et vice versa, ibid. n. 13.

Si parochus beneficio renuntiet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi doctorum, ibidem.

Parochus habens redditus tenues, et populum tam frequentem ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur: ita ex decr. sacr. congr. conc. Instit. Eccl. 94. n. 7.

Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occulte adhærere, assistere matrimonio non potest, quem-

admodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens: ita De syn. diœc. l. 6. c. 7. n. 6. et 7. nov. edit.

Parochus ad residentiam materialem et formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis sacr. congr. a Greg. XIII. approbatis. De syn. diœc. l. 13. c. 19. n. 2. nov. edit. Idque verum est, licet sibi sacerdotem idoneum procuret ut se absente ejus vicibus fungatur, ibidem.

Fas est equidem parocho propter inimicitias et persecutiones a residentia recedere ex textu cap. Ad supplicationem, de Renuntiat. quia tunc periculum inimicitarum soli parocho imminet; quare potest alium sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. At in peste omnibus æque periculum imminet, ideoque convenientius est ut id discriminis subeatur a parocho, quam ab alio sacerdote, ibid. Quæ de parocho dicta hic sunt, valent etiam pro episcopo.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta baptismi et pœnitentiæ, ut adnotatum est v. Pœnitentiæ sacramentum, sed et viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu in quo rarus esset sacerdos vel parochus: ex quo fieret ut post administratum sacramentum pœnitentiæ uni, non superesset spatium ut aliis morituris pœnitentiæ sacramentum administraretur; vel si eo sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur sacerdotibus, ut ex doctrina Suarez. De syn. diœc. lib. 13. cap. 19. n. 18. 19. nov. edit.

In ordine ad extremam unctionem, ex doctrina ejusdem Suarez, tunc tenetur parochus illam administrare quatenus valeat absque morali vitæ periculo, ibidem.

PATRIMONIUM.

Constitui non debet patrimonium in industria clerici, ut si sit musicus, magister etc. ut respondit sacr. congr. in una Seguntina mense octobris 1589. sicut nec institui potest in bonis mobilibus, et se moventibus, ut respondit sacr. congr. conc. die 29. nov. 1670. Inst. Eccl. 26. n. 7.

Patrimonium admissurum se profitetur Benedict.

XIV. dum erat tantum archiepiscopus bononiensis, in capellania amovibili, dummodo patronus obligasset fidem suam nunquam ab ordinato removendi illam capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive beneficium, sive patrimonium, et idem patronus vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si forte impediretur a celebratione missæ, ibid. n. 11.

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur, ib. n. 12. Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera, et inalienabilis absque licentia ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis sacr. congr. ibid. n. 13. Curandum est tamen ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato, ib. n. 14. dummodo etiam absit omnis pactio tacita vel expressa, facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit: sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium, cum onere ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii, ibidem.

Si quis fictum patrimonium suum sciat, et nihilo secius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex can. Neminem, et can. Cunctorum dist. 70. et ex decreto sacr. congr. anno 1610. si vero id nesciat, sciat autem ordinarius, et tamen ordinet, ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere ex vi eorumdem canonum, et sensu sacr. congr. concilii, num. 16.

Patrimonii alienatio absque ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex decretis sacr. congreg. ibid. n. 28. nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate ordinarii, ut ex similibus decretis, ibid. n. 29. nec tandem obligari possunt bona patrimonii, adeo ut, si forte accidat ut debitum solvendum sit nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem quæ alimentis ordinati super-

fluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad heredes: ita ex decretis sacr. cogr. n. 30.

Denique ordinati ad titulum beneficii resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli qui beneficio resignando adjacet, et concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat: ita ex decretis sacr. congr. ibid. n. 30.

PATRONUS.

Patronus ecclesiasticus tenetur præsentare ad beneficium curatum illum quem digniorem putat inter approbatos ab examinatoribus, ex vi concilii Tridentini c. 18. sess. 24. Episcopus non debet inquirere super prælectione facta a patrono, nisi forte aliquis fuerit inter approbatos qui reclamet super electione facta a patrono, quasi elegerit minus dignum: ita in epistola archiepiscopum florentinum. Bull. tom. 2. n. 4.

Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad beneficium curatum, ut ex sancto Thoma. 2, 2. q. 65. art. 2. ad 3. aliisque theologis firmatur. Inst. Eccl. 7. n. 5. 8.

Patronus si promiserit se collaturum alicui beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine etc. non obligatur servare quod spopondit, tum præsertim cum nondum beneficium vacat. Ita ex sancto Thoma. Instit. Eccl. 12. n. 8.

Si patronus ecclesiasticus præsentaverit aliquem tanquam digniorem, et examinatores illum tanquam probatiorem aliis concurrentibus judicaverint, et unus ex illis qui minus dignus judicatus est, queratur coram episcopo de erroneo examinatorum judicio, seque digniorem esse contenderit, tunc episcopus tanquam judex, priusquam institutionem concedat, in judicium patroni inquirere debet. Epist. ad archiep. florent Bull. §. 11. n. 4.

PŒNITENS.

Pœnitens, vel quicumque alius qui falso denuntiaverit judicibus ecclesiasticis se esse ab aliquo confessario sollicitatum, incurrit reservationem apostolicæ

sedi reservatam. Bulla *Sacramentum pœnitentiæ.* Bullar. tom. 1. n. 20.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM.

Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem ut Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ obtineat: sed quænam sit ista attritio non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, et remisso; potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, et gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ et pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto; vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab episcopo in synod. sua monet Pontifex; suadet tamen, ut doceantur confessarii, æquum esse hortari pœnitentes ad veram et perfectam contritionem, quod et in Rituali jussu Pauli V. edito monetur. De syn. diœc. l. 7. c. 13. per totum.

Moriturum, qui antequam incidat subitus ægritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, et postquam supervenit confessarius nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior et tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute; hæc enim tantum valet in casu quo moriturus dubia prorsus et ambigua contritionis signa præbuit. De synod. diœc. l. 7. c. 15. n. 8. nov. edit.

Si vero ex nullo testimonio constet illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse et confessionem petiisse, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit; nam acta christianæ

vitæ totidem sunt voces quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, et contritionem exhibuerit; et nisi sint præsentes actus pœnitentis, per vitam illam ante christiane actam, præcessisse dicendi essent, et tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum præmissa. De synod. diœc. l. 7. c. 15. n. 10. nov. edit.

Imo, sunt qui velint iis etiam non negandam absolutionem sub conditione, qui, licet male vixerint, tamen catholicam fidem retinuerunt, et pro catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxa videtur, ibidem n. 13.

Pœnitentiæ sacramentum iis qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se præstare episcopus, cum ille agat per parochos, sicuti causa universalis per particulares: sed parochus omnino tenetur; quod et ratio suadet, et decreta sacræ congregationis approbata a Gregorio XIII. declarant, quanquam administrare illud possit aut directe per se, aut adhibita opera alicujus sacerdotis ab ordinario approbati; nam, si parochus omnino per se id agere deberet, ceteri parochiani morbo non affecti nollent tunc a parocho recipere sacramenta, eo quod sibi metuerent. De syn. diœc. l. 13. c. 19. n. 7. nov. edit.

PŒNITENTIARIA.

Pœnitentiariæ facultates dirigit, et ad certas leges extendit et reformat Benedictus XIV. in sua bulla *Pastor bonus*, Bull. tom. 1. num. 95. Absolvere potest omnes quoscumque eo se dirigunt, tum ab omnibus criminibus, tum ab omnibus censuris etiam latis in bulla *Cœnæ;* regulares quidem in utroque foro, ceteros in foro conscientiæ, quanquam etiam ceteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis a jure, et apostolicæ sedi reservatis; quin etiam latis nominatim ab homine, si jam expiraverit jurisdictio judicis qui sententiam tulit, seu quando ab illo remissa est absolutio ad sanctam sedem, vel si censuris illis innodati, fuerint impediti ut adeant eos a quibus de jure deberent absolvi.

Absolvit etiam hæreticos dummodo occultos, etiamsi

in hæresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci a nemine visi vel notati fuerint.

Publicos etiam hereticos, et apostatas absolvit in foro conscientiæ in casibus in quibus non est necesse denuntiare complices, nempe quod illi obierint, vel degant in regionibus palam infectis, non tamen in iis in quibus viget officium sacræ inquisitionis.

Non absolvit principes, et alios jus imperii vicario nomine habentes etc. episcopos ac alios superiores prælatos in casibus publicis contentis in bulla *Cœnæ Domini*.

Non absolvit eos qui astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu reipublicæ christianæ, seu de vita et morte Pontificis romani viventis exquirunt. Reliqua vide in eadem bulla.

Viduata Pastore Ecclesia romana, major pœnitentiarius, cujus officium tunc non vacat, absolvere potest ab omnibus quæ ad forum conscientiæ pertinent, etiam ab iis censuris in foro tamen conscientiæ, a quibus vivente Pontifice non posset, ita tamen ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum Pontificem.

Quoad forum externum, vacante sede apostolica, nihil potest sacra pœnitentiaria, nisi tantum in ordine ad regulares apostatas, ut dictum v. Regulares.

Demum, in eodem casu potest absolvere a censura publicos violatores ecclesiasticæ libertatis et immunitatis cum reincidentia tamen, ut supra. Hæc omnia Pontifex in bulla *Pastor bonus*, Bullar. tom. 1. num. 95. §. 52.

Potest etiam monialibus confessarios deputare, ex approbatis tamen ad moniales audiendas.

PESTIS.

Pestis tempore quid agi liceat, vel secus circa administrationem sacramenti confirmationis, pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quæstio est inter DD. anceps, in qua nihil certi decernitur. De syn. diœc. l. 13. c. 19. n. 19. nov. edit.

In ordine ad administrandam eucharistiam non esse

omnem Ecclesiæ ritum servandum, qui modo ab Ecclesia præscribitur, docet Muratorius in tractatu de Peste, sed ab episcopi judicio expetendum esse quid a singulis præstari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata vicarii apostolici Juliæ Cæsareæ. De syn. diœc. ib. n. 26.

Tuto potest episcopus judicare tempore pestis, quod eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent, ib. n. 27.

Extrema unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo quomodo fieri solet, cum unus tantummodo sensus inungitur, ibid. n. 29.

Licet autem judicio episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium oleo sacro imbutum, ib. n. 30.

PIGNUS.

Quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari, 1. Pupillus. n. Eam rem, ff. Quæ est pignori etc. quare res Ecclesiæ, et etiam mobilia pretiosa, non nisi concurrente legitima causa, et accedente licentia sedis apostolicæ vel episcopi respectu mobilium minoris pretii, vendi possunt. Inst. Eccl. 69. n. 5.

PRÆCEDENTIA.

Parochus loci ubi aliquis obiit, cadaver associans, semper habet præcedentiam supra alios, quoadusque est intra limites parœciæ suæ. Inst. Eccl. 105. n. 54.

PRECES PUBLICÆ.

Principes seculares si petant ab episcopo ut preces publicæ indicantur pro necessitate status, id utique potest et debet: nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine principes episcopali auctoritate neglecta indicere illas vellent. Encyclica ad omnes episcopos, *Quemadmodum preces*, Bull. t. 1. n. 82.

PROCESSIO.

Ad processiones solemnes cogi non possunt clerici nullum beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices presbyteri: beneficium vero etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit sacr. congr. cujus decreti occasione ponderatur nihil hic decerni de clericis non beneficiatis, nec alicujus ecclesiæ servitio addictis. Inst. Eccl. 31. n. 2.

Processiones prius fieri debent; dein missa solemniter cantanda ex rubrica Missalis Romani, Inst. Eccl. 68. n. 12. nisi tamen aliter ob gravem causam episcopo vel clero videatur, ib. ex eadem.

Regulares instituere nequeunt processiones nisi intra, vel circum ecclesias suas; nec confraternitates, nisi intra suum oratorium: si vero velint per urbem procedere, utique debent parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere. Inst. Eccles. 105. n. 51. sufficit tamen licentia episcopi etiam reclamante parocho, ut a sacr. congr. rituum decisum est, ib. n. 52.

Processio in festo sancti Marci si incidat in ipsam paschæ resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem paschæ ex decreto sacr. congr. rituum die 25 septembris 1734. Inst. Eccl. 28. num. 3.

PROFESSIO REGULARIUM.

Judicia de nullitate professionis quomodo instituenda sint? Vide v. Regulares.

QUÆSTUATIO.

Græci quantumvis exhibentes testimoniales de adhæsione sua romanæ Ecclesiæ, adhuc tamen ex decreto Innocentii XI. prohibentur quæstuare, et facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter congregatione jubentur episcopi ad se recipere, et ad eamdem congregationem de propaganda fide transmittere. Insuper Clem. XII. in suo Brevi jussit pecuniam ita a Græcis collectam, et alicubi depositam sequestrari ab episcopo, et ad eamdem congregationem transmitti. Inst. Eccl. 75. n. 1.

REGULARES.

In probanda nullitate professionis regularis multa edicit nova Benedictus XIV. in sua constitutione, *si datam hominibus fidem*, Bull. tom. n. 47. Mandat igitur ut servetur decretum Tridentin. sess. 25. de Regul. c. 19. quo vetantur audiri reclamantes contra professionem, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverint. Confirmat etiam varia decreta congregationis concilii ea de re edita. Mandat deinde ut probationes non fundentur in extrajudicialibus attestationibus, sed omnia juridice procedant. Insuper citari et audiri jubet tum defensores monasterii in quo habita est professio, tum consanguineos, sive alios qui bona professi obtinent, tum etiam auctores, vel complices metus incussi (si ex metu prætendatur nullitas professionis). Mandat ut in singulis diœcesibus ab ordinario deputetur defensor professionis, cui stipendium a judice definitum solvatur sive ab iis quibus bona professi obvenerunt, et eorum defectu a monasterio, et eo impotente ex mulctis tribunalis. A priori sententia pro nullitate omnino appellandum est, nec sine secunda sententia licet religioso cucullum exuere.

Post quinquennium peti necesse est a sede apostolica restitutionem in integrum, pro qua obtinenda defensor professionis assistat semper tum processibus instituendis ex vi commissionum, et superioribus regularibus et ordinariis locorum, tunc etiam cum dubium utrum concedenda sit restitutio in integrum in sacr. congregatione proponitur; neque in ea concessione sufficit unica sententia favens, sed duæ conformes requiruntur. Hæc novo jure sancit Pontifex: in ceteris consueta judicialis praxis retinenda est.

Cum regularibus redituris ab apostasia major pœnitentiarius dispensare, et commutare potest pœnas quomodocumque incursas, et pœnitentias regulares obeundas, sicut et absolvere a censuris, cum reincidentia tamen, nisi ad tempus præfinitum redierint (irregularitate tamen usque ad actualem reditum perseverante); potest etiam illis concedere transitum ad alium ordinem. Nemini autem regulari permittat ut vivere possit in veste seculari, seu clerici secularis. Bulla *Pastor bonus*, Bull. tom. 1. n. 95. sec. 33.

Transitum de una religione ad aliam etiam laxiorem

potest major pœnitentiarius concedere, ita tamen ut restringat hanc suam facultatem transeundi ad ordines in quibus regularis observantia viget, et in dubio attestatio ordinarii requiratur: non concedit tamen transitum ad ordines hospitalares, et militares, quamvis ad ordinem sancti Joannis de Deo facilius indulgeat; sicut nec concedit transitum ad ordinem sancti Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles congregationes cujuscumque ordinis fuerint, ib. n. 34. et 35.

Si regularis ante professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium suum denuntiet, nisi post professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in constitutionibus ejusdem ordinis, uti reipsa declaratum est in constitutionibus PP. capuccinorum, in quibus religio *ad retinendum* ejusmodi professum *minine velle se esse obligatam exprimit.* An tunc vero professus non dimissus a religione possit sponte abire, etiam illa repugnante, quæstio est non adhuc a sacra congregatione definita. De syn. diœces. l. 13. c. 11. n. 4. nov. edit.

Regulares pro apostatis habentur, si sese nulliter professos contendentes regularem habitum exuunt, et a claustris discedunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad monasterium; ita ex Trident. sess. 25. cap. 19. De Regul. De syn. diœc. l. 13. c. 11. n. 13. nov. edit.

Insuper non licet illis, ex inaniter præsumta necessitate recurrendi ad superiores ordinis, exire extra claustra sine superioris literis; alioquin enim apostatarum pœnis per ordinarium loci puniantur, ex Trid. ibid. c. 4. n. 13. Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens, et gravioris momenti, ib. n. 14.

Vetitum est superioribus regularibus ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis superiorem alterius religionis paratum esse ad eos recipiendos; atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste recte fiat ab una ad aliam religionem: ita ex decreto sacr. congr. concilii ab Urbano VIII. approbato, ibid. n. 14.

Transitus site, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad religionem in qua regularis observantia non viget; quin, nec licet, si religio illa sit militaris, aut hospitalaris, excepto ordine

sancti Joannis de Deo: ita edixit Benedictus XIII. in sua constit. *Licet sacra*, ibid. n. 14.

Regularis in claustris non degens, si ab illis abscessit non præobtenta superioris venia, vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta, et animum redeundi retineat, debet ab episcopo loci ubi moratur, in carcerem conjici, et superioribus regularibus consignari, secundum regulam puniendus, ut ex decreto sacr. congreg. concilii ab Urbano VIII. conformato, ibid. Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate superioris localis, ut recurrat ad aliam superiorem majorem, ibidem.

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab ordine, quidquid vetera sacr. congr. decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis decretis ejusdem congreg. concilii firmatur, ibid. n. 16.

Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in jure canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia et jejunio, ac tandem sententia provincialis ejusdem provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem provincia religiosis, designandis in congregatione provinciali, confirmandisque a superiore generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eamdem causam et priorem sententiam revocandi: ita ex novissimis decretis S. congr. concilii, ibid. n. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi qui ad normam regularum, et consuetudinum ejusmodi ordinum formantur, ibidem.

Lata contra ejectos sententia notificanda est episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest, ejusque mandatis obsequi debet: ita ex decretis sacr. congr. ibid. n. 20.

Ita ejecti non possunt induere habitum religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio ordinum in religione susceptorum, nec potest ab ordinariis ea pœna relaxari, moderari: ita ex decretis sacr. congreg. ibidem.

Si vero ex literis testimonialibus ordinarii constiterit spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad ordinem recipiendi sunt: ita ex decretis ibidem.

Demum, ita ejectus voto castitatis omnimodo abstrictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in

professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso: ita ex DD. ibidem.

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet constituere in carceribus formalibus religionis, ut ex decreto sacr. congr. concilii lato die 15. nov. 1698. constat, ibid. n. 21.

Religiosi tamen societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab ordine dimissi non comprehenduntur in decretis de apostatis et ejectis, ut ex responso sacr. congregat. concilii ibid. n. 21. Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in ordine, dirimit matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent patrimonio, vel beneficio, ibid. n. 23. Sunt tamen habiles ad beneficia, et ministeria ecclesiastica obtinenda, ibid. n. 26. Valent tamen hæc omnia in dimissis ante professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur et regulares, in ordine ad ejectos, ibidem.

Vota castitatis etc. a religiosis laicis cisterciensibus emissa, solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari decreto peculiaris congregationis habitæ coram Bened. XIV. die 27. martii. 1747. lato constat, ibid. n. 28.

Si religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ab ea absolutus pœna recipiendus iterum sit a religione, nondum definitum est a sacr. congreg. quamvis fuit consulta. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares, ibid. n. 30.

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt prævio examini ordinariorum, et approbationi, nec-non visitationi, correptioni, et jurisdictioni eorum in iis quæ ad prædictam curam pertinent. Const. *Quamvis ad confirmandum* etc. Bull. tom. 2. n. 1.

Regulares sacros ordines suscepturi non tenentur ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficit si illas acceperint a superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi ordines a quocumque, nisi illud obtinuerint post Trident. et ad illos pervenerit concessione directa, non vero communione privilegiorum de uno in alium ordinem. Si hujusmodi privilegium non habuerint, ordinari debent ab ordinario loci in quo degunt, si ille sacras ordinationes

tempore legitimo sit habiturus: si vero habiturus non sit, possunt dimissoriæ a superiore regulari illis concessæ ad alium dirigi cum authentica attestatione episcopi diœcesani, ex qua constet ipsum ordinationes habiturum non esse; transgressores hujus sanctionis, qui ordinationem ab alio susceperint, suspensionis censuram incurrunt; superiores regulares, qui dimissorias concesserint, voce activa et passiva mulctantur; ita Pontifex in Bulla *Impositi Nobis*. Bull. tom. 2. n. 27.

Si vero regulares tempore ordinationibus proximo transeant ad alterius loci monasterium, et post receptam ordinationem ab episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum monasterium, videntur hoc quidem fecisse in fraudem, nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem; ipsi ergo sibi consulant. De synod. diœc. l. 9. cap. 17. num. 4. nov. edit.

Si superiores dimissorias subditis suis dederint ut ab ordinario quocumque ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activæ, et passivæ, et dignitate qua potiuntur, ex decreto Clement. VIII. die 15. martii 1596. Quod decretum non ita legitur, ut in multis editis, *pœnas incurrent* sed *pœnas incurrunt*, quod infert pœnam latam, et non ferendam. Inst. Eccl. 23. n. 12. Num fruantur privilegio ordinationum extra tempora? Affirmandum esse videtur ex auctoritate concilii romani sub Benedicto XIII. titul. 5. cap. 2. ibidem.

Regulares habentes privilegium posterius Tridentino, ut exempti sint ab interstitiis, frui illo debent, nec possunt episcopi illos eo nomine ab ordinatione rejicere: ita ex decr. sacr. congr. die 24. augusti 1686. De syn. diœces. lib. 9. c. 16. n. 6. nov. edit.

Regulares etiam exempti nequeunt exponere sacramentum eucharistiæ sine velamine in suis ecclesiis, nisi ex causa publica ab ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto, dummodo tamen ab illo non extrahatur, ut ex decreto sacr. congreg. De syn. diœc. l. 9. cap. 15. n. 4. nov. edit.

Generatim vero jus est episcopis cogere regulares parere sibi circa ea quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis mysterii et celebrationis missæ præcipienda,

consueverint. Quod ex decreto Tridentini s. 22. de Observandis et Evitandis in celebratione missæ, eruitur, ib. n. 5.

Regulares tenentur parere episcopo præcipienti ne in eorum ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex decr. sacr. congreg. die 5. julii 1700. De syn. diœc. l. 9. c. 15. n. 5.

Regulares puniri possunt ab episcopo tanquam apostolicæ sedis delegato, si quid deliquerint in iis quæ respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, et earum quæ intra monasterii septa degunt, ibid. n. 6.

Regulares non possunt secularium confessiones excipere *sine licentia, gratia, et beneplacito episcopi*, quæ verba sunt Extrav. Bonif. VII. in cap. Super Cathedram, de Sepulturis; quod et confirmavit Trid. sess. 23. c. 15. de Ref. sed et fas est episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin et ex parte revocare; contrariamque opinionem Alexandri VII. die 30. januarii 1659. damnavit. De syn. diœc. lib. 9. c. 16. n. 7.

Possunt tamen regulares ab episcopo approbati acciri ad domos secularium ægrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a parochis ægrotantium licentia; sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere syngrapham, qua parochus certioretur: ita ib. n. 8.

Regularibus prælatis non licet monasteria monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat ut sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia episcopi diœcesani, aut alterius ecclesiastici ab ipso deputati. Ita ex constitutione *Felici* 156. Alexandri VII. De syn. diœces. lib. 9. cap. 15. n. 6. nov. edit.

Regularibus vetitum est alloqui moniales etiam sibi subjectas sine licentia expressa non solum superioris regularis, sed episcopi, ne vel semel quidem per spatium quadrantis horæ cum dimidio, ne vel pariter occasione concionis ad moniales illas habitæ, ne vel tandem ex causa quantumcumque honesta, et pia, ibid. n. 7.

Regulares subduntur coercitioni episcopi, si excipiant confessiones secularium sine prævia episcopi approbatione, ut ex constit. X. Clement. X. item non possunt inconsulto, et non approbante episcopo audire confes-

siones monialium sui ordinis etiam exemptarum ex vi bull. 18. Greg. XV.

Regulares nova monasteria seu domus ne erigant vetantur absque sedis apostolicæ et episcopi facultate, quamvis Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Regul. solius episcopi facultatem exprimit. De syn. diœc. 1. 9. c. 1. n. 9. nov. edit.

Est tamen pro monialibus in ditione hispanici regis Breve Urbani VI. suspensivum ejusdem constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. De syn. diœc. 1. 9. c. 15. n. 9. nov. edit.

Ad statum regularem transire possunt presbyteri ecclesiæ vel diœcesis servitio addicti, invito etiam episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere: ita in epistola ad card. Quirinum, *Ex quo dilectus*, Bull. tom. 2. n. 25.

Regulares extra monasterium degentes, et clericos regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum, nisi habeant judicem certum a sede apostolica in partibus deputatum, coram ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia decernit Pontifex in bulla *Ad militantis*, Bull. tom. 1. n. 48. sec. 41.

RESERVATI CASUS.

Ad solum romanum Pontificem, episcopos et prælatos inferiores habentes jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato pertinet casuum reservatio, ex doctrina concilii Trident. et decisionibus sacr. congreg. De syn. diœc, 1. 5. c. 4. n. 2. n. e.

Quanquam reservatio fieri potest extra synodum, multa tamen suadent ut potius in synodo fiat: ideo præsertim, quia non desunt theologi cum Roncaglia tenentes leges ab episcopo latas extra synodum, eo cessante, cessare; cum ea tantummodo quæ in synodo fiunt ab episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant, ib. n. 3.

Actus mere internos, nec summus Pontifex, nec episcopi reservandos sibi unquam censuerunt, ibid. c. 5. n. 5.

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quæ in decreto Clem. VIII. definiuntur, sed nec possunt alia ab his diversa crimina illigare cen-

sura reservata, ut et firmat Pontifex ex decreto quodam sacræ congregationis episcoporum et regularium, ib. c. 5. n. 6.

RESIDENTIA.

Ad residentiam tenentur episcopi et parochi, ut ex concil. Tridentino s. 6. c. 1. de Ref. et s. 23. c. 1. adeo ut quo tempore non resident, non faciant fructus suos, ut ex constit. 91. Pii IV. ex qua etiam constitutione constat, si quo tempore illi non resident, obierint, de redditibus ecclesiasticis disponere nequaquam posse, etiamsi testandi facultatem obtinuissent. Inst. Eccl. 17. n. 4. et 5.

Episcopi, æqua et rationabili causa poscente, ad duos tresve menses quotannis abesse a diœcesi permittuntur; parochi vero duobus mensibus possunt quidem, sed de licentia episcopi, et relicto idoneo vicario ab ordinario approbando, ut ex Trid. s. 23. cap. 1. de Ref. ibid. n. 7.

Nec sine licentia episcopi abesse possunt per hebdomadam sicut non sufficit licentia tacita. Ac demum non est satis ad evadendas pœnas, si causa sit evidens, et episcopus non consulatur, vel si consultus neget; licet tunc possit fieri recursus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improviso discedere necessarium sit, tunc post discessum scribendum est ad ordinarium. Ita ex decr. sacr. congr. ibidem n. 11.

Pro parochis tamen agrestibus sufficit licentia vicarii foranei pro absentia tamen modici temporis: ita ex decretis sacr. congr. num. 12.

Si abeundum sit duobus vel tribus diebus non festivis, mos singularum diœcesium tenendus est. Ita ex doctoribus canonistis, ibidem.

Ad excusandum non residentiam, non sufficit aeris intemperies. Si tamen parochus ægrotaret, nec posset ibi ex defectu medicorum curari, tunc ad quatuor menses obtinere potest ab ordinario licentiam secedendi ad loca viciniora, vicario idoneo interim substituto, sicut ex decretis sacræ congreg. ibidem n. 25.

Nec excusantur, si absint, ex eo quod parœcia distet tantum tribus quatuorve milliariis a civitate.

Nec etiam, si nocturno tempore ibi resideant, et celebrata summo mane missa, tum reliquum tempus

agant in civitate, relicto tamen idoneo substituto, illudque præstent per majorem anni partem; ita ex decretis sacræ congregat. concilii, ibidem, num. 18.

RESTITUTIO.

Bona immobilia ab hostibus in bello injusto capta, puta a piratis, infidelibus, hæreticis etc. si emantur a fidelibus, debent restitui proprio domino, nullo exacto pretio ab eodem; quod olim decretum fuit a congregatione propagandæ fidei anno 1630. Quorum opinionem Ben. XIV. admittit in epist. ad P. Nicolaum-Lercari, secretarium ejusdem congregationis. Bullar. tom 3. n. 57. Quod vero ad mobilia, eadem congregatio censuit restituenda esse ab emptoribus legitimo domino, exacto tamen ab illo eo pretio quo empta sunt; in hoc tamen judicium suum Benedict. XIV. non profert, ibidem.

REUS.

Reus juridice interrogatus in judicio criminali tenetur manifestare veritatem, ut innuit Pontifex in sua bulla *Paterna caritas*, Bullar. tom. 3. n. 24.

SACRAMENTUM.

Sententia asserens in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab episcopis configenda est. De syn. diœc. l. 7. c. 4. n. 9. Verum contraria tutior est, et omnino servanda in praxi. Quare, si quid ejusmodi contigerit, et necessitas urgeat, sacramentum baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est sedes apostolica, ibid.

SEMINARIUM.

Tenetur episcopus assumere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter a capitulo

eligatur; item duorum de clero civitatis, quorum alterius electio ad clerum spectat, quæ omnia sunt ex cap. 18. sess. 23. de Ref. Tridentini. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii; ut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam ejusdem seminarii, quanquam episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur. De syn. diœc. l. 5. c. 11. n. 4. ex pluribus sacræ congr. decretis.

SEPULCHRUM.

Sepulchra in ecclesiis confraternitatum haberi possunt, sed de licentia episcopi, uti sæpe decisum a sacr. congr. Inst. Eccl. 105. num. 124.

Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a sacra congregatione, ibid. n. 124.

SIMONIA.

In simonia contracta pro beneficio acquirendo major pœnitentiarius monetur, etiam in casibus occultis, et in foro conscientiæ, ne titulum ejusdem beneficii convalidet, nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissa, et orator, quam primum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Bulla *Pastor bonus*, Bullar. tom. 1. n. 95. §. 22.

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, cum in ecclesiam læsam vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat delinquentium paupertas. ibidem 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere Ecclesiæ, vel pauperibus, fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. Institut. Eccles. 12. num. 11.

Si quis poscat a sacra congregatione absolutionem a simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat, moneat, et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti Ecclesiæ, vel pauperibus restituat fructus perceptos, ibid. n. 12.

Si vero simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem, ib. n. 12.

Cum parochiani habent jus nominandi parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares, seu feminæ, seu minores habent jus nominandi in capita, ut ex Pitone de Controv. Patron. all. 100. n. 394. firmatur, ibid. n. 13.

Commendæ, prioratus, atque præceptoriæ ordinis hierosolymitani a canonistis quidem tanquam beneficia habentur, in quibus, si intercedant preces, pactiones, et munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu theologi, animadvertentes non esse illis adnexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri clericis, quæ duo exigunt beneficia quanquam negari non potest gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est Clem. XI. in suo Brevi ad magnum magistrum ejusdem ordinis, in quo etiam declarat collationes hasce nullas, et irritas esse, et fore. De syn. diœc. l. 12. c. 5. n. 15. nov. edit.

SOLLICITATIO IN CONFESSIONIBUS.

Sollicitatus nulla lege prohibetur quominus ante denuntiationem sollicitantis, illum occulte admoneat ut sibi provideat, sponte se offerendo tribunali. Tenentur tamen, etsi monitus compareat, et sit ex correptione emendatus, illum denuntiare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. De synod. diœces. l. 6. c. 11. n. 9. et 10. nov. edit.

Præceptum denuntiandi confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa, ibid. n. 14. nov. edit.

Sacordotes omnes etiam regulares sollicitantes ad turpia, in re venerea in actu confessionis vel ejus occasione aut prætextu, præter alias pœnas constitut. Sixti V. et Gregorii XV. inflictas, incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad missam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos sacerdotes, qui sacrificio missæ abutuntur ad sortilegia. Ita ex decreto sacræ congreg. inquisit. ex mandato Benedicti XIV. id vero decretum

enuntiandum publice est a superioribus cujuscumque ordinis palam semel in anno feria VI. post octavam assumpt. B. M. Virg. et in quocumque capitulo generali aut provinciali, ibid. Append. ad tom. 2. Bullar. Bened. XIV. n. 8.

SPECTACULA.

Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum, et adolescentium nudorum cursus, et luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab episcopis utque legibus latis prohibeantur mandat Pontifex in encyclica ad episcopos Campaniæ *Nihil profecto*, Bull. tom. 1. num. 60.

SPONSALIA.

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat, inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat; quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur. Inst. Eccl. 46. n. 5.

Sponsalia de futuro inita absque præsentia parochi, vel absque scriptura valere semper pronuntiavit sacr. congreg. cum Trident. tantum aboleverit matrimonia clandestina. Priora vero sponsalia etiam non jurata, etiam sine copula prævalent secundis sponsalibus, etiam juratis, et etiam cum copula, ut ex communi DD. Inst. Eccl. 46. n. 8.

Sponsalia inita invitis parentibus, quamquam judicari possint valida, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat archiepiscopus rossanensis, D. Muscettula, in dissertatione legenda in t. 1. operum Zauli ad statuta Faventiæ, ib. n. 8.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere, ibid. num. 16.

Oscula ob delectationem carnalem et sensualem, juxta terminos propositionis 40. inter damnatas ab Alex. VII. ob paritatem rationis, neque inter sponsos licita sunt, ibid. n. 18.

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non potest puniri pœna stupri ob aliquod jus, quod habet in corpus illius, ut ex decretis sacr. congr. apud Fagn. ib. n. 19.

Promissio de præsenti absque præsentia parochi, et testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus decretis sacr. congr. ib. n. 22.

SYNODUS.

Synodus diœcesana non necessario transmittitur ad sacr. congr. concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur et approbetur. De syn. diœc. lib. 13. c. 3. n. 6. Nam Sixtina constitutio, quæ afferri ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad concilia provincialia.

Constitutiones synodales statim ac promulgantur, ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum. ut de legibus imperialibus edicitur. Leg. Leges sacratissimæ, c. de Led. et Rub. nov. 66. et de legibus pontificiis DD. quidam asserunt, aliis magis communiter negantibus; nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, uti monent doctores plures. De syn. diœc. lib. 13. c. 4. n. 2.

Regulares etiam subjiciuntur legibus synodalibus in iis quæ respiciunt curam animarum, et sacramentorum administrationem, ex Trid. sess. 25. c. 11. de Regularibus, quamvis secus sit in aliis, sed ad evitandum deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suarez. Censet tamen Pontifex contra nonnullos regulares, quamvis teneantur ad festa diœceseos ex Trident. sess. 25. c. 12. regulares non tamen teneri ad jejunia ab episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam monasteriis forte invaluisset. De syn. diœc. l. 8. c. 4. n. 5. et l. 13. c. 4. n. 5. et 6. nov. edit.

TABACUS.

Tabacum per nares trahere, vel ejus fumum in os inducere ante missæ celebrationem, vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet pontifex, neque prohibendum judicat, cum ob receptam ac

pervulgatam ejusmodi consuetudinem, omnis in ea re modo absit inhonestas, et indecentia. De syn. diœc. l. 7. c. 63. n. 3. et l. 11. c. 13. n. 3. nov. edit.

TERTIARIÆ.

Mulieribus tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi diœcesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium sedis apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis redditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex decr. sacr. congr. in casu nazariensi die 10. maii 1727. De syn. diœc. l. 7. c. 41. n. 8. et lib. 9. c. 15. n. 9. nov. edit.

Tertiariæ collegialiter viventes, votis tamen solemnibus, et clausuræ non adstrictæ, cum sint contra bullam 8. Sancti Pii V. a sacr. congr tolerantur potius quam approbantur; sunt autem omnimode episcopi jurisdictioni subjectæ, ut ex pluribus sacr. congr. decretis. Inst. Eccl. 29. n. 13.

Tertiariæ non collegialiter viventes non possunt habere confessarium quemcumque etiam sui ordinis, nisi approbatum ab episcopo pro confessionibus secularium; item non possunt regulares illis die paschæ sacramentum eucharistiæ ministrare. Defunctorum corpora sepulturæ mandanda sunt in ecclesia parochiali, nisi forte in ecclesia regularium sui ordinis sepulchrum esset illis destinatum, Instit. Eccl. 19. n. 14.

Benedictus XIII. multa concessit tertiariis, sive vivant in communi monasterio, sive domi suæ vitam agant privatam, quæ utique jus novum concedere viderentur: sed, cum Clemens XIII. in sua constitutione *Romanus*, anni 1732. jura tertiariarum revocaverit ad terminos concilii Trident. ac decretorum apostolicorum; ideo nihil novum de illis statuendum est, ib. n. 16.

Tertiariæ collegialiter viventes ex recepta sacr. congr. immunitatis opinione, gaudent immunitate fori. Vicissim autem tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ex doctoribus definitur. Inst. Eccl. 105. n. 68.

TESTAMENTUM.

Testamentum factum coram parocho, et duobus saltem testibus idoneis valet pro toto statu ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale, ex dispositione cap. Cum esses 10.

Testamenta ad causas pias toto orbe catholico valent si fiant coram duobus testibus, ex cap. Relatum 11. de Testamentis, Inst. Eccles. 105.

Quoad dispositionem capitis Cum esses, non sufficit si sint duo, vel tres testes, et absit parochus, cum in canone sit, *coram presbytero suo*; nec sufficit, si defectum parochi suppleat capellanus; sicut neque, si præsentiam præstet confessarius ordinarius; demum, testes masculi requiruntur, nec feminæ valent; demum etiam, valet testamentum ita conditum, etiamsi testator non sit in extremo vitæ periculo, ib. n. 8. 9. et 10.

Scribenda sunt testamenta a parocho coram testibus, et a testatore subscribenda, sicut et a parocho et testibus: si tamen scribere nequeant, sufficit scriptura parochi, et signum crucis impressum in charta a testibus, ib. n. 14.

Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et, si adsit subscriptio, testatoris, et testium, non requiritur ut singula contenta in testamento referant notario: si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus seu sacerdos viva voce exprimere debet quidquid in eo testamento continetur; quod, et a singulis testibus seorsum præstandum est. Denique, et singuli illi subscriptionem suam agnoscant, ib. n. 16. Has vero omnes dispositiones scribat tabellio, et jungat testamento.

Ad servanda vero quæ in testamento mandantur, discussio parochi et testium agenda est a judice competenti, citata parte cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatitione, si illa reposita sint in archivio, ib. n. 16.

VASA SACRA.

Vasa sacra, dum actu continent corpus et sanguinem Christi, tangere nemo alius permittitur, nisi sacerdos, et diaconas.

Subdiaconis datum est in altaris ministerio tangere calicem et patenam, dum corpus et sanguinem Christi non continent.

Acolythis licet tangere illa, sed extra ministerium altaris, quod etiam extenditur ad omnes illos qui prima tonsura initiati sunt. Hæc omnia ex theologis. Inst. Eccl. 34. n. 18.

VENDITIO.

Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum, seu utilitatem percipiendi fructus beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus recepta pecunia in ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul solvatur, sive per plures solutiones. Id vero vetitum sub excommunicatione et aliis pœnis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis et contractus omnes ita celebrandos in futurum Pontifex irritat, et annullat. Const. *Universalis Ecclesiæ*, Bull. t. 1. n. 29.

In contractu emptionis et venditionis, si fiat pactum quo venditor, quandocumque voluerit rem venditam redimere obligetur vi ejusdem pacti plus dare quam receperit in venditione, contractus est injustus. De syn. diœc. 1. 7. c. 51. n. 4. et 1. 10. c. 8. n. 4. n. ed.

Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit amplius locus retrovenditioni, iste contractus sapit usuram, ex eo quod videtur induere naturam pignoris, ibidem, num. 4.

VIATICUM.

Ægroto impotenti ad viaticum sumendum, non licet sacram particulam deferre ad eam venerandum et deosculandum, quod fieri vetuit sanctus Pius V. et sacr. congr. concilii. De sacrif. miss. l. 3. cap. 19. num. 4.

Morituro impotenti ad eucharistiam sub specie panis deglutiendum, non potest sacramentum administrari sub specie vini, neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino linquendus est non refectus sacra communione, cum præceptum viatici non

obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab Ecclesia latina omnino prohibetur, ibid. n. 6.

Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur, ibid.

VICARIUS CAPITULARIS.

Ecclesia vacante tota episcopi jurisdictio devolvitur ad capitulum cathedralis ecclesiæ per textum in cap. His quæ, et cap. Cum olim, de Majorit. et Obed. ac illud quidem eam per se exercere posset nisi obstaret jus novum Trident. sess. 24. can. 16. de Ref. quod mandat ut intra octo dies post inductam, seu, ut decidit sacr. congr. post habitam notitiam vacationis, vicarium constituere teneatur, per quem illam exerceat. Si vero negligat, vel ecclesia vacans careat capitulo, tunc ad metropolitanum spectat; vel si nulli subjecta fuerit, ad viciniorem episcopum: si vero tunc metropolitanus vacaverit, jus istud transit ad capitulum metropolitanæ. Hæc omnia ex decisionibus sacr. congr. deducuntur in lib. 2. c. 9. n. 2. De syn. diœc. nov. edit.

Verum antiqua consuetudo quarumdam ecclesiarum, ut vacantis ecclesiæ administratio transeat in aliquem in ecclesiastica dignitate constitutum, retinenda est, ut ex Rota, ibidem.

Dispensationes ab apostolica sede ad episcopum, seu ejus vicarium generalem delegatas, et ante episcopi obitum nondum executioni mandatas, vicario capitulari exequi non licet, quia nec est episcopus, nec vicarius episcopi, ibid. n. 3.

Semel vero electus a capitulo vicarius removeri non potest, nisi causa agnita a sacr. congr. uti decisum refertur, ibid. n. 4.

Utrum vicarius capitularis ea possit, quæ non nisi speciali mandato vicarius episcopi præstare potest, doctores in utramque partem disputant, ibid.

Cum vicarius apostolicus datur ecclesiæ vacanti, nullam habet aliam auctoritatem præter eam quam vicarii capitulares ea occasione obtinent. De synod. diœc. l. 2. cap. 10. nov. edit.

VISITATIO DIŒCESANA SACRORUM LIMINUM, QUOAD EPISCOPOS.

Episcopus non prohibetur quidem bis quotannis diœcesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus sacr. congregationis decretis. De syn. diœc. lib. 7. cap. 53. n. 5. et l. 10. c. 10. num. 6. nov. edit.

Vicarius capitularis potest diœcesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus sacr. congr. decretis decisum est, ibid. lib. 2. cap. 9. n. 5. Illi tamen non nisi dimidium procurationis, quæ solvitur episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere; et constat ex resolutione sacr. congr. in una Ostunensi die 7. julii 1708. ibid. lib. 7. cap. 53. num. 5. et l. 10. c. 10. n. 6. nov. edit.

Episcopi omnes, ex vi constitutionis *Romanus Pontifex*, a Sixto V. editæ, antequam consecrentur, si Romæ existant, in manibus sanct. romanæ Ecclesiæ primi diaconi cardinalis, extra curiam vero in manu antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant se statis temporibus limina sanctorum apostolorum visitaturos per se, sive legitime impeditos per aliquem de suo capitulo, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio præditum; et, si hi defuerint, per sacerdotem aliquem diœcesanum secularem vel regularem.

Tunc autem romano Pontifici rationem reddere tenentur de pastorali officio impleto, et iis omnibus quæ ad suam diœcesim pertinent. Sacræ autem congreg. concilii injunctum est munus ut postulata episcoporum illorum discutiat, et det illis responsa, sicuti et videndi num legitime sint impediti. De syn. diœc. lib. 13. c. 6. n. 11. nov. edit.

Tempus intra quod obeunda est ista visitatio, aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium, ibid. n. 3. Porro, si episcopus habeat coadjutorem ab apostolica sede datum, sufficit si coadjutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo, et principalis sui nomine, ut ex decis. a sacra congreg. ibid. n. 5.

Id etiam præstandum est ab episcopo titulari, ut ex Fagnano aliisque ib. probatur, n. 5.

Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia: ita ex decreto consistoriali Alexandri VII. ibid. n. 6.

Postremo, prælati minores qui proprie territorium habent vere separatum, in quo independenter a quocumque episcopo jurisdictionem spiritualem exercent, ad eamdem visitationem tenentur, ut ex respons. sacr. congr. et ex bulla *Quod sancta*, data die 27. nov. anni 1740. a Bened. XIV. constat.

E contra vero non tenentur ii prælati inferiores, qui territorium separatum non habent, ut satis constat, ibid. n. 9.

VOTUM.

Vota simplicia etiam castitatis, et religionis, ac sacrarum peregrinationum dispensando commutare potest major pœnitentiarius romanus. Bulla *Pastor bonus*, Bull. t. 1. n. 95. sec. 29.

USURA.

Usuræ peccatum illud est, cum aliquid lucri exigitur ultra sortem ratione mutui. Nec hoc a vitio vacat, etiamsi moderatum sit lucrum quod deposcitur. Ratione tamen titulorum quorumdam, quos extrinsecos vocamus, e contractu mutui, exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est ne quid nimis accipiatur.

Sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celibrando adsunt. Quin et accidit quandoque, in nonullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri justo contractui locus esse possit, et adsit obligatio ut nudo mutuo alteri succurramus. Hanc doctrinam ab omnibus palam doceri mandat Pontifex, monetque insuper, ut, si quando in mutuo præstando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo, in celebratione contractus mutui explicentur. Hæc omnia latius in encyclica ad episcopos Italiæ, *Vix pervenit*, et Bull. tom. 1. n. 143.

DE

LEGIBUS, GRATIA ET VIRTUTIBUS.

N. 1.

AN PEREGRINI, ADVENÆ ET VAGI TENEANTUR LEGIBUS PROPRIÆ DIŒCESIS, A QUA ABSUNT.

Ex Benedicto XIV. de Synodo lib. XIII., Cap. IV., N. 9 et 10.

(Spectat ad N. 31. tract. DE LEGIBUS).

Difficultas de iis esse potest, qui de Episcopi diœcesi quidem sunt, sed extra diœcesim versantur, mox tamen ad illam redituri: de his quippe dubitatur, an absentiæ tempore diœcesanis Constitutionibus obstringantur, censurisque afficiantur in earumdem transgressores latis. Communiter verò respondent Doctores, particularibus loci statutis non obligari, qui extra statuentis territorium degit; juxta apertam decisionem Bonifacii VIII. "in Cap. final. de Constitut. in 6. Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur: cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè:" quæ est sententia Pauli Jurisconsulti "in leg. final. ff. de jurisdict." Aliud autem esse ajunt de præcepto, alicui ab Episcopo facto, ne ex gr. aleis

ludat, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda: eum quippe, cui tale præceptum injunctum est, si extra diœcesim aleis ludat, in excommunicationem incidere, iidem Doctores affirmant. Ratio discriminis est, quia lex, seu statutum, per se, et immediatè respicit territorium, seu diœcesim, eique quasi cohæret, ac proindè non potest obstringere, qui extra territorium seu diœcesim existit; præceptum verò afficit immediatè personam, ejusque veluti ossibus hæret, quòcumque terrarum discesserit; S. Antoninus "part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 2." Covar. "in Cap. Alma Mater, part. 1. §. 10. num. 3." Suarez "de legib. lib. 3. cap. 32. num. 1. et lib. 4. cap. 19. num. 1." Layman "in cit. Cap. final. de Constitut. in 6. n. 3." Pirhing "ad eumdem tit. de Constit. num. 55 et 59."

X. Verùm prædicta communis assertio limitanda est in illo, qui è diœcesi egreditur solo animo declinandi synodalis Statuti obligationem: quamvis enim nonnulli Doctores etiam hunc à Statuti vinculo solutum arbitrentur; meliùs tamen, eum, in legis fraudem discedentem, legis vinculum secum ferre, eoque constrictum manere, defendunt Manuël "tom. 1. Summ. cap. 219. num. 12." Vasquez "in 3. part. quæst. 98. art. 2." Rebell. "de oblig. just. lib. 2. quæst. 7. sect. 3. num. 16." Layman "Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 11. num. 9." Neque hodie fas esse videtur ab hac sententia recedere, postquam Sacra Congregatio Concilii illegitimum pronunciavit matrimonium, non servatâ Tridentini formâ, ab iis celebratum, qui solo animo illud clandestinè contrahendi, recesserunt è loco, ubi Tridentinum est promulgatum et se ad locum contulerunt, in quo promulgatum non est; quam declarationem, suâ roboratam auctoritate, Urbanus VIII. inseruit Brevi, ad Archiepiscopum Coloniensem, dato anno 1627, utì narrat Cardinalis de Lugo "lib. 1. Respons. moral. dub. 36." eidemque declarationi aliæ plures consonant, decisiones, quæ ab eadem Congregatione prodierunt, diligenter à nobis collectæ, et relatæ "in nostra Instit. 33. num. 8. et seq." Etenim, cùm neque Sacræ Congregationi, neque summo Pontifici in animo fuerit novam rogare legem, sed præexistentem, jam à Tridentino indictam, explicare, jam exindè conficitur, ex utriusque sententia, qui in legis fraudem è loco se subducit, ubi ea viget, sub lege nihilominùs comprehensum, ejusque nexu devinctum manere. Accedit,

quòd Clemens X. in Constitutione, quæ incipit "Superna," edita 21 Maji, et publicata 2 Augusti 1670. declaravit, posse Regularem in diœcesi, in qua ad excipiendas confessiones est approbatus, "confluentes ex alia diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit, in fraudem reservationis, ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse." Ex quo iterùm manifestum fit, dolum et fraudem nemini patrocinari, ad evadendum legis vinculum; eamque fraudem verè ab illo committi, qui, solo animo legem eludendi, è loco se proripit, ubi illa viget.

No. 2.

AN EPISCOPUS RELAXARE POSSIT DECRETA SYNODI PROVINCIALIS.

Ex Benedicto XIV. de Synodo lib. XIII. Cap. 5. N. 8.

(Refer. ad N. 58. tract. DE LEGIBUS.)

VIII. Non eo tamen jure, quo suæ diœcesanæ, relaxare potest Episcopus constitutionem Synodi provincialis. Hæc quippe condita est à cœtu Episcoporum tamquàm constituentium unum mysticum corpus altioris jurisdictionis, quàm in singulis reperiatur Episcopis; ac propterea censetur lex lata à Superiore, cui inferior, jure ordinario, nequit derogare: Suarez "lib. 6. de legib. cap. 15. num. 4." Et, quoniam etiam Archiepiscopus, quamvis Concilio provinciali præsideat, attamen est illo inferior; à Metropolitano enim ad Concilium provinciale, tamquàm ad Superiorem appellari posse, ait Glossa ultima "in Cap. penult. de appellat. in 6." hinc rectè infert idem Suarez "ibidem n. 5." neque Archiepiscopum potestatem habere relaxandi, seu aliquem per dispensationem solvendi à vinculo constitutionis editæ à Concilio provinciali.

Quocircà rectè ait Cardinalis Cozza "de jejun. part. 3. art. 9. dub. 1. num. 5." neque Episcopo, neque Archiepiscopo jus esse abrogandi obligationem jejunii in provinciali Synodo indicti.

AN EPISCOPUS RELAXARE AUT ABROGARE POSSIT LEGES SYNODALES A SE FACTAS, QUANDO A SUMMO PONTIFICE SUNT CONFIRMATÆ.

Ex Benedicto XIV. loco supra-citato, N. 9.

(Spectat ad eumdem N. 58. DE LEGIBUS.)

IX. Unam hìc difficultatem movent Bottus "de Synod part. 2. art. 4. num. 12." et Barbosa "cit. alleg. 34. num. 7." num scilicet integrum sit episcopo aut prorsùs delere constitutiones synodales à se factas, aut aliquem ex justa causa ab illis eximere, quando eædem auctoritate summi Pontificis sunt confirmatæ. Verùm, cùm ex dictis liqueat, constitutiones Synodi Diœcesanæ non solere à summo Pontifice confirmari, si quæstio circa eas dumtaxat versaretur, inutilis foret, et supervacanea: at, siquidem etiam de constitutionibus Synodi provincialis, quas nonnunquàm Pontificiâ auctoritate roborari diximus, dubitari potest, an Apostolicâ confirmatione munitæ, nihilo tamen minùs abrogari queant in alia provinciali Synodo; idcircò operæ prætium est aliquid de hac controversia delibare. Non una est hac in re Auctorum sententia. Baldus "in leg. Omnium, Cod. de testam." universim docet, statutum inferioris, à Superiore confirmatum, non posse deinceps, sine Superioris consensu, ab inferiore revocari. Oppositum sentit Bartolus "in ead. leg. Omnium," ubi expressè tradit, confirmationem Superioris nullum præbere obstaculum inferiori, quominùs legem à se rogatam, pro suo libito, revocare queat. Uterque tamen meliùs alibi suam aperit mentem: Baldus enim "in leg. Ex placito, num. 12. et seq. Cod. de rer. permut." et Bartol "in leg. Omnes populi, ff. de just. et jur." duplicem distinguunt legis confirmationem: unam vocant "essen-

tialem;" alteram "accidentalem:" essentialem dicunt, quæ est necessaria, ut inferioris statutum vires habeat obligandi; quod obtingeret, si inferior, nisi fulciretur auctoritate Superioris, potestatem non haberet suos subditos novi statuti nexu obstringendi: confirmationem accidentalem appellant, quando inferior habet potestatem ferendi veram legem, quæ talis sit, viresque habeat obligandi, sed solùm ad majorem ejusdem legis auctoritatem, et robur, confirmationem petit à Superiore. Hâc porrò distinctione præmissâ, ambo docent, statutum primi generis, à Superiore confirmatum, non esse ab inferiore revocabile: quoniam reputatur lex Superioris, lata ad petitionem inferioris: statutum verò secundi generis, siquidem etiam post Superioris confirmationem adhuc censetur lex inferioris, qui illius condendæ auctoritatem habebat, ajunt, posse ab inferiore revocari; quod probant "ex cit. leg. Omnium, Cod. de testam." in qua decernitur, testamentum, licèt confirmatum ab Imperatore, posse nihilominùs à conditore revocari.

X. Aliam distinctionem adhibet Panormitanus "in Cap. Cùm accessissent, de Constit. num. 2. et in Cap. Dilecto, num. 10. de præbend." Aut, ait, statutum respicit dumtaxat favorem, et commodum statuentium; et tunc confirmatio, obtenta à Superiore, statuentes non impedit, ne illud delere valeant: etenim Innocentius III. "in dicto Cap. Cùm accessissent, de Constit." rescribit, potuisse canonicos Tullenses rescindere statutum, quod ipsimet condiderant, abolendi nimirùm in sua ecclesia officium Primiceriatûs, quamquàm idem statutum fuisset ab Apostolica Sede confirmatum: aut statutum pertinet ad publicum bonum; et tunc, inquit Panormitanus, sine consensu summi Pontificis, à quo fuerit confirmatum, non potest à statuentibus rescindi, aut relaxari; quoniam jam effectum est jus Superioris, cui nemo privatus potest derogare, "leg. Jus publicum, ff. de pactis, Cap. Si diligenti, de foro comp."

XI. Verùm, ut alias prætermittamus Doctorum opiniones, quas recenset Suarez "lib. 6. de legib. cap. 26." cæteris præferenda videtur sententia Fagnani "in cap. Si quis, à num. 11. usque ad 24. de confirmatione utili, vel inutili," ubi distinguendum docet inter confirmationem quam vocant "in forma communi," et confirmationem "in forma specifica." In

forma specifica fieri dicitur, cui præmittitur causæ cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deindè, nulla adjecta conditione, auctoritate Apostolicâ cum clausula "motu proprio, atque ex certa scientia," confirmantur. In forma communi confirmari dicuntur statuta, quæ non singulatim examinantur, neque approbantur à Pontifice "motu proprio, et ex certa scientia," atque Apostolicæ auctoritatis robur illis non adjicitur absolutè, sed solùm conditionatè, videlicet, "si justè, canonicè, aut providè facta sint, et dummodò sacris canonibus, Tridentini concilii decretis, et constitutionibus Apostolicis non adversentur:" quam postremam conditionem in omnibus statutorum confirmationibus "in forma communi" hodie exprimi, atque apponi solere, idem Faganus "num. 18." testatur. Jam verò, pergit Faganus, statuto confirmato "in forma specifica," cùm naturam induerit legis pontificiæ, nulli inferiorum fas est derogare: statutum verò confirmatum "in forma communi," integrum est statuentibus delere, atque ab illius obligatione aliquem ex justa causa subtrahere: etenim talis confirmatio nihil novi juris, aut efficacitatis illis tribuit, quâ antea carerent. De prædicta duplici confirmationis specie, atque utriusque effectibus fusè agunt Suarez "lib. 8. de legibus cap. 18. per tot." Garcias "de Beneficiis part. 3. cap. 2. num. 231. et seq." Barbosa "ad Cap. I. et Cap. 4. de confirmat. utili, vel inutili," Pirhing. "eod. tit. num. 3. et seq." atque "ibidem" Engel "num. 5." Reiffenstuel "num. 4."

No. 3.

DE OBLIGATIONE ASSISTENDI MISSÆ PAROCHIALI, ET AUDIENDI VERBUM DEI IN PROPRIA PAROCHIA.

Ex Benedicto XIV. de Synodo lib. XI. Cap. XIV.

(Refer. ad N. 80. Tract. de Legibus.)

VII. Vetus controversia est, sub finem præsertim XV. sæculi in Germania inter parochos, et Fratres Mendicantes summâ contentione agitata, num fideles

teneantur diebus festis parochiali missæ interesse. Causa delata est ad Sixtum IV. qui, rationibus utrimque allegatis, seriè expensis, tandem die 17. Junii 1478. illam definivit, editâ Constitutione, quæ incipit "Vices illius," relata "in Extravag. 2. de treuga, et pace," ubi inter alia præcipit: "Ut Fratres Mendicantes non prædicent, populos parochianos non teneri audire missam in eorum parochiis diebus festivis, et dominicis; cùm jure sit cautum, illis diebus parochianos teneri audire missam in eorum parochiali ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa ecclesia se absentarent:" ex qua Decretali liquidò constat, jure communi cautum esse, ut singuli fideles diebus festis missæ adsint parochiali. Inducta autem est ea obligatio ante concilium Sardicense, in quo Osius Episcopus "can. 14. tom. 1." Collectionis Harduini "col. 648." inquit: "Memini, superiore concilio Fratres nostros constituisse, ut, si quis laïcus in ea, in qua commoratur, civitate tres dominicos dies, id est per tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur:" nomine quippe "conventus," designari missam solemnem, in qua populus cum suo pastore unum efficit cœtum, unamque repræsentat Ecclesiam, communiter adnotârunt Canonistæ. Sardicensem canonem renovavit concilium Quinisextum "can.80." decernens "tom. 3." Collectionis Harduini "col. 1690." ut, "si quis in civitate agens, tribus diebus dominicis, in tribus septimanis, unà non conveniat, si sit quidem clericus, deponatur; si vero laïcus, segregetur. Ut huic porrò præcepto satisfieret in synodo Nannetensi 'can. 1.' relato in Decretales Gregorii IX. "Cap. 2. de parochiis," statutum est, "ut dominicis et festis diebus presbyteri, antequàm missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit, qui, proprio contempto presbytero, ibi missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab ecclesia ejiciant, et ad suam parochiam redire compellant: tom. 6. part. 1." Collectionis Harduini "col. 457." et in ejusdem Concilii "can. 2." additur: "Nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad missam recipiat." Eamdem legem, atque obligationem plures inculcârunt posteriores Synodi, quas adducit Natalis Alexander "tom. 1. Theolog. dogmat. et moral. lib. 2. de Sacram. Eucharist. art. 5. regul. 10."

VIII. Verùm hisce sanctionibus derogatum nunc est non solùm contrariâ consuetudine, quam jam suâ ætate multis in locis inductam innuit S. Antoninus "Summ. Theolog. part. 2. tit. 9. cap. 10." docens, non peccare, qui die festo missam audit extra parochiam, ubi consuetudo viget illam audiendi in qualibet ecclesia; verùm etiam posterioribus summorum Pontificum Constitutionibus: siquidem Leo X. Constitutione editâ die 13. Novembris 1517. disertè ait: "Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, notum facimus, omnes Christifideles, qui, non contempto proprio sacerdote parochiali, in ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, dominicis, et festis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere:" S. Pius V. suis Apostolicis litteris, datis XVII. kalend. Septembris 1567. definivit: "Christifideles audiendo missas in ecclesia Frantrum hujusmodi, diebus dominicis, aut festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur:" Clemens VIII. in Brevi, quod incipit "Significatum," dato anno 1592, hæc statuit: "Præsenti nostro decreto sancimus, sæcularibus universis liberè missas diebus dominicis, et aliis majoribus festis audire in ecclesia tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Societatis Jesu, licitè posse, dummodò in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant."

XI. At nihilominùs non desunt Auctores, inter quos Juenin "de Sacramentis dissert. 5. quæst. 7. cap. 2. art. 2." et Van Espen. "Jur. Eccl. part. 2. tit. 5. cap. 2." propugnantes, ne hodie quidem, citra grave peccatum, fas esse fidelibus, solemnioribus saltem diebus festis, rei divinæ alibi, quàm in propria parochia, interesse: neque enim juri communi derogatum, ajunt, per præfatas Constitutiones, quibus potestas fit secularibus missam audiendi in ecclesiis Regularium, quoniam in illis hæc adjicitur limitatio, nimirùm "Dummodo id non faciant in contemptum parochialium ecclesiarum:" est autem impossibile, pergunt, contemptum abesse, cùm iidem, sine ulla rationabili causâ, à propria se subducunt parochia. Verùm hâc explicatione, præfata summorum Pontificum indulta penitùs evertuntur: nullo etenim opus fuerat privilegio ad hoc, ut fideles, legitimâ urgente causâ, alienam adirent ecclesiam, ut ibi Missæ assisterent Sacrificio, quod

ex præfatis Juris communis sanctionibus perspicuum est: quare, ne dicamus, Leonem X., S. Pium V. et Clementem VIII. verbis lusisse, nec quidquam specialis privilegii Regularibus concessisse, necessariò fateri debemus cum Azorio "Instit. part. 1. lib. 7. cap. 6. quæst. 4. in fin." Fagundez "lib. 2. cap. 3. num. 9." aliisque ab his citatis, nomine "contemptus," ab illis intelligi actum aliquem distinctum ab ipsa auditione Sacri extra parochiam, quo quis sive expressè, sive tacitè, se à proprio pastore aversum ostendat.

X. Sed, quæ hactenùs diximus, solam adstruunt libertatem, rem divinam qualibet anni die audiendi in ecclesiis Regularium. Quid autem dicendum quoad alias ecclesias nullo privilegio hac in re à Sede Apostolica donatas? Integrum hodie omnibus esse in qualibet ecclesia, modò non sit capella, seu oratorium privatum, sacris Mysteriis interesse, quia contrariâ consuetudine, in toto christiano orbe receptâ, derogatum est præcepto audiendi missam parochialem, docent Sylvester "verb. Missa 2. quæst. 5." Navarrus "manual. cap. 21. num. 5." "Trullench in præcept. Decalog tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 6. num. 5." pluribusque allegatis, Barbosa "in collectan. ad Trident. sess. 22. de observand. et evitand. in celebrationi Missæ num. 21. de offic. et potestat. Parochi cap. 11. num. 14. et seq." addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant missæ parochiali, quia non potest delere consuetudinem, quæ cùm vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis. Et sanè, cùm versemur in lege merè ecclesiastica, etiam Juenin "cit. loc. in fin. § 3." admittit, potuisse legitimâ præscriptione abrogari: et Van Espen, quamvis eam in Belgio minimè abrogatam contendat, "numero" tamen 15. fatetur, solere Episcopos monere quidem, atque hortari, non verò ullo judiciali actu populum compellere ad interveniendum missæ parochiali. Enimverò, non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id aliciendam plebem, statuit Tridentinum "sess. 22. in decreto de observand. et evitand. in celebrat. Miss." ubi Episcopos in hunc modum alloquitur: "Moneant eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, et majoribus festis accedant." Tridentino obsequens S. Carolus Borromæus, in suo concilio provinciali Mediolanensi VI. "Act. Eccl. Mediol. part. 1. pag. 302." ab

omni abstinens præcepto, plures adduxit rationes, quibus plebem ad parochialem missam suaviter adduceret: "Hâc nostrâ monitione," inquit, "eos universos, et singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Jesu Christi obsecramus, atque obtestamur, ut, quamvis in suis viciniis, oppidis, et suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasve ecclesias habeant, ubi sanctissimo Missæ Sacrificio interesse possint; frequenter tamen dominicis saltem, aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quique parochialem ecclesiam conveniant, ubi à parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosiùs percipienda instruantur." Hortationibus pariter, et suasionibus usi sunt Ven. Dei Servus Joannes Ribera, Archiepiscopus Valentinus, in sua Diœcesana Synodo, habita an. 1584. "tom. 4. Concil. Hispan. pag. 285." Sanctus Toribius, Archiepiscopus Limanus, in sua diœcesana Synodo VII. coacta anno 1592. "ibid. pag. 689." aliique plures Episcopi in suis synodalibus Constitutionibus, apud Genettum "tom. 6. tract. 4. cap. 7. quæst. 5."

XI. Si istorum vestigiis inhæsisset Episcopus Midensis, suamque Constituionem verbis formasset tantùm hortatoriis, nulli fuisset reprehensioni obnoxius: sed, quia præceptum adjecit, hoc fuit expungendum; quemadmodum, jubente eâdem Sacrâ Congregatione, sæpiùs antea expunctum fuerat ab aliis similibus synodalibus Statutis, utì videre est apud Azorium "cit. cap. 6. quæst. 6. in fin." Pasqualigum "de sacrific. nov. Leg. quæst. 1258." Barbosam "loc. cit." atque in declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis impressis Lugduni anno 1640. num. 11.

XII. Majus negotium facessere poterat obligatio imposita Dei verbum audiendi in propria parochia. Idem quippe Tridentinum, quod agens de auditione missæ in ecclesia parochiali, verbis utitur dumtaxat hortatoriis: "Moneat populum:" loquens de divini verbi auscultatione, alia adjecit verba, quæ videntur præceptum, et obligationem inducere: "Moneatque Episcopus (ait "sess. 24. cap. 4. de reform.") populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei." Idem discrimen animadvertit, qui nullum

Tridentini verbum non est diligenter rimatus, S. Carolus Borromæus in nuper citato concilio Mediolanensi VI. "loc. cit. pag. 301." ubi hæc habet: "Sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Episcopis fideles non solùm hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales ecclesias saltem dominicis diebus, festisque majoribus accedant; sed illud etiam diligenter ostendit unumquemque teneri, ubi commodè fieri potest, parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei."

XIII. At, cùm Dei verbum, ex ejusdem Tridentini decreto "sess. 22. cap. 8." à parochis vel per se, vel per alios, sit annuntiandum, et explicandum inter missarum celebrationem, quod antiquissimi esse instituti notat Cardinalis Bona "rerum liturgicar. lib. 2. cap. 7. num. 6." inquiens: "Hic mos, numquàm interruptâ serie, ab initio Ecclesiæ usque ad nostra tempora servatus est, ut proximè post Evangelium sermo, sive homilia, vel tractatus ad populum haberetur:" hinc, si fideles obstringerentur præcepto illud in propria parochia auscultandi, tenerentur pariter missæ parochiali adesse, à qua tamen obligatione eos solutos pronunciavimus. Ad hanc dificultatem evitandam, varias Doctores iniêre vias. Suarez "tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 16. num. 10." opinatur, ideò Tridentinum verbo "teneri," eam addidisse limitationem, "ubi commodè id fieri potest," ut tali pacto significaret, sibi in animo non esse, fideles absoluto præcepto obstringere, sed tantùm monere, atque hortari. Ad hæc, ait Suarez, si aliquod urget præceptum audiendi Dei verbum, illud, non ex lege positiva Ecclesiæ, sed ex lege profluit charitatis, sibi debitæ, quâ quilibet "tenetur habere curam animæ suæ, non solùm adhibendo media simpliciter necessaria, sed etiam utilia, quale sæpè est concionem audire." Licèt porrò lex charitatis, pergit Suarez, non obliget ad concionem audiendam in parochia, Tridentinum tamen parochiam nominavit, quia ibidem à Parocho semper inter missarum solemnia concio haberi debet, quod idem Tridentinum alibi decrevit. Eamdem doctrinam amplexatus Rodriguez "Quæst. Regul. tom. 1. quæst. 43. art. 7." Tridentinum intelligendum docet, cùm, urgente charitatis præcepto se reficiendi pabulo divini verbi, hoc nusquàm commodiùs et utiliùs audiri potest, quàm in ecclesia parochiali. In idem recidit, quod tradunt Fagundez "lib. 2. cap. 1. num. 10." et Bonacina "disp. 5. de

tertio Decalogi præcepto quæst. unic. punct. 2. num. 27. et seq." nimirum, tunc solùm teneri fideles parochiali concioni interesse, cùm necessaria fidei rudimenta, quæ cæteroquin ignorant, alibi addiscere nequeunt; aut cùm prævident, alios suo exemplo pertrahendos ad concionem, à qua secùs, non sine gravi eorumdem animarum dispendio, se subducerent: quem tamen casum moraliter impossibilem, rectè simul advertunt. Sed fortassè meliùs Zerola "in prax. part. 1. verb. Prædicatio, vers. Ad 4." Trullench "cit. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 4. num. 11." aliique sentiunt, obligationem, si quæ unquàm fuit, auscultandi proprium parochum, verba facientem ad suum populum, ablatam nunc esse per contrariam consuetudinem, cùm passim viri pii, et docti aliò se conferant ad sacros audiendos oratores; ac proindè, inquit Zerola, Sacra Congregatio Concilii sæpiùs declaravit, non posse Ordinarium mulctis et pœnis subditos adigere ad concionem auscultandam in parochia: quod etiam testatur Barbosa "in collectan. ad Trident. sess. 24. cap. 4. num. 17." Mirum propterea non est, quòd præceptum hac de re latum ab Episcopo Midensi, tamquàm nimiùm severum, fuerit, ex ejusdem Sacræ Congregationis sententia, præcidendum.

No. 4.

CONSTITUTIO

SANCTI PII V., SUMMI PONTIFICIS, ADVERSUS ARTICULOS VULGO BAJANOS.

Postea confirmata à Gregorio XIII. et Urbano VIII.

(Spectat ad N. 23 DE GRATIA. Tom. II.)

PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim, et promiscuè deferatur: Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque prosiliunt, penitùs opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis, et doctrinæ, in varias sententias, offensionis et periculi plenas tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis, etiam in scholis, invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes:

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium; sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita æterna homini integro, et Angelo promissa

fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo, et primo homini, continetur naturalis justitiæ institutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratìs indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, et Angelo, forsitan non improbandâ ratione, possunt dici gratia: sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus, et indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè remanet, et corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quòd piè et justè in hac vita mortali, usque in finem, conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quòd, qui benè operatur, habeat gratiam, et inhabitantem Spiritum sanctum; sed in eo solùm, quòd obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, et pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proindè naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. "Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt," intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitæ negant; sed etiam qui-

cumque aliundè, quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est, ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, et sincera, quæ est ex corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus justè, rectè et sanctè vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm precipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ; et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42. Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, et secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ con-

sors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps benè vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, et in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Undè peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem à qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Parva desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita Præcepto "Non concupisces."

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt: actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam,

57. Undè in Sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; et ministerium sacerdotis solùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum, et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solùm reatus tollitur.

59. Quando per eleëmosynas, aliaquæ pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores); sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est, et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt); vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item, et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, et vitæ novæ propositum, et inchoatio per Dei gratiam

inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia et Scripturis minimè congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, et inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omninò justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; undè et Job, et Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto "Non concupisces:" undè homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum "Non concupisces;" quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo."

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, et institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensiones immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptove, emissa, præsentium, auctoritate damnamus, circumscribimus, et abolemus; deque eisdem et similibus posthàc, quoquo pacto, loquendi, scribendi, et dispuputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, benefiiciis, et officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare...... Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, et mandati, privationis et innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autum hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris, Pontificatûs nostri anno secundo.

No. 5.

CONSTITUTIO

CLEMENTIS XI. CONTRA PASCHASIUM QUESNELLIUM (*).

(Spectat ad N. 25. de Gratia. Tom. II.)

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Universis Christi Fidelibus salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Unigenitus Dei Filius pro nostra, et totius mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrinâ veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, et futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falsis prophetis, qui veniunt ad Nos in vestimentis ovium; quorum nomine potissimùm demonstrantur magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendidâ pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, sanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo, ac magisterio edocti,

(*) Errores Cornelii Jansenii proscripsit Innocentius X., per Bullam *Cum occasione*, datam pridiè kal. Junii 1653, quâ quinque propositiones ex ejus libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas, damnavit. Eas integrè refert Auctor suprâ in Tractatu de Gratia N. 24.

nullam omninò esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut, ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His Nos verè divinis monitis instructi, ubi primùm, non sine intima cordis nostri amaritudine, accepimus librum quemdam Gallico idomate olim impressum, et in plures tomos distributum, sub titulo:" Le Nouveau Testament en François, avec des Reflexions morales sur chaque verset. etc. à Paris 1699.;" Aliter vero: " Abrégé de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apôtres; des Epistres de S. Paul, des Epistres canoniques, et de l' Apocalypse, ou Pensèes Chrètiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez, etc. à Paris 1693. et 1694." tametsi aliàs à Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariàm permiscentem, adhuc tamen tanquàm ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, et operâ studiosè nimis quaquaversùm disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de regno ad populum alterum; versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim adduci summoperè doluimus: adeòque Pastoralis non minùs curæ nostræ stimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum præsertim Galliæ Episcoporum, litteris ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam hujusmodi libri perniciem ideò potissimùm progredi, et invalescere, quòd eadem intus lateat, et velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat; cùm liber ipse primo aspectu legentes specie quâdam pietatis illiceat; molliti enim sunt sermones ejus supra oleum; sed ipsi sunt jacula, et quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à Nobis posse arbitrati sumus, quàm si fallacem libri doctrinam generatim solummodo à Nobis hactenùs indicatam, pluribus singillatim ex eo

excerptis propositionibus, distinctiùs, et apertiùs explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirùm denudatis, et quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tùm pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maximè è re catholica futurum, et sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprimè proficuum: conscientiarum denique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed et ipse in primis charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpiùs Nobis est contestatus; repetitis propterea verè piis, et Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolatâ quantocyùs Apostolici censurâ Judicii consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulò diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, et tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones à compluribus in Sacra Theologia Magistris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti; deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio quàm maximâ diligentiâ ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet libri textu exactissimè factâ collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi et examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet:

1. Quid aliud remanet animæ quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum? "Luc. 16, 3."

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. "Joan. 15. 5."

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis. "Act. 16. 10."

4. Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. "Marc. 9. 22."

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. "Rom. 9. 18."

6. Discrimen inter fœdus Judaïcum et Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando. "Rom. 11. 27."

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis? "Heb. 8. 7."

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit. "Heb. 8. 10."

9. Gratia Christi est gratia suprema sine qua confiteri Christum numquàm possumus, et cum qua numquàm illum abnegamus. "1. Cor. 12. 3."

10. Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. "Matth. 20. 34.

11. Gratia non est aliud quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet. "Marc. 2. 11."

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. "Marc. 2. 11."

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. "Luc. 5. 13."

14. Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum. "Marc. 5. 6."

15. Quando Deus mandatum suum, et suam externam locutionem comitatur unctione Sui Spiritûs, et

interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientium, quam petit. "Luc. 9. 60."

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti. "Act. 8. 12."

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicumque ad eum non venit, postquàm audivit vocem exteriorem Filii, nullatenùs est doctus à Patre. "Joan. 6. 45."

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper adfert fructum suum. "Act. 11. 21."

19. Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. "Rom. 14. 4."

20. Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tamquàm Dominus, et omnia sibi submissa sunt. "Marc. 4. 39."

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum "2 Cor. 5. 21."

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. "Luc. 1. 38."

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, et mortuis reddit vitam. "Rom. 4. 17."

24. Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, et Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate. "Luc. 7. 7."

25. Deus illuminat animam, et eam sanat æque ac corpus, solâ suâ voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur. "Luc. 18. 42."

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem. "Luc. 8. 48."

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum. "2. Pet. 1. 3."

28. Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. "Marc. 11. 25."

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. "Luc. 10. 36."

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. "Joan. 6. 40."

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. "Joan. 20. 19."

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris. "Gal. 4. V. V. 4. 5. 6. 7."

33. Proh! Quantum oportet bonis terrenis, et sibimetipsi renuntiâsse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. "Gal. 2. 10."

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana. "Joan. 1. 16."

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ. "2. Cor. 5. 21."

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et statûs innocentiæ, ac gratiam christianam est, quòd primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. "Rom. 7. 4."

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei "Eph. 1. 6."

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris. "Luc. 8. 29."

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum. "Matth. 20. 3. 4."

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. 2. "Thess. 3. 18."

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi à Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem,

et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris. "Rom. 1. 19."

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas. "Act. 11. 9."

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. "Rom. 6. 2."

44. Non sunt nisi duo amores, undè volitiones, et actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus. "Joan. 5. 29."

45. Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. "Luc. 15. 13."

46. Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt. "Matth. 5. 28.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia. "Matth. 23. 26."

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, et sine charitate? "Ephes. 5. 8."

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. "Marc. 7. 21. 22."

50. Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi: si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat. "Rom. 8. 15."

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. "Act. 13. 39."

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquàm in suo germine, et semine; sed hæc fides non est absque amore, et fiducia. "Act. 10. 43."

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, et Jesum-Christum. "Coloss. 3. 14."

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur: eam solam Deus audit. 1. "Cor. 13. 1."

55. Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit

ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit. 1. " Cor. 9. 24."

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat. " Matth. 25. 36.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. " Matth. 27. 5."

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas. 1. Joan. 4. 8.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. " Joan. 10. 25."

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem. " Matth. 27. 5."

61. Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiù peccato addicitur, quamdiù ab amore justitiæ non ducitur. " Luc. 20. 19."

62. Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo. " Matth. 21. 46."

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. " Rom. 6. 14."

64. Sub maledicto legis nunquàm fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando. " Gal. 5. 18."

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, et Doctores legis mortui sunt, absque eo quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem. " Marc. 12. 19."

66. Qui vult Deo approquinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, et per amorem, sicuti filii. " Heb. 12. 20."

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. " Luc. 19. 21."

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide et precibus. " Act. 2. 21."

69. Fides, usus, augmentum, et præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. " Marc. 9. 22.

70. Nunquàm Deus affligit innocentes, afflictiones

semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. "Joan. 9. 3."

71. Homo ob suî conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. "Marc. 2. 28."

72. Nota ecclesiæ Christianæ est, quòd sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos cœli, et omnes electos, et justos terræ, et omnium sæculorum. "Heb. 12. 22. 23. 24."

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, et exspectantium gratiam futuri sæculi? 2. "Thess. 1. 1. 2."

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra. 1. "Tim. 3. 16."

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator. "Ephes. 2. 14. 15. 16."

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes electi, et justi omnium sæculorum illam componunt. "Ephes. 2. 22."

77. Qui non ducit vitam dignam filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite. "1. Joan. 2. 22."

78. Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaïcus, et Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio. "Act. 3. 23."

79. Utile, et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria sacræ Scripturæ 1. "Cor. 14. 5."

80. Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus. "Act. 8. 28."

81. Obscuritas sancti verbi Dei, non est laïcis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione. "Act. 8. 31."

82. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. "Act. 15. 21."

83. Est illusio sibi persuadere, quòd notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses. "Joan. 4. 26."

84. Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. "Matth. 5. 2."

85. Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis. "Luc. 11. 33."

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est úsus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni Dei. "1. Cor. 14. 16"

87. Modus plenus sapientiâ, lumine, et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequàm reconcilientur. "Act. 9. 9.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem. "Luc. 17. 11. 12."

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd, cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ. "Luc. 15. 23."

90. Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de censensu, saltem præsumpto, totius corporis. "Matth. 18. 17."

91. Excommunicationis injustæ metus, nunquàm debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquàm eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. "Joan. 9. 32. 23."

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, et anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem. "Rom. 9. 3."

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato; Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. "Joan. 18. 11."

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. "Rom. 14. 16."

95. Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis: et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos. "1. Cor. 14. 21."

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinæ gratiæ. "Act. 17. 8."

97. Nimis sæpè contingit membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquàm indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquàm ab ea separata; sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum. "Act. 4. 11."

98. Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat, tanquàm hæreticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est, et maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. "Luc. 22. 37."

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc. "Cor. 2. 16."

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit......Haberi, et tractari à religionis Ministris, tamquàm impium, et indignum omni commercio cum Deo, tamquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustrà quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abrep-

tus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum. "Joan. 16. 2."

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. "Matth. 5. 37."

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio; omnes et singulas Propositiones præinsertas, tamquàm falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, et hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demùm etiam hæreticas, variasque hæreses, et potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes, respectivè, hâc nostrâ perpetuò valitura Constitutione declaramus, damnamus, et reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Ceterùm per expressam præfatarum Propositionum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenùs approbare intendimus; cùm præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodiè

persecutionis obtentu, inobedientiam, et pervicaciam nutrientes, easque falso christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, et nimis longum esse duximus, et minimè necessarium; ac demùm, quòd intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpè noxios sensus, non sine maxima perversitate detórtum.

Eumdem propterea librum, utpotè per dulces sermones, et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quâvis editione, aut versione hactenùs impressum, aut imposterùm (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolicà, tenore præsentium, iterùm prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes et singulos in ejus defensionem tam scripto, quàm typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christi fidelibus, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, et interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles quoscumque per censuras et pœnas præfatas, aliaque juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omninò coërceant, et compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergô hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, mandati prohibitionis, et interdictionis

infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, Sexto Idus. Septembris, Pontificatûs Nostri anno decimo tertio.

I. CARD. PRODATARIUS.

F. OLIVERIUS.

Loco † Plumbi. Visa de Curia L. Sergardus.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. MARTINETTUS.

Sequitur publicatio et affixo locis consuetis.

No. 6.

INDULGENTIÆ CONCESSÆ DEVOTE RECITANTIBUS ACTUS VIRTUTUM THEOLOGICARUM, FIDEI, SPEI ET CHARITATIS.

(Spectant ad N. 42 DE VIRTUTIBUS. Tom. II.)

Sanctissimus Dominus Benedictus Papa XIV, brevi dato 28 januarii 1756, ut omnes Christi Fideles ad actus Virtutum Theologicarum, Fidei nempè, Spei et Charitatis, crebrò eliciendos excitaret, benignè confirmavit indulgentias à Benedicto XIII 15 januarii 1728 concessas, scilicet

1°. Indulgentias plenarias, animabus Fidelium defunctorum applicabiles, lucrandas semel in mense ab omnibus, qui singulis mensis diebus præfatos actus devotè, reverenter, et ex corde recitaverint, eo scilicet die mensis ab unoquoque eligendo, quo verè con-

triti, confessi atque sacrâ communione refecti, pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oraverint.

2°. Concessit Pontifex similes plenarias indulgentias de novo lucrari posse in articulo mortis.

3°. Ut commissas sibi oves abundantiùs excitaret ad laudatos actus sæpiùs eliciendos, concessit indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum, itidem applicabiles fidelibus defunctis, pro singula vice quâ quis præfatos actus fidei, spei et charitatis devotè, reverenter et ex còrde recitaverit. Hæ indulgentiæ pluries in die obtineri possunt, toties scilicet, quoties quis præfatos actus in die recitat.

4°. Tàndem declarat eodem brevi Benedictus XIV. memoratas indulgentias nullatenùs annexas esse certis, determinatisque verbis; sed unumquemque in recitatione præfatorum actuum uti posse quibuslibet verbis, modò in eis præcipua singulæ theologicæ virtutis motiva exprimantur.

No. 7.

CONSTITUTIO

BENEDICTI PAPÆ XIV.,

SUPER PLURIBUS DISCIPLINÆ CAPITIBUS, PRO INCOLIS REGNI SERVIÆ ET FINITIMARUM REGIONUM. Bullarii, tom. I. n. 89.

(Spectat ad N. 44 et 45 DE VIRTUTIBUS, Tom. II.)

Venerabilibus Fratribus, dilectis Filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Parochis et universo Clero et populo regni Serviæ aliarumque finitimarum regionum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Inter omnigenas . . . .
. . . .

3. Ordientes itaque à negotiis fidei, sine qua impossibile est placere Deo, omnibus et singulis istius Regni Fidelibus, qui Ecclesiæ Catholicæ communionem retinere cupiunt, districtè præcipimus atque jubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum et necesse est aliquando, christianæ religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant contra evangelica præcepta et instituta; præsertim verò, quæ protestationem includunt mahumeticæ sectæ; ideòque circumcisionem susceperint, sciant, quòd Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere; abominanda Infidelium templa, quæ Moschæas vocant, frequentare:

ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanare, et hæc eo fine, ut Mahumetani credantur, prorsùs devitent. Hæc enim omnia, eti fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contrariâ, quæ mendacium in re gravissima continet, et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit.

4. Multò verò magis, quum à publica potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant mahumeticæ sectæ se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet, sumentes scutum fidei, non solùm corde credere ad justitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin si eum coram hominibus negare ausi fuerint, et ipse negabit eos coram Patre suo.

5. Impius pariter, et illicitus est illorum Serviæ Christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua Turcarum sepulturis mandari, cum istorum assistentia, et mahumeticis adhibitis ritibus permittunt, aut jubent. Etenim si Christum in vita erubescere minimè debent, quantò minùs, quum ejusdem tremendo judicio sistendi sunt, ne et ipse eorumdem coram æterno suo Patre erubescat.

6. Munus itaque Episcoporum, Parochorum, et Missionariorum erit, seriò Christianos illos, qui supradicta, cum ingenti fidei injuria, nefariè præsumunt, docere et admonere, quòd frustrà sibi de christianæ legis custodia et zelo, deque filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes facti sunt omnium rei. Itaque ipsis apertè denuntient, quòd quisquis metu cujuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem quàm deum, et momentanea retinere, quàm æterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, et, si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat: alioquin à proprio Episcopo canonicis pœnis, ad præscriptum etiam supradicti Albani concilii, plectendus erit.

7. Arcendæ pariter à Sacramentis Ecclesiæ sunt illæ mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum

contubernium admissæ, celantes christianæ religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni religionis exercitio remotam; eisque à Pastoribus denunciandum est, ne salutis æternæ fiduciam collocent in ea fide, quam sine operibus mortuam, in corde tantùm utiliter conservare posse, sibi persuadent.

8. Istarum verò filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere prædicti parochi minimè dubitent: admonitis matribus, ut si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulò curent. De iis verò, qui validam ac vivacem corporis constitutionem præ se ferunt, et nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendæ voto, ad baptismum à supradictis matribus offeruntur; quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere, quæ suadere possunt, vel eos in evangelicæ legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab hujusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem secuturos esse; perpensis etiam infantilis ætatis periculis, ob quæ tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt; nihil expressè jubendum censemus; Ecclesiæque ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cùm gemitibus lumine Spiritûs sancti, juxta illius ductum et prudentiæ suæ dictamina se gerant. Quòd si eos ad baptismum admitti posse crediderint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem, quâ tenentur, hujusmodi Ecclesiæ filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere voluntatem Dei, eosdemque in disciplina et correptione Domine educare.

9. Illud etiam grave, ac permolestum auribus nostris accidit, concilii Tridentini decreta de matrimonii Sacramento ab aliquibus non observari in istis regionibus, in quibus debitam eorum publicationem jamdiù sequutam fuisse, ipsius Albani concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium fideles supradictis decretis teneri declarantes, irrita omninò et nulla esse definimus prætensa matrimonia, quæ coram solo Turcarum judice, Caddi dicto, vel etiam absque ipso, per solos sponsos, et non ad prædicti Tridentini concilii præscriptum contrahuntur. Quique hujusmodi nullas et clandestinas nuptias contraxerint, et post contra[illegible] convivunt, tanquàm in illicito concubinatu versant[illegible] si de præterito pœnitentiam agant, et

justo matrimonio in facie Ecclesiæ jungantur) à Sacramentorum participatione arceri præcipimus.

10. Matrimonio autem à fidelibus ritè contracto, eisdem minimè permittimus, ne quidem ob causam uxorum à Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddi per procuratores Turcico ritu renovare; nisi tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit merè civilis, et nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quodcumque superstitionis genus includat. Etsi enim non per se ipsos, sed per procuratores id peragant, nunquàm tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate, vel mandato committitur.

11. Quoad proclamationes verò à Tridentino concilio statutas, licèt in Servia minimè usu firmatæ asserantur; quum tamen in prælaudato concilio Albano parochis etiam Serviæ præscribantur, ademptâ dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem, Nos idem omninò, quum fieri potest, observari præcipimus.

12. Quòd si alicujus fidelis uxor ad Turcas confugiat, et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere; quum matrimonium, jure divino, conjugibus superstitibus, indissolubile, per hujusmodi mulieris facinus minimè dissolvatur. Undè, qui in tali casu alteram ducit, mœchatur; et nisi ab ea omninò separetur, à Sacramentis arcendus est.

13. Et quidem de hujusmodi mulierum salute, nisi pœnitentiam agant, quid judicandum sit, omnibus patet. De mulieribus autem christianis à Turcis per vim raptis, iisdemque violenter, vel in pueritia nuptis, quæ nullo Sacramentalis fidei jure conjunctæ, in illicito concubinatu cum infidelibus perseverant, idem omninò statuimus, quod in prædicto concilio Albano decretum fuit; ut scilicet illis Ecclesiæ Sacramenta denegentur; nulla ratione habitâ, vel prætensæ illarum in christiana fide perseverantiæ, vel violentiæ in puerili ætate à Turcis illatæ, vel etiam quòd unicæ, aut potioris, et justæ uxoris loco à Turcis habeantur; quum ista nullum jus tribuant in concubinatu, et fornicatione degentibus, ad percipienda Sacramenta; nullumque sacerdotibus, ad eadem indignis ministranda, præbeant facultatem.

14 . . . . . ("Cætera omittuntur, cùm in his regionibus usuvenire non possint.")

Mandamus, etc.

Datum romæ apud S. Mariam Majorem die 2. februarii anno Domini 1744, Pontificatûs nostri anno quarto.

N. 8.

DAMNATIO

ET PROHIBITIO LIBRI

GERMANICO IDIOMATE EDITI

CUI TITULUS:

Was ist der Pabst?

Græcè autem: Τί ἐστιν ὁ Πάπας;

Latinè verò: *Quid est Papa?*

Viennæ apud Josephum Edlen de Kurzbeck. 1782.

(Spectat ad N. 90 et seq. TRACT. DE FIDE. Tom. II.)

PIUS PAPA VI.

Ad futuram rei memoriam.

Super soliditate Petræ fundatam à Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere præ cæteris electum, qui vicaria potestate Apostolici Chori Princeps existeret, totiusque adeò gregis pascendi, Fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam

curam auctoritatemque in Successores omni ævo prorogandam susciperet, DOGMA CATHOLICUM EST, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum prædicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni ætate sanctissimè retinuit, sæpiusque adversùs Novatorum errores Summorum Pontificum, Conciliorumque Decretis confirmavit. In hoc scilicet Apostolicæ Cathedræ Principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno Capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeò, ut hujus vis potestatis non tantùm ad primæ Sedis amplitudinem, sed et maximè ad corporis totius integritatem incolumitatemque valeret. Minimè proindè mirum, quotquot omnibus retrò sæculis extitêre quibus antiquus humani generis hostis hostilè suum in Ecclesiam odium infudit, in hanc primam Sedem irruere consuevisse, quâ unitatis firmitas continetur, ut disjecto, si fieri posset, fundamento, ac diremptâ Ecclesiarum cum Capite conjunctione, quâ potissimùm nituntur, vigent ac efflorescunt, ipsammet Ecclesiam, fractis viribus miserè afflictam ac dilaceratam, libertate spoliarent, quâ Christus eam donavit, indignæque servituti addicerent.

Hos inter, paucos ante annos procacis vir ingenii, damnatis dudum opusculis, nimiùm jam notus "Eybel," novo exemplo infesti sui in Nos, et Apostolicam hanc Sedem animi testimonium edidit: qui nempè audito nuntio itineris à Nobis Religionis causâ suscepti, libellum suis popularibus obtrudere properavit, hâc inverecundâ inscriptione: "Quid est Papa?" Quo plenum illud pietatis studium, quod adventûs Nostri expectatio commoverat, restingueret, ipsumque decus pontificiæ Dignitatis, in Sacerdotalis Ordinis invidiam, popularisque cœtus contemptum adduceret. Non tamen passus est misericors Deus improbi eum voti compotem fieri: quippe tantâ ipsorummet suorum, quos abalienare à Nobis studuerat, celebritate et frequentiâ, tantâ omnium Ordinum gratulatione ac plausu excepti sumus, prorsùs ut perspicuum fieret, quamquàm nullis Nostris meritis in Petri Sedem, divinâ disponente Providentiâ, evecti sumus, divino tamen Numinis ejusdem consilio provisum esse, ne honori, qui Petro debetur, Successoris indignitas obesset.

Ac tum quidem abstinendum duximus à libello meritâ damnatione notando; primùm ne suspicacioribus, qui non desunt, hominibus, dolori potiùs Nostro indulsisse, quàm officio paruisse videremur: dein quòd oblivione protinùs obruendum videri poterat opusculum ejusmodi, quod tenue per sese nil momenti afferret præter procaciorem quamdam in veteribus calumniis retexendis licentiam. Nuper verò cùm acceperimus, levitate ipsa operis factum esse, ut, qui semper parati sunt superseminare zizania inimici homines, repetitis illud typis, nec patrio tantùm sermone, sed et in alios plures, quin et in *Græcam* vulgarem linguam translatum longè lateque divulgari curarent, hoc nimirùm consilio, eâque spe inducti fore, ut scripti jocularis licentia non paucos ad legendum alliceret, Scriptoris in affirmando confidentia incautis, qui nec pauci sunt, illuderet; nullam Nobis moram interponendam novimus, quominùs gliscenti malo in dies, quantum in Nobis est, occurramus, omnique studio et operâ enitamur, ut qui pacem et unitatem Ecclesiæ scindere quærunt (utinam non domestici hostes) ad saniora consilia revocentur, aut ne horum fallaciis irretiti bonarum etiam mentium Fideles ab Orthodoxæ fidei constantia in profanas insurgentium errorum novitates misserrimè abducantur.

Et sanè cùm, monente *Augustino* (1), in Cathedra unitatis posuerit Deus doctrinam veritatis, contrà infelix iste Scriptor nil non molitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, quâ in Sede constitutam Patres unanimi sensu Cathedram eam coluère "quâ in una unitas ab omnibus servaretur; è qua in reliquas omnes venerandæ communionis jura dimanant; ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes, qui undique sunt, Fideles convenire" (2). Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam: Hominem eum esse, qui Claves Regni Cœlorum, cum ligandi solvendique potestate à Deo acceperit, cui non alius Episcopus exæquari valeat, à quo ipsi Episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum

(1) Epist. 505. num. 16. Edit. Maur.
(2) Optatus Milev. lib. 2. contra Parmen. Ambros. Epist. 6. 1. Clas.—Iren. l. 3. c. 3.

ipse à Deo supremam suam potestatem accepit: Eumdem porrò Vicarium esse Christi, Caput Ecclesiæ visibile, Judicem supremum Fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi Claves Regni Cœlorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis: quas Claves communicandas cæteris, post *Tertullianum* (1), Petrum solum accepisse *Optatus Milevitanus* (2) profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot solemnia, totiesque repetita Pontificum, Conciliorumve Decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarent in Beato Petro Apostolorum Principe Successorem ejus Romanum Pontificem constitutum à Deo Caput Ecclesiæ visibile, ac Vicarium Jesu Christi, ei regendæ Ecclesiæ plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui Christiano nomine censentur, obedientiam deberi; atque vim eam esse Primatûs, quem "Divino jure" obtinet ut cæteris Episcopis non honoris tantùm gradu, sed et supremæ potestatis amplitudine antecellat? Quo magis deploranda est præceps, ac cæca hominis temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit, ac per multas ambages passim insinuarit: Quemlibet Episcopum vocatum à Deo ad gubernationem Ecclesiæ non minùs quàm Papam, nec minori præditum esse potestate: Christum eamdem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse: Quidquid aliqui credant obtineri et concedi solûm à Pontifice, posse idipsum, sive à consecratione, sive ab ecclesiastica jurisdictione pendeat, perindè obtineri à quolibet Episcopo: Voluisse Christum Ecclesiam reipublicæ more administrari: Ei quidem regimini opus esse Præside pro bono unitatis, verùm qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare, privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia: Vim Primatûs hâc unâ prærogativâ contineri supplendæ aliorum negligentiæ, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo: Pontifices nil posse in aliena diœcesi præterquàm extraordinario casu: Pontificem Caput esse, quod vim suam ac firmitatem teneat ab Ecclesia: Licitum sibi fecisse Pontifices violare jura episcoporum, reservareque sibi absolutiones, dispensationes, deci-

(1) Tertull. Scorpiac. cap. 10.—(2) Optat. l. 7. num. 3.

siones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quæ singulatim recenset, atque velut indebitas, ac Episcopis injuriosas reservationes traducit.

Atque ille quidem ad fidem suis hisce dictis non tam conciliandam, quàm quoquo modo surripiandam, nomina longa serie prætendit sanctissimorum Patrum, quorum decerptis hinc indè, malèque adductis sententiis insigni fraude abutitur, dum ea loca recenset, quæ faciunt ad commendationem episcopalis dignitatis, alia reticet, quibus illi singularem pontificiæ potestatis præstantiam extulerunt. Qui, si adessent, impudentem hominis calumniam ea voce refellerent, qua Sedis Apostolicæ Principatum, suumque in eam obsequium non prædicarunt modò, sed et immortalibus scriptis ad omnem futuri temporis memoriam testatum reliquerunt. *Cyprianus* ipse, (1) cujus hæc sunt verba: Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata: Qui Petri Cathedram profitetur Ecclesiam principalem, undè unitas sacerdotalis exorta est, ad quam perfidia non possit habere accessum.

Chrysostomus (2) apertè declarans, potuisse Petrum jure suo Successorem in proditoris locum eligere: quo jure ex Primatu ducto Petrus ipse deinceps, primique Petri Successores usi sunt, dum per omnem Occidentem Ecclesias fundarunt, eisque vel ante omnem Synodum Episcopos præfecerunt, quibus gregis regendi portionem assignarunt, tum definitis regionibus unam Sedem designarunt, cujus Antistes cæteris Apostolica auctoritate præsideret. De qua Ecclesiarum institutione *Innocentius* I. (3) velut de re manifesta testimonium edidit luculentissimum, quo intelligere quisque valeat, pontificiam auctoritatem non ex constituta antè per Synodos disciplina prodiisse, sed constitutæ per synodalia decreta disciplinæ præluxisse. Quem etiam Pontificem, (4) compertum est, Antiochenam Ecclesiam, Caput Orientalis diœceseos decretis suis ordinavisse.

(1) Cypr. Epist. 43. al. 40. Epist. 59. al. 55.
(2) Chrys. Homil. 3. in cap. 1, Act. Apost.
(3) Innoc. I. Epist. ad Decent. Eugub.
(4) Epist. ad Alex. Antioch.

Epiphanius, (1) qui Ursacium et Valentem pœnitentiâ ductos testatur Julio Romano Pontifici libellos obtulisse, quibus errorem suum deprecarentur, atque ad communionem et pœnitentiam admitterentur.

Hieronymus (2) cui profanus erat quisquis non Cathedræ Petri communione consociaretur, super quam Petram sciret ædificatam Ecclesiam, atque adeò ab uno Damaso in gravissimis concertationibus, ut loquendi, ita et communicandi auctoritatem sibi dari efflagitabat.

Augustinus, (3) qui se in Scripturis sanctis testatur didicisse, Primatum Apostolorum in Petro excellenti gratiâ præeminere: illum Apostolatûs Principatum cuilibet Episcopatui præferendum: Romanam Ecclesiam, Petri Sedem, eam esse Petram, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Quo alia refellitur Scriptoris calumnia, dum Petræ nomine, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, non personam, sed fidem, aut confessionem Petri vult potiùs esse intelligendam, quasi Patres ii, qui, pro mira fœcunditate Scripturæ, Petræ vocabulum eò quoque retulerunt, litteralem illum sensum, quo ad Petrum ipsum directè refertur, deseruerint, ac non etiam apertissimè retinuerint. Sic et Magister Augustini *Ambrosius* (4):" "Ipse est petrus, cui dixit: 'Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:' Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia :" Hæc una vox Patrum, hæc Doctorum perpetuata traditio, quam ex majoribus collectam paucis hisce verbis complexus est, Eugenium alloquens *Bernardus* (5) "Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt...habent alii assignatos sibi greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus: Nec modò ovium, sed et pastorum Tu unus omnium pastor." Hoc lacte doctrinæ nutriti sunt quotquot in Ecclesia Christi adoleverunt; hoc, si recordari volent, à pueritia imbuti, quotquot nunc omni vento doctrinæ circumferri se patiuntur. Semper ex Evangelio proditum, pascendas oves Petro à Christo commendatas, non item Petrum ovibus pascendum.

Nec verò à Patrum traditione Synodi œcumenicæ

(1) Epiph. Hæres. 68.—(2) Hier. Epist. 57.—(3) Aug. lib, 2. de Bapt. cap. 1.—(4) Enarr. in Psalm. 40. num. 30.—(5) Lib. 2. de Consid. cap. 8.

unquàm recessere. *Chalcedonensis Patres* (1) Petro se audientes præbuere per os Leonis loquenti; nec à quovis Antistite, sed ab Leone tanquàm Capite cum implorata confirmatione, actionum suarum firmitatem noverunt esse repetendam.

Octava generalis Synodus (2) *Actione Prima* perlectum libellum probavit, seu formulam, quâ post præclara multa de Romani Pontificis auctoritate perscriptum erat, qui sequestrati essent "à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda esse Mysterea." Quin præteria cùm statuendum superesset de nonnullis dispensationibus, quas utilitas Ecclesiæ exposcere maximè videbatur, impartiendæ veniæ facultatem sumere sibi Patres ausi non sunt: verùm eam per Patriarcham Ignatium implorandam duxêre à Sede Apostolica, quam proindè agnovêre, non ipsos Patriarchas, relaxandorum Canonum potestate pollere.

Magna *Lateranensis Synodus* quarta (3) C. 5: Romanam Ecclesiam tradit, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere Principatum, utpote universorum Christi fidelium Matrem et Magistram.

In *Lugdunensi* II (4) edita est Græcorum fidei professio, quâ se recognoscere testantur, Romanam Ecclesiam summum, et plenum Primatum, et Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse. Quas superiores synodos subsecuta deinceps *Florentina* (5) Catholicum Primatus dogma celebri decreto sancivit.

Divino eodem spiritu afflati *Tridentini Patres* (6) declarârunt "Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare." Quam adeò potestatem per omnes Ecclesias sese fundentem, atque ad alia ejusdemmodi munia, quæ libelli Auctor explodere perperam nititur, ex æquo

(1) Ann. 451. (2) Ann. 869. (3) Ann. 1215. (4) Ann. 1274. (5) Ann. 1439. (6) Sess. 14. cap. 7.

pertinentem, non aliundè adscitam, non ab inferioribus ad Pontifices delatam, sed Primatui ordinario jure insitam, cuique fatendum est qui cœlestem Synodorum sapientiam, humanæ inscitiæ disputationibus non dubitet longè præponendam.

Appellat EYBEL "Constantiense consilium (1)." At meminisse ipsum oportuerat, damnatos in eo errores fuisse, cum Wicleffi ajentis non esse de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, nec Papam esse proximum et immediatum Christi Vicarium; tum Johannis Hus, Petrum non esse, nec fuisse Caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ. Quibus erroribus sanorum verborum formam opponens "Martinus V." præscripsit interrogandos, qui de his suspecti essent, utrùm credant, Beatum Petrum fuisse Vicarium Christi, habentem potestatem ligandi ac solvendi super terram. *Item* Papam canonicè electum successorem esse Beati Petri habentem supremam auctoritatem in Ecclesia Dei: *Item* Papam omnibus Christianis posse concedere Indulgentias; singulos porrò Episcopos suis subditis secundùm limitationem sacrorum Canonum. Quo planè refutatur istius error, dum perperam disserens, de indulgentiis scribere ausus est, quemlibet Episcopum, pari modo atque Papam, posse indulgentias concedere. Quæ Patrum, Synodorumve documenta, quisquis æquo pacatoque animo paulò attentiùs introspexerit, sentiet profectò, longè præstantiorem auctoritatem comprehendere, quàm aut meri *directorii* ut vocant, finibus, aut hortandi, monendi, supplendi munere continetur.

Quin et ipsi Basileenses in Synodali responso (2) ad Tartentinum Episcopum palam declarant fateri se, et credere, Romanum Pontificem Caput esse, et Primatem Ecclesiæ, Vicarium Christi, et à Christo, non ab hominibus, vel Synodis aliis prælatum, et Pastorem Christianorum, cui datæ sunt à Domino claves, et uni dictum *Tu es Petrus* et solum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis; quo magis pudere ipsum deberet impotentis audaciæ quâ eam potestatis plenitudinem infirmare aggreditur, quam Basileenses inter doctrinæ capita referunt adeò

(1) Ann. 1414. (2) Sess. V.

nota et pervulgata, ut nec opus foret ea percensere. Et sanè quod suprà dictum ab Augustino retulimus, in Romana sede semper viguisse Apostolicæ Cathedræ Principatum, huncque Apostolatûs Principatum cuilibet Episcopatui præferendum, cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur, quòd Petri Successor, hoc ipso quòd in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure Divino Christi Gregem universum, ut simul cum Episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis: Cæteris porrò Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cujus assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abjudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui Ecclesias Apostolica Auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas à Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proindè sine ingenti Ecclesiæ perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiæ consortium, divinâ dignatione Petri Cathedræ tributum, ut quemadmodum à Leone Magno dictum est (1), omnes propriè regat Petrus, quos principaliter regit et Christus, et si quid Christus commune cum Petro cæteris voluit esse principibus, nunquàm nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.

Laudat Gallicanos Præsules, Gallicanos Doctores: Frustra omninò. Quos etenim ex his cogitat ille sibi suffragatores adsciscere? Vetustiores ne, an aut qui medio ævo, aut recentiore memoriâ in ea inclita Ecclesia pietatis, doctrinæve laude floruere: At inter veteres illos, ut paucos ex multis proferamus, audire illum non pigeat "Cæsarium Arelatensem, Avitum Viennensem," quorum ille supplici libello Symmachum Papam alloquitur:—"Sicut à persona Beati Petri Episcopatûs initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat."—*Avitus* verò ad Hormisdam—"Quæsumus, ut quid Filiis vestris,

(1) Serm. 3. in Anniv. suæ Assumpt.

Fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam, instruatis; quia jam securus non dicam de Viennensis, sed de totius Galliæ devotione pollicear, omnes Vestram super statu fidei captare sententiam."—*Aurelianenses Patres* (1), qui canonicam formam in Metropolitanorum electione servandam ex Apostolicæ Sedis decretis repetunt.

Audiat ex medio ævo *Hincmarum Remensem*, qui, cùm testatur se erga Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram, ejusque Rectores fidelem semper, atque subjectum in omnibus extitisse, hoc ipso quod videri voluit, quid Apostolicæ Sedi debeatur ac deberi sentiat, manifestè declarat: Tum et *Ivonem Carnotensem* (2) graviter eorum audaciam coarguentem, qui contra Sedem Apostolicam caput erigunt, "cujus judiciis, et constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere:" ad quam "principaliter, et generalisimè pertineat tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum consecrationem confirmare, vel infirmare, constitutiones et judicia retractare, suas verò inconcussas detinere, et nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere." Quod idem Gelasii quoque auctoritate comprobat.

Quòd si ab illa vetustate ad propiora tempora progredimur, latere illum non debuere gravissimæ censuræ (3) adversùs famosum Spalatensem Apostatam ab insigni Theologica Facultate Parisiensi latæ, in quibus præformatam libelli sui damnationem perspicere facilè potuisset. Hi scilicet fuêre Spalatensis errores, quibus illa hæreticæ ac schismaticæ pravitatis notam inurendam non dubitavit: —"Disparitatem potestatis inter Apostolos esse humanum inventum, in sacris Evangeliis et divinis novi Testamenti Scripturis minimè subsistens:"—(quam hæreticam declarat de Jurisdictione Apostolica Ordinaria, quæ in solo divo Petro subsistebat, intellectam).—"In Ecclesia non dari unum Caput supremum, et Monarcham præter Christum—Episcopos omnes simul, et in solidum eamdem regere Ecclesiam singulos cum plena potestate—

(1) Ann. 538. Can. 3. Epist. ad Nicol. PP. apud. Lab. Tom. 10. Edit. Ven. col. 356. (2) Epist. 8. ad Richer. Senonen. (3) Ann. 1617.

Romanam Ecclesiam præcipuam fuisse, et esse nobilitate, existimatione, nomine, et dignitatis auctoritate, non regiminis, et jurisdictionis Principatu—" (quam dicit hæreticam et schismaticam quatenùs apertè insinuat, Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere)—" Unumquemque Episcopum jure divino esse universalem—Monarchiæ formam non fuisse immediatè in Ecclesia à Christo institutam —Falsum esse, unionem Ecclesiæ Catholicæ in unitate Rectoris visibilis consistere."—Cùmque Spalatensis subjunxisset, Parisiensium doctrinam, enucleatè intellectam, nihil à sua discrepare, impactam sibi calumniam continuò illi refutarunt "velut meram contra Facultatem Parisiensem imposturam.

Præclarum etiam, atque ut allatæ Parisiensium Doctorum sententiæ, sic et constanti Majorum suorum traditioni planè consentaneum de Romani Pontificis Primatu testimonium edidere Gallicani Præsules in Comitiis anno 1681. "—Caput est, inquiunt, Ecclesiæ, centrum unitatis: Obtinet ille in nos Primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi à Christo Jesu in persona S. Petri collatum: Qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, immò et hæreticus esset."

Quin et libelli Auctori non prorsùs ignota fuêre petita ex omni antiquitatis memoria de Romano Primatu luculentissima documenta, quo magis prodit sesé pertinax illius adversûs Romanam Sedem contentio, qui cùm splendida illa Patrum testimonia obscurare ac delere non posset, ea veritus non sit per summam impudentiam velut allegorias malè intellectas traducere, indèque factum ex parte esse, ut longa sæculorum serie creditus sit Papa is esse, qui non est; quasi Sanctissimi Patres, quos Ecclesiæ suæ Deus dedit Pastores et Doctores, in re gravissimi momenti, quæ ad Ecclesiæ constitutionem pertinet, communi sensu aut erraverint ipsi, aut errandi causam fidelibus objecerint, ac non potiùs nefarii erroris convictus teneatur, qui de Romano Pontifice aliter credendum statuat, quàm tot sæculorum continuata successione creditum sit.

Atque hæc quidem Prædecessorum Nostrorum paribus in causis exempla secuti, paulò latiùs ut muneris Nostri ratio postulat, exponenda duximus, non Nostra, sed animarum lucra quærentes, solliciti servare unitatem in vinculo pacis; in id intenti, ut, patefactis

eorum fraudibus, qui Patrum nomine ad pervertendas Patrum sententias abutuntur, omnes intelligant, nil Patribus ipsis antiquius fuisse, quàm ut unitas ab omnibus in ea Cathedra servaretur, quæ una est cæterarum omnium à Christo constituta Mater et Magistra.

Unum certè Ovile Christi Ecclesia est, cujus unus supremus Pastor Christus ipse regnans in Cœlis, unum quoque sui Vicarium supremum in terris visibilem Pastorem reliquit, in cujus voce Christi vocem oves audirent, ne seductæ alienorum vocibus, in venenata quæque, ac mortifera pascua dilaberentur. Quo igitur cautiùs fideles curæ Nostræ concrediti profana et vaniloquia devitent, quæ proficiunt ad impietatem, (1) constantesque maneant huic unitatis Cathedræ devincti, in qua Petrus adhuc velut in propria Sede vivit et præsidet, ac præstat quærentibus fidei veritatem; neve in hanc fraudem induci se patiantur, ut putent ambitione extortum, aut ignorantiâ, vel adulatione delatum, aut parvis artibus quæsitum quod Christi est ordinatione constitutum: Nos memoratum opusculum è Germanico idiomate in latinum translatum, complurium in sacra Theologia Magistrorum examini subjici mandavimus, quorum habitis consultationibus, auditisque suffragiis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversùs hæreticam privitatem Generalium Inquisitorum coram Nobis adstantium, motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, antedictum libellum, cujus titulus latinè:—Quid est Papa?—cum dispensatione Cæsareæ Regalis censurarum commissionis ob appositionem nominis—Viennæ apud Josephum Edlen de Kurzbeck 1782, Græcè verò Τί ἐστὶν ὁ Πάπας; tamquam continentem propositiones respectivè falsas, scandalosas, temerarias, injuriosas, ad schisma inducentes, schismaticas, erroneas inducentes in hæresim, hæreticas, et aliàs ab Ecclesia damnatas reprobamus, damnamus, ac prò reprobato, ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

Præcipimus insuper, ne quisquam ex Christi fidelibus cujuscumque gradus et dignitas, quamvis speci-

(1) S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutichem.

alissima nota dignis, libellum prædictum jam typis editum, sive manu conscriptum, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuò imprimere, seu imprimi facere audeat, aut præsumat, sub pœna suspensionis à divinis quantum ad Personas Ecclesiasticas; quantum verò ad Personas Sæculares, sub pœna excommunicationis majoris ipso facto absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, et respectivè relaxationem Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto dumtaxat, quoad excommunicationem prædictam, articulo mortis, quo nimirùm quilibet confessarius ab hujusmodi censura, ut præfertur, incursa absolvere poterit.

Mandamus quoque Bibliopolis ac Typographis, cæterisque omnibus et singulis cujuscumque gradus, conditionis et dignitatis, Personis Ecclesiasticis, et Sæcularibus, etiamsi speciali, et individua mentione indigeant, ut quatenùs prædictus Libellus vel in suo originario, in quocumque Idiomate impressus, vel etiam manuscriptus, ad eorum manus devenerit, statim deferre illum teneantur Ordinariis locorum, sub eisdem suspensionis à Divinis comminatis pœnis, ac respectivè Excommunicationis.

Ut autem eædem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam prætexere possit, volumus et mandamus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, et Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, et in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic verò publicatas perindè afficere omnes et singulos, quos concernunt, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ et intimatæ fuissent. Ipsarum autem Litterarum præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eamdem fidem tam in Judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ et ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28 Novembris 1786, Pontificatûs Nostri anno duodecimo.

B. Mariscottus, Pro-Secretarius.

DE

CONTRACTIBUS.

No. 1.

EPISTOLA ENCYCLICA SANCTISSIMI DOMINI BENEDICTI XIV.

De Usuris aliisque injustis quæstibus. Bullarii, Tom. I. N. 143.

(Spectat ad N. 42. et seq. DE CONTRACTIBUS. Tom. III.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiëpiscopis, Episcopis et Ordinariis Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires

magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiæ civitates labefactaret.

§. 1. Quapropter eam rationem consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit. Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sacræ Theologiæ scientia, et canonicæ disciplinæ studio ac peritia plurimùm commendantur: accivimus etiam plures Regulares in utraque Facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demùm ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque Juris utriusque laurea præditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio omnique cupiditate soluti, rem totam accuratè perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessariò ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declarârunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18 Julii, altera verò die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt, ac demùm easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

§. 3. Porrò hæc unanimi consensu probaverunt.

I. "Peccati genus illud, quod" usura "vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideòque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est."

II. "Neque verò ad istam labem purgandam, ullum

arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, à quo id lucrum solius causâ mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissimè sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessariò in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid à quolibet vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, et cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam et sanctè servare, et non servatam exactè reparre."

III. "Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque unà cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minimè innatos et intrinsecos, fortè concurrere, ex quibus justa omninò legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam ritè exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsùs naturæ à mutui natura contractus, rectè collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda."

IV. "Quemadmodum verò in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minùs ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum quam palliatum absit), at certè ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita si ritè omnia peragantur, et ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat humana commercia et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi et frequentandi. Absit enim à Christianorum animis, ut per usuras aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra ex ipso oraculo divino disca-

mus, quod" justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum (1).

V. "Sed illud diligenter animadvertendum est, falsò sibi quemquam, et non nisi temerè persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel unâ cum mutuo, titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modò divinis documentis, et Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente:" Volenti mutuari à te, ne averteris (2), " et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat priùs diligenter oportet, vere-ne cum mutuo justus alius titulus, vere-ne justus aliter à mutuo contractus occurrat, quorum beneficio quod quærit lucrum omnis labis expers et immune reddatur."

§. 4. His verbis complectuntur, et explicant sententias suas Cardinales ac Theologi, et Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam præstantium Virorum suffragia, quæ modò commemoravimus, diligentissimè percurrimus. Cum hæc ita sint, "adprobamus" et "confirmamus" quæcumque in sententiis superiùs expositis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologiæ et Canonum Professores, plura Sacrarum Litterarum testimonia, Pontificum decessorum nostrorum Decreta, Conciliorum et Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas penè conspirare videantur. Insuper apertissimè cognovimus Auctores, quibus contrariæ sententiæ referri debent:

(1) Prov. 14. 34. (2) Matth. 5. 42.

et eos pariter, qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam seu occasionem præbere videntur: neque ignoramus, quanta sapientia et gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

§. 5. Quare has Litteras encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, et cæteris omnibus innotescerent, et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omninò alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diœcesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere. Si quis autem parêre detrectaverit, illum obnoxium et subjectum declaramus pœnis per sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

§. 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; nihil etiam decernimus modò de aliis contractibus, pro quibus Theologi et Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias; attamen pietatis vestræ studium ac religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

§. 7. Primùm, gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ labem ac vitium à divinis litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles, Christi Sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursùs in extremam ruinam præcipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur; sed potiùs ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloriâ supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

§. 8. Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, et Canonum scientiam requirunt), ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longè se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam, accusent tanquam illicitam, et cum usura conjunctam: contrà verò nonnulli indulgentes adeò, remissique sunt, ut quocumque

emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omninò contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, et præstantium Virorum testimoniis minimè careat: siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum præ se ferunt.

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes et integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt, non modò ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clarè pateat, utrùm pecunia quæ ritè data alteri esse videtur, reverà tamen palliatam usuram contineat.

§. 10. Quarto loco, vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimùm comparetur. Etenim quam falsum id sit, et à veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsùs diversam et sejunctam esse; et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ à diversis inter se contractibus consequuntur. Reverà discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideòque potest in utroque foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideòque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimùm ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

§. 11. Hæc potissimùm vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has litteras à Nobis præscribuntur. Opportunis quoque remediis consuletis, utì confidimus, si fortè ab hanc novam de usuris controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem et puritatem inducantur. Postremò vobis et gregi curæ vestræ concredito Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die prima Novembris 1745, Pontificatûs nostri anno sexto.

No. 2.

DE USURA.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. X. Cap. IV. N. 2. et seq.

(Spectant ad eumdem N. 42. et seq. de Contractibus, Tom. III.)

II. Omne lucrum ex mutuo, præcisè "ratione mutui," utì loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, Divino, et ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit, et est Catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata. Huic contradixêre Græci schismatici, qui, teste, Guidone Carmelitâ "in Catalogo hæreticorum," quodcumque lucrum ex mutuo permittunt. Græcis ex parte consensit Clavinus, qui "ad cap. 18. Ezechiëlis," licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem à paupere, sed à divite, præcisè ratione mutui, exigere. Errorem à Calvino obiter insinuatum, ex professo pro-

pugnavit Carolus Molinæus "in suo tractatu de Usuris," ubi "num. 10." audaciter affirmat, usuram non esse prohibitam, "nisi in quantum est contra charitatem." Distinguit deinde "num. 85." tres hominum gradus. Primus complectitur pauperes, emendicatâ stipe viventes, quibus, non mutuo, sed eleëmosynâ succurrendum, ait: alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pares sint, mutuo postea restituendo; atque his quoque mutuum gratuito dandum asserit: tertius gradus complectitur divites, et mercatores, qui nihil indigent, sed rem suam negotiatione amplificare student; et ab his usuram moderatam, ratione mutui, justè, ac sanctè exigi posse, tradit Molinæus. Eamdem pravam opinionem amplexatus, aliâ ratione defendit Claudius Salmasius in duplici Tractatu, altero inscripto "De usuris," altero "De trapezitico fœnore," quibus in locis usuram, nisi charitatem lædat, ab omni culpa absolvit, eò quod sit "merces locatæ pecuniæ." Verùm, quamquam plurimi heterodoxi, Calvini, Molinæi, et Salmasii systemati stabiliendo allaboraverint, inter quos Petrus Heinigius "lib. 2. quæst. 1." Gerardus Noodt "de fœnore et usuris lib. 1." Gronovius, et Barbeyrac "in notis ad Hugonem Grotium lib. 2. cap. 12." Bœhmerus "Jur. Eccles. Protest. tom. 5. lib. 5. tit. 19." rationem tamen, quâ eam Salmasius tutatus est, ferè omnes refellerunt, rectè arbitrantes, mutuatæ pecuniæ dominium transferri in mutuatarium, ac propterea non posse mutuum locationi ullo pacto comparari; sicuti testatur Gottfridus Mascovius "in notis ad Puffendorf lib. 5. cap. 7. §. 5."

III. Impiæ Calvini, et Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam Doctores Catholici. Distinguunt et isti duplex genus mutui: unum, quo pecunia, aliave res datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant etc.; alterum, quo datur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solent, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant. In primo casu usuram esse fatentur, quidquid exigitur ultra sortem. At à fœnoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet à patriæ legibus definitum.

IV. Novam hanc distinctionem, ab hæreticis primùm excogitatam, præverterant Ecclesiæ Patres, qui uno ore, absolutè atque indefinitè fœneratitium pronunciaverant quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur. Tertullianus "lib. 4. contra Marcionem cap. 17." ita explicat Ezechiëlis locum, "Pecuniam," inquit, "suam fœnori non dedit, et quod abundaverit, non sumet, fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura." S. Basilius "in Psalm. 14. tom. 1. Oper. pag. 107." allegato pariter Ezechiëlis loco, ait: "Ezechiël id in maximis malis recenset, si fœnus, et quidpiam ultra sortem accipiatur." S. Ambrosius "lib. unic. de Tobia cap. 14. num. 49. tom. 1. Oper. col. 607. Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est." S. Hieronymus "in Ezechiëlem lib. 6. cap. 18. tom. 5. Oper. col. 210. Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt, usuram appellari et superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint." S. Augustinus "in Psalm. 36. serm. 3. num 6. tom. 4. Oper. col. 285. Si fœneraveris homini, id est mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quàm dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid, plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si, plus quàm dedisti, expectas accipere, fœnerator es." Concilium Agathense relatum à Burchardo "lib. 2. cap. 126." ab Ivone "part. 6. cap. 200." et à Gratiano "caus. 14. quæst. 3. can. 4. Usura est, ubi amplius requiritur, quàm datur, v. gr. si dederis solidos decem, et amplius quæsieris." Ex quibus Gratianus ibidem concludit: "Ecce evidenter ostenditur, quod, quidquid ultra sortem exigitur, usura est." Patribus adhæsêre veteres Theologi, qui, duce Divo Thoma "2. 2. quæst. 78. art. 2." adeo districtè omne lucrum ex mutuo, jure naturali, et Divino vetitum asseruêre, ut ne munus quidem "ab obsequio, aut à lingua," quod certè quid minimum est, nullique onerosum, à mutuario, solius mutui causâ, exigi posse docuerint.

V. Neque verò Calvini, et Molinæi asseclis suffragantur aut loca sacræ Scripturæ speciatim prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur, utì "Exodi 22. vers. 25. et Levitici 25. vers. 36." aut sententiæ Patrum, usuras dumtaxat redarguentium immoderatas, aut canones Conciliorum, puta 36. ex Apostolicis, 17. Nicæ-

nus, et 12. Concilii Arelatensis primi, solos Clericos fœneratores severis pœnis subjicientes. Etenim antiqui Testamenti pagina in ipsismet in contrarium adductis locis, et adhuc clariùs "Deuteronomii 23. vers. 19. Ezechielis 18. et Psalm. 14." omnem omninò usuram, absque ullo personarum, à quibus exigatur, discrimine prohibet, et detestatur; pauperes autem alicubi expressè nominat vel tantùm exempli causâ, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis alienæ, et necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immoderatum fœnus solvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput adnotavit etiam Hugo Grotius; vel quia usuræ, quæ à pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam, et immanitatem, speciali nota, et reprehensione dignam, sicuti ratiocinatur Gibalinus "de usuris lib. 1. cap. 7. art. 2."

VI. In novo autem Testamento "Lucæ 6." illis Christi Domini verbis: "Mutuum date, nihil inde sperantes:" præceptum tradi, seu veriùs naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsùs lucri ex mutuo ab ullo sive paupere, sive divite, exigendi, non solùm docet D. Thomas 2. 2. "quæst. 78. art. 1. ad 4," sed concors fuit Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia, præcipuè Urbani III. "in Cap. Consuluit, de usuris," qui præfati textûs auctoritate omnem, quantumvis minimam, usuram universim vetitam pronunciavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi ait, "omnem usuram, et superabundantiam." Dicere autem, summos Pontifices, et Concilia prædicti textûs verum, et genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos mussitare non puduit, et temerarium, et ferè hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia non solùm infallibili polleat auctoritate in definiendis quæstionibus Fidem, aut mores respicientibus, quod nullus Catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubitarunt; certum, et indubitatum est, eam errare non posse in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo.

VII. Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum. Hi siquidem, licet vehementiùs invehantur in usuras immoderatas, atque à pauperibus extortas, ve-

luti culmen sceleris, ad quod homines pertrahit sordida, atque insatiabilis avaritia; non idcirco tamen approbant moderatas à divitibus exigendas: quin immò etiam istas aliis in locis expressè condemnant. Enimverò Ambrosius "cit. lib. de Tobia cap. 6. tom. 1. Oper. col. 597." de iis agens, qui pecuniam suam fœnerantur, non indigenti, sed diviti, sed negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat: "Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna lucra sua arbitrantur, et dispendio suo deputant, quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur heredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se, simulantes paternam, et avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates...... Sin verò nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas, ajunt, nobile prædium esse venale, amplam domum: accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur, ut coëmant. Similiter faciunt, pretiosas vestes, et monialia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: utere ut tua; de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitam reddens: et "cap. 14. col. 607. Et Putas, te piè facere, quia à negotiatore velut munus suscipis? Inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis, ei nomen imponas: usura est." Similiter Hieronymus "in cit. cap. Ezechiëlis tom. 5. Operum, col. 210." perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus. fœnus reprobat, etiam ex re percipiendum, quæ ingentem fructum mutuatario attulit, inquiens: "Solent argumentari, ac dicere: dedi unum modium, qui satus fecit decem modios: nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam; cùm ille meâ liberalitate novem, et semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrùm habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat. Sed dedit quasi non habenti Ergo quare plus exigit quasi ab habente?

VIII. Ad canones quod attinet, si argumentum, quod ex illis instaurant, quidquam haberet roboris, et

efficacitatis, probaret etiam, fornicationes, et adulteria esse laïcis permissa, quia plerique canones in solos Clericos fornicarios, et adulteros, nullâ factâ laïcorum mentione, animadvertunt; quæ sanè argumentatio inepta, et ridicula foret: novum quippe non est, Ecclesiam severiùs in Clericis punire delicta, quæ etiam in laïcis execratur; sicuti opportunè, et ad rem appositè monuit Concilium Carthaginiense I. "can. 13. Quod in laïcis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari." Ceterum non desunt alii innumeri canones, Clericos æquè, ac laïcos usurarios redarguentes; atque, ut alios prætereamus, antiquissima Synodus Eliberitana "can. 20. tom. 1." Collectionis Harduini "col. 252." hæc habet: "Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit, eum degradari, et abstineri. Si quis etiam laïcus accepisse probatur usuras, et promiserit correctus, jam se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum." Ac Leo Magnus "epist. 3. ad Episcopos per Campaniam, Picænum, Thusciam, et universas Provincias constitutos, cap. 3." relat. "Can. 7. 14. quæst. 4." exagitans usuræ peccatum, ait: "Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in Clericali officio constituti, sed et in laïcos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus.

IX. Jure itaque ac merito Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo à divite, et negotiatore exigere, veluti adversantes communi, et perpetuæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, inclamarunt, et validissimis argumentis confutarunt Navarrus "Comment. de usuris num. 8. et seq." Gibalinus, et Leotardus, in suo quisque "de usuris" Tractatu, Cardinalis de Lugo "de just. et jur. tom. 2. disp. 25. Jacobus Gaytte egregio Opere, quod concinnavit adversùs Molinæum, Salmasium, Auctoremque libelli Gallici "du Traitè de la pratique des Billets," Saintebeuve "in resolut. casuum conscientiæ tom. 2. ultim. edit. Paris. anni 1700. cas. 210. pag. 422. et seq." Aloysius Bulteau, seu Bultellus, "in Apologia pro Lactantio in materia usurarum, edita Parisiis anno 1677." Pouget "in suis Catholic. Instit. tom. 1. pag. 760." Natalis Alexander "Theolog. dogmat. et moral. tom. 2. lib. 3. cap. 7." Genett. "Theolog. moral. tom. 1. tract. 4. de

mutuo et usura quæst. 6. et seq." Pontas "in Dictionario cas. conscient. tom. 3. verb. Usura," Continuator Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely "tract. de contract. part. 2. cap. 3." aliique plurimi.

X. Verùm, quoniam tot Doctorum auctoritate, et argumentis minimè perterriti, prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depositum nobis est à Christo concreditum, hâc erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Episcopos encyclicis litteris sub die prima Novembris 1745, hæc inter cætera declaravimus: primò, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium, et illicitum esse: secundò, ad usuræ labem purgandam, nullum arcessiri posse subsidium vel ex eo quod id lucrum, non excessivum, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, à quo id lucrum solius causâ mutui, deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissimè sit impensurus: tertio, quamquam unà cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut ajunt, fortè concurrere, ipsi mutuo extrinseci, è quibus justa oriatur causa, aliquid, ultra sortem ex mutuo debitam, exigendi, attamen falsò et temerè affirmari diximus, ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque, recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus servanda commendavimus, quæ in Episcopales Synodos utiliter inseri poterunt, ne usuræ maculâ inficiantur; sicut videre est in præfatis nostris litteris, quæ sunt "in ordine 143. Bullarii nostri tom. 1." quasque nuperrimè theologico Commentario illustravit Daniel Concina Ordinis Prædicatorum Theologus.

XI. Quamobrem, si jampridem aliquot Episcopi, inter quos Cardinalis de Camus Episcopus Gratianopolitanus, Cardinalis de Bissy tunc Episcopus Tullensis, Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, et Bragadinus Episcopus Veronensis, in suis Edictis, et Pastoralibus Instructionibus præfatam proscripse-

rant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam à Conciliis, summorumque Pontificum Constitutionibus prædamnatam; multò magis integrum nunc erit Episcopis illam, postquam iterùm nominatim, et expressè est ab Apostolica Sede reprobata, novis, si opus fuerit, Constitutionibus è sua diœcesi exturbare, eamque temerè disseminantes, aut usu ipso approbantes, severis pœnis coercere.

XII. Post eliminatum hæreticorum errorem, qui, paucorum fraudulentiâ, etiam in Catholicam rempublicam irrepere cœperat, abs re non erit obiter detegere falsam doctrinam, quâ sunt imbuti Judæi inter Christianos degentes. Ex illis Deuteronomii verbis "cap. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno:" inferunt Hebræi, sibi licere fœnerari Christianis, quos, licet inter eos versentur, pro alienis habent, et extraneis. Facilè quidem esset hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicendo cum Ambrosio "cit. lib. de Tobia cap. 15." in allegato textu permissum dumtaxat fuisse Judæis usuras exigere ab Amorrhæis, Amaleticis, aliisque vicinioribus populis, à quibus Deus dominium abstulerat rerum omnium, quas possidebant, et Judæis contulerat; aut dicendo cum D. Thoma "2. 2. cit. quæst. 78. art. 1. ad 2." non fuisse permissum Hebræis usuras exigere ab extraneis, sed toleratum, tanquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit in illis toleratum uxorum repudium: quod etiam ante Divum Thomam senserat Alexander de Hales "part. 3. quæst. 86. art. 2." ubi ait: Numquam fuit Judæis licitum fœnerari alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno; sed permittebatur eis duplici de causa, scilicet ne facerent pejus, id est, ne fœnerarentur fratribus suis, et quia duri erant, et paulatim trahendi ad perfectionem." At, quoniam res est cum Hebræis, qui Theologorum et SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis suppetit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices, unum faciendum superest; nimirùm ut falsæ illius opinionis usum, qui in detrimentum cedit, et oppressionem pauperum Christianorum, pro viribus impediamus: neque aliter id præstari potest, quàm opportunis Constitutionibus

Episcoporum, et Christianorum Principum edictis, quibus severè prohibeantnr Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam à Christianis extorqueant, et certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam nihil impunè exigere possunt ex aliis contractibus, cum Christianis initis.

XIII. Primum statutum fuit in Concilio Albiensi anni 1254. edito à Luca Dacherio "tom. 1. Spicilegii," in cujus "cap. 19. pag. 724." habetur: "Statuimus, et mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quidquam usurarium sit in eis; et in eo, quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur:" quod decretum renovatum legimus in Concilio Montis Pessulani, anni 1258. "cap. 5. eod. tom. 1. Spicilegii pag. 725." Alterum edixit Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi "cap. 67." relato "in Cap. Quanto magis, de usuris," ubi distinctè vetuit, ne Judæi, obtentu cujuslibet contractûs, quem ceteroquin licitè cum Christianis inire queunt, graves, et immoderatas usuras exigant: "Synodali decreto statuimus, ut, si de cetero, quocumque prætextu, Judæi à Christianis graves et immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter." Utrumque verò ad compescendos fœneratores Judæos, in temporali ditione Ecclesiæ commorantes, iterum decernendum consuluit Marcellus Severolus, sacri Consistorii Advocatus, nobis, dum viveret, singularis amicitiæ nexu conjunctus, in suo elaborato suffragio, edito apud Passerinum "in cap. Quamquam, 2 post. num. 84. de usuris. in 6." Et, ne à Synodis recedamus, ita nuperrimè statuit Episcopus Pisaurensis in sua Diœcesana Synodo habita anno 1742, "tit. 4. num. 17." cujus exemplum poterunt alii Episcopi imitari.

No. 3.

DE CONTRACTU TRIPLICI.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. X. Cap. VII. N. 1. et seq.

(Spectant ad N. 54. DE CONTRACTIBUS, Tom. III.)

I. . . . . Indagandum restat, an......inire liceat contractum societatis, cum "assecuratione" (ut ajunt) "capitalis, et fructuum," quem etiam "contractum trinum" appellant, quidque de illo ab Episcopo decerni queat, est indicandum. Contractus societatis, generatim acceptus, "est duorum, vel plurium conventio contribuendi ad commune lucrum, et damnum, secundùm proportionem rerum contributarum." Potest autem contribui vel pecunia, vel opera, seu industria, vel instrumentum, puta navis, equus, animalia etc. eaque omnia debent ad negotiationem destinari: nulla quippe, nisi ficta, potest esse societas, ubi nulla ex rebus à sociis collatis instituitur negotiatio, ex qua lucrum sperari queat. Ut autem societas justa sit, sicuti lucrum, ita et periculum, ac damnum debet, secundùm eamdem proportionem, esse singulis sociis commune: nam, ut ait Ulpianus "in leg. 29. ff. pro socio, si alter lucrum tantum, alter damnum sentiret," societas diceretur "leonina," ab apologo leonis, qui, absque ullo sui periculo, aliarum ferarum venationis particeps esse voluit.

II. Ad ejusmodi verò periculum evitandum, atque unum ex sociis solius lucri participem, ejusque securum reddendum, hic ineundæ societatis modus est adinventus: Titius init contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, è quibus probabiliter sperat se centum et triginta lucraturum: sed metuens Titius, ne unà cum sperato lucro etiam capi-

tale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio, cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut, qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureorum: rursùsque secum reputans Titius melius sibi fore, aliquod moderatum lucrum, sed certum habere, quàm pinguius, sed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat, sive negotiatio bene, sive malè succedat. Obstringitur itaque hisce contractibus Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram sortem, id est summam mille aureorum salvam, et quinquaginta insuper aureorum incrementum.

III. Hic porrò est trinus ille contractus, quem celebrem fecit exorta inter Dominicum Sotum, et Martinum Navarrum discordia. Putabat nimirùm Navarrus, tres prædictos contractus simul, et cum eadem persona, tutâ conscientiâ iniri posse, atque ab usuraria pravitate immunes esse, ob rationes, quas adducit "in suo manuali cap. 17. num 254. et seq." Sotus ex adverso asserebat, trium illorum contractuum conjunctionem degenerare in mutuum fœneratitium, et societatis leges, quæ lucri, damnique communionem exposcunt, evertere, suamque assertionem pluribus propugnabat argumentis, quæ videri possunt in ejus Opere "de justitia lib. 6. quæst. 6. art. 2." Causa delata est ad Sixtum V. Pont. Max., qui, diligenter quæstione discussâ, duplicis securitatis pactionem societati adjectam, usurariam pronunciavit, eamque deinceps fieri prohibuit suâ Constitutione 68. quæ incipit "Detestabilis," edita anno 1586. "tom. 4. part. 4. Bullar. pag. 263."

IV. Et nihilominùs nondum causa finita est: siquidem plures, et non obscuri nominis posteriores Theologi trinum contractum ab omni usuræ reatu absolvunt, et licitè etiam nunc fieri posse defendunt: inter quos Covarruv. 3. "var. cap. 2. num. 3." Lessius. "lib. 2. de just. cap. 25. dub. 3. n. 24." Franciscus Garcia "de contract. part. 2. cap. 67." Cardinalis de Lugo "de just. et jur. disput. 30. sect. 4." Gibalinus "de usur. lib. 6. cap. 3. art. 4." Salmanticenses "tom. 3. Curs. moral. tract. 14. cap. 3. punct. 2. §. 2." Bonacina "de contract. disput. 3. quæst. 3. punct. 11. num. 2." Vanroy "part. 3. tr. de contract. cap. 6. quæst. 10." Neque his negotium facessit contraria Constitutio

Sixti V., ajunt enim, Cardinales Toletum, et S. Severinæ, quibus concinnandæ Constitutionis cura fuerat à Pontifice commissa, testatos esse Patri Stephano Tuccio Societatis Jesu, Sixti mentem fuisse, damnare dumtaxat conventiones, et pacta, quæ in se injusta, illicita, et usuraria forent, non verò quæ omni usurâ vacare probarentur; quod refert Comitolus "Respons. moral. lib 3. quæst. 12. num. 3." hisce verbis: "Cardinalis Toletus, et Cardinalis S. Severinæ, quibus munus mandatum fuit à Sixto V. componendæ legis, seu Bullæ," Detestabilis, "affirmarunt Patri Stephano Tuccio, Theologo Societatis Jesu, ut is datis ad me litteris testatus est, noluisse Sixtum suâ lege prohiberi, nisi injustos societatis contractus; quare qui ante legem latam justi erant, post latam puoque liceri." At ante legem à Sixto latam, pergunt præfati Doctores, injusta, et usuraria erat societas, in qua periculum capitalis, et lucri rejicitur in alium socium, virtute solius contractûs societatis; non autem, quæ vi duorum, qui societati superadduntur, contractuum, unum socium securum reddit capitalis, et alicujus partis lucri: hic quippe hanc securitatem emit ab altero socio, qui liberè, et sponte ad eam se obligat, et, tamquam, præstitæ cautionis pretium, assequitur illud longè majus lucrum, quod primus ex collata in negotiationem pecunia probabiliter sperare posset. Ita pariter sensisse addunt celebrem Romanæ Rotæ Auditorem Joannem Baptistam Coccinum "in una Romana societatis 3" Junii 1602, cujus sententiam idem sacræ Rotæ Tribunal constanter tenuit, pluribusque confirmavit decisionibus, in quibus ratum habuit contractum trinum.

V. At præfatis Doctoribus contradictores se præbent Genett. "Theol. moral. tom. 1. tract. 4. cap. 14." Natalis Alexander "Theol. dogmat. et moral. edit. Paris. tom. 2. lib. 3. cap. 7. art. 5. regul. 23." Auctor Dissertationis editæ Lugduni anno 1673. "de usuraria trium contractuum pravitate." Aurelius Piette "tom. 4. de contract. qu. 4. §. 2. Saintebeuve "cas. 185. tom. 2. resolut." Auctor Theologiæ moralis ad usum Seminarii Petrocorensis "tom. 2. lib. 4. c. 8." Gabriel Antoine "tom. 3. tract. de contract. cap. 8. quæst. 3." Continuator Prælectionum Tournely "part. 2. de contract. cap. 4. art. 1." et nuper Daniel Concina in Opere, cui titulus "Usura contractûs trini Disser-

tationibus Historico-Theologicis demonstrata," aliique, quibus absonum videtur opinari, Sixtum V. in Constitutione, quam edidit ad terminandam controversiam inter Sotum, et Navarrum summâ contentione agitatam circa illum contractum trinum, de quo in præsens est sermo, verbis lusisse, et quæstionis nodum non solùm non solvisse, sed ne attigisse quidem. Ex assertione autem Cardinalium Toleti, et S. Severinæ, aliud non inferri autumant, nisi quod Sixtus noluerit legem novam rogare, sed contractum proscribere, quem deprehenderat jam in se turpem, et usuræ labe fœdatum. Equidem, cùm tempore Clementis VIII. compilandus esset liber septimus Decretalium, fuit dubitatum, an illi inserenda foret prædicta Sixtina Constitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembris 1593. deliberatum, non esse inserendam, eò quod nihil novi in ea decernatur, sed contractus reprobetur in se fœneratitius, jam à Jure communi proscriptus, sicuti colligitur ex Actis Congregationum ea super re habitarum, quæ asservantur in Archivo Arcis Sancti Angeli. Quod autem contractus trium contractuum sit in se fœneratius, evidenter patere prædicti Auctores arbitrantur: quoniam conferens pecuniam, rejecto periculo in accipientem, censetur mutuum dare, et pecuniæ dominium in eumdem accipientem transferre, cui re ipsâ perit, si pereat. Neque ad rem facere videtur, quod accipiens pecuniam obligetur ex pacto ad eam erogandam in negotiationem, quod non contingit in vero mutuo, cujus ratione, ita mutuatarius fit dominus acceptæ pecuniæ, ut eam pro suo libito in quemcumque usum impendere valeat; etenim ea pactio, et inde orta obligatio videtur apparens, atque unicè apposita ad obtegendam usuram, quia reverà nihil interest ejus, qui pecuniam tradit, habitâ cautione et pecuniæ, et lucri, an illa ab accipiente in negotiationem, vel in alium quemcumque usum impendatur. Addunt præterea, trini contractûs obtentu omnes leges eludi, usuras prohibentes; cum petenti mutuum quilibet respondere possit: nolo mutuum dare sed societatem tecum inire sub pacto, ut me de sorte securum facias, et ob majus lucrum, quod ex negotiatione probabiliter spero eventurum, aliquod minus, sed certum, mihi tradendum promittas. Sciunt sanè, etiam hunc contrahendi modum approbari à Navarro "cit. loc. num. 255." at non ita sensisse clamitant

Gregorium IX. "in Cap. Naviganti de usuris," cum ait: "Naviganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus." Siquidem (inquiunt) si Pontifex "fœneratorem" pronunciavit, qui non aliter pecuniam vult mutuam dare mercatori maritimo, quàm subeundo ejusdem pecuniæ periculum, ut hâc ratione aliquid ultra sortem à mutuatario percipiat, quemadmodum prædictum textum expendentes adnotarunt S. Antonius 2. "part. cap. 7. §. 21. tit. 7." Sylvester "verb. Usura 1. §. 35." Molina "de contract. disp. 318. num. 1." et Gonzalez "in eod. Cap. Naviganti, num. 8." multò magis usurarius erit, qui non aliter vult societatem inire, nisi rejecto in socium sortis periculo, et acceptâ insuper ab eo securitate alicujus lucri. Neque verò audiendos volunt Auctores relatos à Gibalino "de usuris lib. 2. cap. 4. art. 3. num. 25." existimantes, in allegatum textum irrepsisse mendum, et legendum: "usurarius non est censendus:" huic quippe explicationi, teste eruditissimo Gonzalez "ibid. num. 7. in fin." repugnat omnium Codicum fides, in quorum nullo invenitur particula "non," sed textus legitur, sicuti habetur in vulgata Decretali.

VI. Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur, neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minùs congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenùs censuram inussit, à qua proindè eidem infligenda debet Episcopus abstinere: ad usum verò quod attinet, tutò poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari; quod à plerisque Episcopis in suis Diœcesanis Synodis sapientissimè factum referunt citati Genettus "tom. 1. tract. 4. cap. 14." et Natalis Alexander "epistola 94. in Appendic. ad tom. 2. suæ Theolog. moral."

N. 4.

DE CENSU REALI ET PERSONALI.

Ex Benedicto XIV. de Synodo lib. X. cap. 5. *n.* 4. *et seq.*

(Spectant ad N. 56. DE CONTRACTIBUS, Tom. III.)

IV. . . . . Omnem censum esse larvatam usuram, putarunt Henric. "quodlib. 1. quæst. 39. et quodlib. 8. qu. 24." et Salicet. "in Auth. Ea lege, Cod. de usuris," quibus adhæsit Hottomannus "lib. 2. Observat. cap. 15." quamvis hic non tam indagandæ, et stabiliendæ veritatis studio, quàm Apostolica decreta, statim alleganda, insectandi pruritu, ductus videatur. Sed distinguendum est inter censum realem, et personalem. Censum realem, qui jus est percipiendi annuam pensionem ex prædio, aliove fundo fructifero, absque ulla usuræ labe constitui, vendi, et emi posse, declararunt Martinus V. "in Extravag. 1. de empt. et vendit. inter commun." Callistus III. "in Extravag. 2. eod. tit." et S. Pius V. in sua constitutione incipiente "Cùm onus," edita 14. Kalendas Februarii 1568. modò eæ serventur conditiones in præfatis Constitutionibus præscriptæ, quas singulatim enumerat, et explicat Navarrus "in Comment. de usuris num. 45. et seq. Sicuti enim potest quis emere rei alicujus usumfructum, remanente dominio directo penes venditorem, ita potest emere jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, eorumque loco, potest venditor se obligare ad solvendam emptori singulis annis certam pecuniæ summam, illorum fructuum æstimationi respondentem. Hoc autem, et non aliud, fieri per contractum censûs realis, in quo omnia impleantur, quæ fieri voluit S.

Pius V. illum perpendenti evidenter apparet. Controversia tamen adhuc hodie remanet, an licitus, vel potiùs fœneratitius sit census personalis. Constituitur hic census, non super re aliqua fructifera, sed super persona venditoris, qui obligationem sibi, vel suis etiam hæredibus imponit certam pensionem solvendi emptori, ex industria, arte, et labore suo; qui quidem census non transit in realem, quamvis pro ejus securitate quandoque detur hypotheca: quoniam, pereunte re hypothecatâ, non perit census, sicuti contingit, cùm perit fundus, in quo est constitutus census realis, sed adhuc remanet obligata persona. Jam verò ejusmodi censum, solo spectato jure naturæ, ab usuræ reatu absolvunt Sotus "lib. 6. de just. quæst. 5. art. 1. conclus. 4." Covarruvias "lib. 3. variar. cap. 7. num. 5. vers. Ego sanè," Azorius "Instit. part. 3. lib. 10. cap. 5. quæst. 1." Lessius "lib. 2. de just. cap. 22. num. 18." Reiffenstuel "ad tit. de usur. num. 157." Continuator Prælectionum Honorati Tournely "part. 2. de. contract. cap. 6." aliique non pauci. Illum ex adverso merum esse mutuum, census veste obtectum ad occultandam usuram, contendunt Navarrus "citat. Commentar. de usur. num. 81." Molina "de just. tract. 2. disput. 387. num. 7." Gutierrez "lib. 2. practicar. quæst. 177. num. 7." Cardinalis de Lugo "de just. et jur. disp. 27. sect. 2. num. 25." Fachin "lib. 1. controv. cap. 44." aliique magni nominis Doctores: quoniam (inquiunt) ejusmodi censu personali non emitur jus ad percipiendam annuam pensionem, sicuti in reali, sed venditur ipsa pensio: quemadmodum enim is, qui accepto pretio se obligat ad dandum equum, re ipsâ vendit equum, et non merum jus ad equum; ita qui, acceptâ certâ pecuniæ summâ, se, suamque personam obligat ad solvendam quotannis certam pensionem, dicitur vendere ipsam pensionem. Quamobrem censum personalem ementi, aurum ex auro per se, et immediatè nasceretur, in quo tota consistit usurarii contractûs nequitia; sicuti dicitur "in Can. Sicut, 8. vers. Interdum, dist. 47." Magis autem prædictis Auctoribus usuræ labe fœdatus videtur census personalis utrimque redimibilis, qui, ablato verborum cortice, aliud esse non deprehenditur, quàm purum putum mutuum. Et profectò, si, teste Fagnano "in Cap. In civitate. num. 16. de censuris," ferè omnes Canonistæ melioris notæ periculosam fa-

tentur emptionem censûs realis ad certum tempus, et idcirco Innocentius omnibus Fidelibus consulendum ait, ut ab hujusmodi contractu abstineant, additque præteria Conradus, hortandos esse Magistratus, ut illum prohibeant: eò magis deterrendi erunt Fideles à contrahendis censibus personalibus utrimque redimibilibus, qui certè majorem præ se ferunt usuræ speciem, quàm census reales ad certum tempus.

V. Sed superfluum est censum personalem novis argumentis insectari, quem jam proscripsit S. Pius V. in laudata Constitutione "Cùm onus," ubi ad census honestatem, inter cæteras conditiones, hanc quoque requirit, ut census constituatur in re fructifera, non qualicumque, sed immobili, certâ, ac nominatim designatâ. Quapropter etiam Auctores, qui censum personalem, ejus naturâ inspectâ, ab usuræ suspicione vindicant, ingenuè tamen fatentur, eum licitè fieri non posse, ubi præfata Pii V. Constitutio est recepta; quod tamen in Gallia, Belgio, (1) et Germania non contigisse, affirmat Lessius "cit. cap. 22. n. 20." Haunoldus "de just. tract. 10. num. 316." Pirhing "ad tit. de usur. num. 85." Wiestner "ibid. num. 81." Verùm, quamquam nos sciamus, eumdem summum Pontificem, supplicante Catholico Rege Phillippo II. indulsisse Hispanis, ne ad suæ Constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut Divini non sunt, exactam observationem adstringerentur, sicuti narrant Gutierrez "cit. quæst. 177. in fin." et Felicianus de Solis "lib. 1. de censib. cap. 7. num. 2." nec dubitemus, ab eadem obligatione potuisse, contrario usu, seu legitimè præscriptâ consuetudine, cæteras eximi nationes; vehementer tamen suspicamur, in censu merè personali, præsertim utrimque redimibili, eas desiderari conditiones, quas non solùm Pontificia Constitutio, verùm etiam ipsum jus naturale, et Divinum exposcunt, ne sit larvatus contractus mutui, et propterea coram Deo usurarius.

VI. Sed, quoniam nulla hactenùs hac de re ab Apostolica Sede prolata est sententia, non decet, ut

(*) Juxta omnes Theologos Belgas, quibus accedit praxis universalis, etiam piorum, census personales liciti reputantur in Belgio, non obstante Bulla Pii V. *Cum onus;* hæc etiam, quatenùs positivas conditiones continet, in Belgio non viget.

Episcopus in sua Synodo censum personalem declaret ex natura sua usurarium; sed, si præsit diœcesi, ubi prædicta viget S. Pii V. Constitutio, urgebit ejusdem observationem, curabitque pro viribus, ne personales census in eam clanculum inducantur: si verò diœcesim gubernet, in qua Piana Constitutio non est moribus recepta, seriò Fideles monebit, atque hortabitur, ut à censibus personalibus abstineant, eò quod, etiam solâ spectatâ eorumdem indole, usuræ periculo, et suspicione non vacent.

No. 5.

DE CAMBIO

Ex Benedicto XIV. loco supra citato num. 7. et seq.

(**Spectant ad N. 62. et 63. de Contractibus, Tom. III.**)

VII. . . . . Cambium est permutatio pecuniæ, cum moderato campsoris lucro, quod tribus modis fieri potest: vel scilicet permutando pecuniam præsentem cum alia diversæ speciei, puta auream cum argentea; vel numerando campsori pecuniam in uno loco, puta Romæ, restituendam in alio, puta Parisiis: vel contrà accipiendo ab ipso campsore pecuniam Romæ, ut illa eidem restituatur Parisiis. Primum dicitur cambium "minutum, et manuale;" alia duo appellantur cambia "localia, et per litteras;" eò quod numeranti pecuniam Romæ, litteræ tradantur directæ ad alterum campsorem, seu mercatorem commorantem Parisiis, cui restitutio ibidem facienda committitur. Ex quolibet ex his cam-

biis licere campsori aliquid lucrari, Doctores omnes consentiunt; quia lucrum, quod percipit, non ex mutuo, sed ex aliis provenit legitimis titulis, quos præ cæteris expendunt Sotus "lib. 6. de just. quæst. 10. art. 2." Navarrus "manual. cap. 17. à num. 289. usque ad 295." Joannes Medina "de cambiis quæst. 4. et Molina "de contractibus tract. 2. disput. 404." Necesse tamen est, ut in cambio locali vera fiat pecuniæ translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum illam alibi restituendi: si enim sciret, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam, quamvis cambii litteræ aliò directæ fingerentur, sub cambii specie vera lateret usura, quæ hominum quidem judicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod "fictum" et "siccum" appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversùs cambia statuit clar. mem. Cardinalis Lanfredinus in sua Diœcesana Synodo Cingulana, habita die 6. Augusti 1736. "cap.;' 14.

VIII. Hæc manifesta sunt, et vix ulli obnoxia difficultati. Alia captiosa adinventa est species cambii, quod vocant "obliquum." Titius indigens mille aureis, mutuos eos petit à Cajo, qui cum consueverit negotiari, et negotiatiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, à quo, ratione mutui, nihil potest exigere: quia verò Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit à Cajo prædictos mille aureos, neque, mutui causâ, quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit: ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive à semetipso, sive ab alio, per cambii contractum, accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit aut impendere deberet, si prædictos mille aureos à campsore accepisset. Quandoque etiam ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuam accepit à Cajo, in commodum tamen, et utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Si primo modo res peregatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii litteras reverà à se transmissas,

seu mille aureos se fuisse per cambium ab alio consesecutum. Sed, si Titius mutuatarius onus in se suscepit, summam ei æquivalentem, quam à Cajo mutuam accepit, cambiis activis negotiandi; tunc aut stetit promissis, aut non: si primum, Cajus creditor justè percipit fructus, seu pecuniæ accessiones à cambiis productas: si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis consequatur, eosdem tamen fructus à Titio requirit, titulo "ejus quod interest," seu damni quod subit ex eo, quod Titius susceptæ obligationi non satisfecerit, juxta decisionem 819. Romæ Rotæ "coram Dunozetto jun." Et quia hic posterior modus securiorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad consequendum auctarium mutuatæ pecuniæ, hac de causa frequentiùs adhibetur.

IX. Præmissâ hâc cambii obliqui notione, quam præbet Cardinalis de Luca "lib. 5. tit. de cambiis in Summ. part. 2. num. 16." facile est suspicari, prædictas involutas ambages, esse unicè excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominùs non satis occultatur, et magis adhuc apertè se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis initur: quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quàm quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit à Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogandos, in mutuantis Caji utilitatem? Et nihilominùs non desunt Auctores, qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca "de cambiis disc. 3. num. 5. disc. 5. num. 8. disc. 23. num. 9." Ansald. "de commerc. et mercat. disc. 65. num. 46. et seq." Rota Bononiensis apud Urceolum "de transact. quæst. 40. à num. 23. usque ad fin." et Rota Romana "decis. 1. lib. 8. ad ornat. Card. de Luc." et "decis. 323. et 695. cor. Molines."

X. Verùm, quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicuti in contractûs stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque à mutuante, neque à mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterutrius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare; minimè dubitandum est, cambium esse illici-

tum, turpe, et usurarium, ac propterea è Christiana republica prorsùs eliminandum. Non enimverò negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere à mutuatario, titulo "ejus quod interest," hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis; sed, cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenuè adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, et doli. Quamobrem clar. mem. Cardinalis Marcellus de Aste, Episcopus Anconitanus, in suo Pastorali monito, edito post Constitutiones Synodales Cardinalis Bartholomæi, Massæi ejusdem Urbis Episcopi, evulgatas anno 1738. "pag. 165. et seq.," suas oves seriò est dehortatus à cambiis obliquis, quæ mera esse deprehendit tegumenta usuræ; nec inopportunum existimamus, ut quilibet Episcopus, ad eradicandum è sua diœcesi eorumdem cambiorum abusum, simile monitum formet, suisque inserat Synodalibus Constitutionibus.

DE

VIRTUTE RELIGIONIS.

No. 1.

DE SOLUTIONE DOTIS A SANCTIMONIALIBUS FACIENDA MONASTERIO, IN QUO PROFESSIONEM EMITTUNT.

Ex Bened. XIV. de Synodo Lib. XI. Cap. 6. *N.* 1. *et seqq.*

(Spectant ad N. 210. De Virtute Religionis, Tom. IV.)

I. Ex . . . innovandi pruritu derivari videretur Constitutio, quâ Episcopus simoniacum dictitans quidquam solvere pro ingressu in religionem, prohiberet sanctimonialium cœnobiis consuetam dotem exigere à puellis sese Deo devoventibus: siquidem, quamvis eam dotis pensitationem plerique doctores improbaverint, usus tamen ubique receptus illam approbat; quodque magis est, sacra Congregatio Concilii die 18. Septembris 1683. à simonia immunem pronuntiavit, utì habetur "lib. 33. decretor. pag. 310. à terg." eâdemque quæstione in una "Bononiensi" iterùm examinatâ die 14. Aprilis 1725. sacra Congregatio in eadem perstitit sententia, "tom. 3. Thesaur. Resolut. pag. 153. et

seq." Hanc autem mentem sacræ Congregationi injecit S. Thomas, cujus doctrinam in hac postrema causa "Bononiensi," pro nostro, quo tunc fungebamur, secretarii munere, eidem insinuavimus. Quærit angelicus Doctor 2. 2. "quæst. 100. art. 3. Ad quartum," an licitum sit, aliquid ab iis exigere, qui in religionem sese recipiunt; et distinguendum respondet, quo nomine illud exigatur: si exigitur pro ipso ingressu, seu admissione in religionem, tanquàm ejusdem pretium, illicitum et simoniacum esse ait: si pro sustentatione illius, qui monasterium ingreditur, ut Deo, et religioni mancipatus, monasterii sumptibus perpetuò victitet; et iterùm tunc distinguendum inquit: aut enim monasterium aliundé habet, undè necessaria alimenta religioso subministret; et non potest illum ad aliquid solvendum adigere: aut necessariis reditibus caret ad subeundum onus religiosum alendi; et tunc tantum percipere poterit, quantum ad illius alimoniam reputabitur necessarium: "Pro ingressu" (inquit) "monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium: licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratìs quidem ingressum monasterii exhibere: sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes."

II. Huic D. Thomæ doctrinæ, cui S. Bonaventura in Apologetico contra adversarios Fratrum Minorum "quæst. 18." S. Raymundus "lib. 1. tit. 1. §. 22." S. Antoninus "part. 2. cap. 5. §. 18." Dionysius Carthusianus "lib. 2. de simonia," aliique communiter adstipulantur, adhærens, ut duximus, sacra Congregatio Concilii, eamque semper præ oculis habens, sæpiùs in primis decrevit, à singulis sanctimonialium cœnobiis, ad normam decreti Tridentini "sess. 25. cap. 3. de Regular." tot esse moniales recipiendas, quot Episcopi judicio, ex communibus reditibus, aut consuetis eleemosynis sustentari possunt: sensuit deindè à monialibus, intrà præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil esse monasterio pendendum; nisi interim monasterii reditus fuerint imminuti, nec ampliùs pares sint consueto sororum numero sustentando: ab his verò, quæ ultra præfinitum numerum recipiuntur, dotem persolvendam dixit, cujus fructibus ali queant: quemadmodum refert Fag-

nanus "in Cap. Non ampliùs, de instit. num. 24." ubi ita prosequitur: "Verùm sacra Congregatio super negotiis Episcoporum, et regularium, animadvertens, sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio diù sustineri non posse, et propter ingruentes necessitates, et casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi: summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleëmosynæ à monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esse taxatus ad mensuram redituum monasterii." Equidem experientiâ compertum cùm sit, opulentissima monialium monasteria paulatim ad inopiam vergere, et quæ, paucis antea annis, quadraginta ex. gr. monialibus necessaria ad victum largè suppeditabant, hodiè nihilominùs, quamvis novas interim dotes lucrata fuerint, vix sufficientes proventus habere ad eumdem numerum alendum, quod qua ratione contingat, planè ignoramus; hinc, ne consuetus Deo sacratarum virginum numerus in monasteriis decrescat, et de redituum sufficientia eadem monasteria fiant securiora, prudentissimè cautum est, ut omnia indefinitè habeantur pro indigentibus, atque indigentiæ nomine ab omnibus omninò puellis, religioni nomen dantibus, præscriptam dotem recipiant.

III. Scimus hanc communem monasteriorum praxim, sacrarum Urbis Congregationum responsis corroboratam, non probari Van-Espenio, qui "in suo tract. de vitio simoniæ circa ingressum religionis cap. 2." carpit in primis Christianum Lupum, eo quòd "in notis ad can. 19. Concilii Nicœni II" illam in Belgio etiam vigentem à culpa absolverit: et, subindè "cap. 3. §. 3." absolutè asserit, contra jus naturale et divinum peccare monasteria, "quorum proventus sunt sufficientes, ut numerum aliquem religiosorum sustentent, et tamen nullum gratìs ad monasterium admittunt: additque, omnia, quæ ad hanc consuetudinem cohonestandam adduci solent, vana esse effugia, jam olim improbata ab Innocentio III. "in cap. 40. de simonia," ubi ait: "Quoniam simoniaca labes adeò plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare." Neque ignoramus, hanc eamdem opinionem, à Van-Espenio haustam, plurimorum menti insedisse, qui illam Episcopis suadere conantur, ut ea tandem imbuti, sanctimonialium cœnobia compellant ad tot saltem pu-

ellas sine dote recipiendas, quæ ad consuetum sororum numerum explendum in monasterium admittuntur. Quocirca operæ pretium est istorum opinionem, quam auctoritate pervertimus, etiam rationibus refellere.

IV. Eximius Suarez "tom. 1. de Relig. lib. 4. de simon. cap. 17." accuratè expendens allegatum D. Thomæ locum, optimè animadvertit, illicitum quidem, et simoniacum esse, aliquid recipere ab ingrediente religionem, sive illud recipiatur tamquàm pretium ingressûs, sive recipiatur pro onere, quod sibi monasterium assumit, sustentandi religiosum, ad quod cæteroquin subeundum sufficiunt monasterii reditus, utì asseruit D. Thomas: hoc tamen interesse, inter utrumque, discrimen, quòd in primo casu simonia, quæ committitur, est juris naturalis, et divini; in altero verò est juris tantùm ecclesiastici: etenim, pergit Suarez, quemadmodum matrimonium carnale considerari potest in ratione Sacramenti, et in ratione contractûs civilis, cui annexum est onus alendi conjugem et familiam, atque hujus intuitu exigitur dos à puella, quam pro ipso Sacramento accipere simoniacum foret: ita etiam matrimonium spirituale, sive professio religiosa, est status quidem spiritualis, et est præterea contractus quidam humanus inter religiosum, et religionem, quæ se obligat ad illum sustentandum. Quare, concludit Suarez, solâ spectatâ rei naturâ, quamvis nihil posset exigi pro ipso statu religioso, qui spiritualis est, posset tamen exigi pro hoc onere alendi personam religiosam, quod est temporale, et pretio æstimabile. Verùm quoniam jus ad alimenta, è monasterii proventibus percipienda, profluit ab ipsa professione religiosa, idcirco Ecclesia, ne ullâ ratione pretium pro illa accipi videretur, districtè vetuit, quidquam ab eo exigi, cui monasterium necessaria ad victum stipendia subministrare potest. Hactenùs Suarez. Investigat deindè Thomassinus ejusmodi ecclesiasticæ prohibitionis initia, et "part. 3. de vet. et nov. Eccles. discipl. lib. 1. cap. 51. num. 8." observat, septem prioribus seculis plures quidem latas fuisse leges ad compescendam monachorum avaritiam, alimentorum obtentu, pecuniam ab iis extorquentium, qui sese Dei ac religionis obsequiis mancipabant; sed simul notat, unicum earumdem scopum fuisse, arcere à religiosis immoderatum divitiarum studium, et fovere monasticam paupertatem, non autem

impedire simoniam, quam nulli adhuc in mentem venerat posse in hoc negotio committi. Omnium prima, septima Synodus, quæ est Nicæna secunda, celebrata anno 787, ejus criminis reos in simoniacorum classem retulit: nullum quippe inter ipsos, ac sacrorum Ordinum nundinatores discrimen faciens, "can. 19. tom. 4." Collectionis Harduini "col. 498." ita statuit: "In tantum inolevit avaritiæ facinus in rectores ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religiosi viri, atque mulieres, obliviscentes mandatorum Domini, decipiantur, et per aurum introitus accedentium tam ad sacratum Ordinem, quàm ad monasticam vitam efficiant.........Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, si quidem Episcopus, vel Abbas extiterit, vel quilibet de sacrato collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta secundam regulam sancti Chalcedonensis concilii. Abbatissa verò ejiciatur de monasterio, et tradatur in alio monasterio ad subjectionem." At alii canones, per idem ferè tempus editi, eamdem cæteroquin prohibitionem instaurantes, nullam simoniæ fecêre mentionem. Sic Synodus Francofordiensis anni 794. "can. 16. ibid. col. 906." ait: "Audivimus, quòd quidam abbates, cupiditate ducti, præmia pro introeuntibus in monasterium requirant. Ideò placuit nobis, et sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur." Neque simoniæ meminit Alexander III. in concilio Lateranensi "cap. 10.," etsi eumdem abusum proscribat, inquiens: "Monachi non pretio recipiantur in monasterio......Si quis exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is autem, qui acceperit, officii sui privatione multetur." Posteriores tamen Pontifices, præcipuè Clemens III. "Cap. 25." et Innocentius III. "Cap. 30. et 40. de simonia," Nicæni concilii canoni adhærentes, simoniæ labe fœdatum pronunciârunt, quicumque pro religionis ingressu pecuniam ex pacto aut recipit aut solvit in commodum monasterii, quod cæteroquin nullâ premitur egestate: cùm enim monasterium potest suis sumptibus religiosi indigentiis prospicere, illa pecunia dari præsumitur tamquàm pretium ingressûs, et admissionis in religionem: quando autem Ecclesiæ aliquid fieri vetat ob præsumptionem simoniæ juris divini, simul efficit, ut ejusdem legis transgressor fiat reus simoniæ juris ecclesiastici; quemadmodum

explicat, atque exemplo beneficii ecclesiastici illustrat Suarez "cit. loc."

V. Cùm itaque versemur in simonia, quæ ortum habuit è sola lege Ecclesiæ, mirum esse non debet, hanc potuisse nunc severiùs accipi, nunc justis de causis aliquantulum emolliri, prout vel augetur, vel minuitur præsumtio venditionis rei spiritualis, seu veriùs animi illam nundinandi, in qua præsumtione fundatur. Atque, ut missa faciamus antiquiora hac in re particularium ecclesiarum inter se discordantia statuta, quæ videri possunt apud citatum Thomassinum; concilium Cameracense anni 1565. "tit 18. cap. 12. tom. 10. collectitionis Harduini "col. 599." nullam pecuniæ pactionem in monialium ingressu tolerandam statuit, nec prætexendam permisit cœnebii inopiam, ad aliquam recipiendam, quæ in monasterium conferret dotis subsidium: "Abesse" (ait) "omninò vult sancta Synodus à religionis ingressu labem, etiamque speciem detestabilis simoniæ. Quocirca præcipit seriò, sacros canones insecuta, ne monachi, vel moniales, aliquem, vel aliquam ad professionem recipiant, mediante alicujus pecuniæ, aut muneris pacto; ne ea quidem ex causa, quòd plures alere non possint sine aliquo subsidio:" ubi tamen notanda sunt illa verba: "Abesse vult à religionis ingressu labem, etiamque speciem detestabilis simoniæ:" ex quibus apparet, dotis pensitationem non damnari à concilio tamquàm simoniacam, sed prohiberi, ad longiùs avertendam omnem simoniæ speciem. Contrà S. Carolus Borromæus, quo certè non alius solertior sacrorum canonum custos, purioris disciplinæ tenacior, et concilii Tridentini fidelior interpres, in concilio provinciali Mediolanensi I. ejusdem anni 1565. "part. 3." veluti jam certum ponit, à singulis monialibus in ipso monasterii limine aliquam pecuniæ summam penes probum virum deponi, professionis tempore monasterio tradendam, inquiens "part. 1. Act. Eccles. Mediol. pag. 47. Quod, professione factâ, eleëmosynæ gratiâ ad professam sustentandam monasterio datur, id, quo tempore puella religionis habitum suscipiet, apud virum monialibus, et earum superiori probatum, deponatur, ut nullo impedimento tum monialibus præstò esse possit:" et in concilio Mediolanensi II. anni 1569. cap. 2. "inter capita quædam ad moniales pertinentia part. 1. Act. Eccles. Mediol. pag. 75." ab Episcopo præs-

cripti voluit eleëmosynam dotalem, à singulis monialibus, alimentorum nomine, monasterio pensitandam, inquiens: "Episcopus præterea tum impensas æstimet, quæ et in religionis ingressu, et tempore professionis fieri solent pro vestitu, aut pro aliis rebus, ad ipsius puellæ, vel monasterii usum, commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, ejusdem judicio, ad ea alimenta satis sint, monasterio attribuantur." Mediam viam iniit concilium Turonense, habitum anno 1583. quod "cap. 17. tom. 10. collectionis Harduini "col. 1431." insinuat, moniales, intrà præfixum ab Episcopo numerum gratìs omninò admittendas, ultra numerum verò, cum justa dote. Sed concilium Avenionense anni 1594. "tit. 50. de Sanctimonialibus, ibid. col. 1865." idem prorsùs servari jussit, quod S. Carolus sanciverat. In hac opinionum varietate, diù anceps hæserat sacra Congregatio Concilii, et quandoque propenderat in Turonensium Patrum sententiam, sicuti à Fagnano accepimus; sed, cùm experientiâ didicerit, nullum reperiri adeò opulentum sanctimonialium cœnobium, quod, ad reparanda quotidiana suorum redituum decrementa, non egeat novarum dotium accessione, firmiter tandem amplexata est S. Caroli decreta, eaque religiosè observari voluit: quod non solùm constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clariùs ex alia, quæ refertur in bibliotheca Præmonstratensi "pag. 356, cujus verba sunt: "Non vestiantur moniales, nec admittantur ad habitum, nisi priùs parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dotè, vel eleëmosyna consueta, et illam deposuerint solvendam monasterio post emissam professionem." Etenim, utì ad rem perpendit Cabassutius "in theor. et prax. Jur. Canon. lib. 5. cap 5. n. 13." non est expectanda, sed præcavenda arcta, et extrema monasteriorum necessitas, ne secùs ea sequantur gravissima mala, quæ in animarum dispendium gravem monasteriorum inopiam plerumque comitantur: "Vidimus" (inquit Cabassutius) "in permultis virginum monasteriis, ad gravem inopiam redactis, fuisse eò quandoque redactos prælatos, ut, solutâ clausurâ, virgines ad proprios parentes transmiserint nutriendas, suasque operas, ne à propriis parentibus repellerentur, famulitia, et opificia pro pane apud eos

quærendo locaturas. Vidimus multoties, facilè dissipatis monasteriorum exiguis facultatibus, necesse fuisse, quasi in communi naufragio, ut singulæ moniales privatim suo victui consulerent, suas operas externis pretio ad vitæ subsidium exhiberent, proprietatem rerum, quascumque corradere possent, sibi ad vitæ privatæ necessitates assererent, tempora orationi, vel lectioni destinata, manuum labori insumerent, colloquia cum externis à quibus subsidium aliquod sperabant, miscerent; ex quibus contingeret, omnem interiorem, et exteriorem disciplinam prorsùs evanescere."

VI. Si hæc secum animo revolvat Episcopus, non statim illicitum, et simoniacum pronuntiabit dotale subsidium, quod à puellis sese in religionem recipientibus exigitur, neque faciles aures præbebit suasionibus hominum, qui ut propriæ parcant pecuniæ, suasque filias, sine ullo sumptu, religioni alendas tradant, monasteriorum opulentiam exaggerant, novamque pecuniam illis collatam, in inutiles, ac voluptuosos sumptus erogari, clamitant. Non idcircò tamen negamus, interdùm expedire, dotis quantitatem imminui, et quandoque etiam prorsùs remitti: sed, quod in peculiaribus circumstantiis, et consultâ priùs sacrâ Congregatione Concilii, fieri decet, non poterit synodali constitutione generatim, atque universim faciendum decerni. Illud autem curabit Episcopus, ne ultra præfinitam dotem, monasterio pendendam, alia pecuniæ summa à puellis extorqueatur, in monialium commodum, aliosve usus impendenda, qui ad puellæ sustentationem nequaquàm pertinent: id quippe cùm nulla ratione cohonestari valeat, adhuc remanet sub censura "Extravag. 1. de simonia, inter comm," ubi Urbanus V. utriusque sexûs regularibus districtè inhibuit, ne ante, aut post cujusquam in religionem ingressum, "quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, dirctè vel indirectè, petere, vel exigere quoquo modo præsumant.

VII. Modum quoque imponet sumptuosis apparatibus, musicis concentibus, comessationibus, aliisque hujusmodi, quæ cum magno familiarum impendio alicubi fieri solent in monialium ingressu, et professione: omnem siquidem mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecere spirituales nuptias, quas eligit puella,

quæ Deo et religioni se devovet, scitè ponderat Navarrus "in tract. de reditibus ecclesiasticis, in fine quæstionis primæ, pag. 150. edit. Romanæ" anni 1584. ubi hæc ad rem scripsit: "Quid quæso dicemus ad prodigas illas expensas, et profanos apparatus fieri solitos ex pacto tacito, vel expresso, dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quàm ut hæc vehementer interdicantur, et culpentur, et puniantur illæ, quæ taliter faciunt? Et simul etiam doceantur, quàm honestior apparet cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam, humilisque temperantia, spirituali juncta contemplationi, quàm pomposa profanitas mundanæ cuidam admixta voluptati, in funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, et nascitur, vel excrescit Deo." Videatur etiam Tournely "in theologia morali in Append. de simonia cap. 4. sect. 3," ubi prædicta omnia amplissimè confirmantur.

No. 2.

BREVE

BENEDICTI XIV.

QUO NIMIAM IN JEJUNIO DISPENSANDI FACILITATEM REPROBAT, ET DECLARAT DISPENSATOS QUOAD ESUM CARNIUM OBLIGARI AD UNICAM COMESTIONEM.

Bullarii tom. I. N. 19.

(Citatur N. 273. de Virtute Religionis, Tom. IV.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Non ambigimus, venerabiles Fratres, quin universis catholicæ religionis cultoribus notum sit, à tota per christianum orbem Ecclesia inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita perpetuò adnumeratum retineri quadragesimale jejunium, quod olim in Lege, et Prophetis primitus adumbratum, ipsius D. N. Jesu Christi ex-

emplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, à sacris Canonibus ubique præscriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso suî primordio retentum, et observatum est. Hôc nimirùm, ut veteres tradidêre Patres, nobis, quotidie peccantibus, communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus, simulque ad recolenda sacratiora nostræ redemptionis mysteria, quæ per dominicæ passionis, ac resurrectionis memoriam quadragesimali potissimûm tempore solemniùs celebrantur, purificatis jejunio corporibus et animis, digniùs paramur. Hôc, veluti nostræ militiæ tesserâ, ab inimicis crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, et cœlesti præsidio indies adversùs principes tenebrarum munimur. Hôc despectui habito, non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ religioni dedecus, nec dubium animabus Christi fidelium periculum oboritur: nec aliundè populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem exitiumque importatum esse constat.

Ab hac verò insitâ, inhærentique in omnium hominum catholicorum animis de sacratissima quadragesima aliisque diebus jejunio consecratis persuasione, et reverentiâ, quàm aliena, quàm discors, quàm absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantùm ab ipsa jejuniorum institutione, et servata semper, ubique et ab omnibus disciplina quàm longissimè distet, Vos, venerabiles Fratres, qui populorum, curæ vestræ commissorum, mores et usus probè nôstis pro singulari sapientia vestra præ cæteris clariùs intelligitis. Nos sanè, quibus in hac sublimi apostolicæ procurationis specula constitutis, undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem planè sublatam esse; ita ut orthodoxæ quidem religionis cultores meritò querantur, hæresum verò sectatores illudant, et exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse, graviter dolemus, quæ usque adeò invaluit, ut nullâ apostolici instituti, sacratissimique præcepti habitâ ratione, jejuniorum tempore palàm, et impunè ab iisdem agitentur convivia, et epulæ interdictæ promiscuè inferantur.

Eapropter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus vestris communicamus, ita facere non possumus, quin pro injuncto Nobis supremo sacrosancti apostolatûs officio, et ardentissimum Fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes hujusmodi abusibus penitùs extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, venerabiles Fratres, gaudium et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus nostræ curæ commissis utilius, quàm ut verbo et exemplo præeuntes, Christi fideles ad tam salutarem christianæ pœnitentiæ, et pietatis exercitationem alacriùs suscipiendam, constantissimè retinendam, et eâ, quâ instituta fuit, disciplinâ peragendam vehementiùs inflammemus; omni operâ, atque industriâ studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri.

Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrûm sedulitatis et charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio, multitudini verò, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, non nisi gravissimâ et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita apostolicæ hujus sanctæ Sedis reverentia, à quadragesimali jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbè et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

Gravissimam verò, urgentemque necessitatem, etsi non est cur vobis explicemus; nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimùm unicam comestionem, sicut aliàs hìc Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes expressè præscripsimus, et licitas atque interdictas epulas promiscuè minimè apponendas esse.

Porrò quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam cautè impertienda, si secùs fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo divino Judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque vestrûm

onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhortantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christi fidelium pœnitentiam ac disciplinam servare nequeunt, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quin imò sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem studeant adhibere curationem, et culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleëmosynæ munera redimant. Interim solatium et levamen non leve mœrori nostro à pastorali vigilantia et charitate vestra præstolantes, ac certò Nobis pollicentes, apostolicam Benedictionem, cum uberi cœlestium charismatum copiâ conjunctam, in eosdem populos vestros redundaturam, vobis, venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides prorsùs habeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 30. mensis Maii 1741. Pontificatûs nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

No. 3.

BREVE

BENEDICTI XIV.

QUO PRÆCEDENS EXPLICATUR ET CONFIRMATUR.

Bullarii tom. I. N. 27.

(Citatur eod. N. 273. de Virtute Religionis, Tom. IV.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

In suprema universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licèt imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut orthodoxæ fidei assertores, sic etiam ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, quadragesimale præsertim jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper, et ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse, nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium correptèla vindicare, et in pristinam, quantùm, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras die 30. proximè elapsi mensis Maji

currentis anni datas, eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte et optatum apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendæ sacratissimi jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem paternæ pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum à jejunio aliquando legitimâ, causâ, aut gravissimâ urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex apostolica benignitate censuimus, ita inter cætera præscripsimus, unicam comestionem servandam, et licitas, atque interdictas epulas minimè esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quòd non defuerunt, qui per humanas, et hominibus, à christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimùm comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minimè apponi debere, cùm multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, non verò singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sanè persuasionem à sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitùs evellamus. Nos quibuscumque, quâcumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodò nulla certa, et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necesssariò exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omninò, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minimè esse apponendas, tenore presentium declaramus, et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexûs Christi fidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expressè præscribimus, atque præcipimus. Eapropter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque

sauciatur, sanctissimi jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulò, ac paternè moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longè gravissimam, de observando sustinendoque jejunio, purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis; imò leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum, magnum gloriæ pondus operatur in cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles, ac delicatos christianæ militiæ milites, refugientes à consortio crucis Christi, qui coronam legitimè certantibus propositam sperare præcipit incurruptam; ad cujus auspicium et pignus, Fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur.

Volumus autem ut præsentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima secunda mensis Augusti, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatûs nostri anno secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

No. 4.

BREVE

BENEDICTI XIV.

QUO DECLARANTUR QUÆSTIONES EX DUOBUS PRÆCEDENTIBUS EXORTÆ, ET AB ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLÆ SANCTITATI SUÆ PROPOSITÆ.

Bullarii tom. I. N. 99.

(Citatur eod. N. 273. de Virtute Religionis, Tom. IV.)

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Si Fraternitas Tua secum reputabit, quot gravissimis, et maximis curis propemodum obruamur, quantùmque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsùs Nos teneat imposita tenuitati Nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sanè mirabitur, tamdiù sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas litteras, quibus apostolicâ auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas è duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. Maii, et 22. Aug., quibus intrà legitimos fines coërcuimus invalescentem ecclesiastici jejunii relaxationem. Potiùs tibi in mentem veniet cogitare de singulari

nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, undè Nos, immensâ licèt rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter, opem nostram præsto habet. Quamquàm igitur, dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum, nimis ingenio fidentium, theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita à Nobis jejunandi regula: tamen eximiâ paternâ charitate complectimur adeò observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, et Nos ipsi quæstiones abs te propositas, dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. "Utrùm quæ in antedictis nostris litteris in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?"

"Respondemus:" Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quàm geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos verò, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. "An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?"

"Respondemus:" Non licere, sed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. "An, qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?"

"Edicimus," observandam iis esse.

IV. "Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictus conjungi?"

"Respondemus:" Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeòque utrumque simul adhibere non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantùm facultas adhibendi ova et lacticinia.

V. "An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur?"

Affirmatur complecti.

VI. "Utrùm hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex bulla Cruciatæ edere possunt ova, et lacticinia?"

"Rescribimus:" Nihil in prænunciatis nostris apostolicis litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem strictè, et consideratè perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. "Utrùm memorata duo præcepta urgeant extra quadragesimam?"

"Respondetur:" Urgere extra quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, et tertio ad hæc postulata responso expressis: et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Habes, venerabilis Frater, penitùs explicatum, quidquid apud Vos ex nostris sæpiùs nuncupatis apostolicis litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, et non vacillanti gressu ad oves sanâ doctrinâ imbuendas incedere pastores queant: in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi è divi Petri cathedra acceptum, reputantem, quà splendidissimâ gloriâ tantum nomen, et incorruptæ fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem Vobis est (idque plurimùm ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, et Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis apostolicæ Sedis Constitutionibus, præ nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, nullus fiat disserendi, ambigendique modus. Sedula deindè opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facilè, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitùs inter vos dirimantur, ne diuturnâ unquàm disceptatione fluctuent animi, præsertim cùm constitutiones ipsæ apostolicæ scopum, quò tendunt, apertè demonstrant, et illuc promptè dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de præsenti negotio plura dubitârunt, nodum sibi exsolvissent.

Patebat enim, nihil aliud Nobis in animo fuisse, quàm cohibere vivida nonnullorum theologorum ingenia, qui nimiùm sacri jejunii fines prætergressi, et non parùm obliti illud ad retinendum in officio corpus divinitùs institutum, hosti huic spiritûs infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterùm simul præcaventes, quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

Reliquum est, venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur. Datum etc. 8. Julii 1744.

No. 5.

BREVE

BENEDICTI IV.

QUO TRIA PRÆCEDENTIA CONFIRMANTUR, ET CAUSÆ EXPLICANTUR OB QUAS DISPENSATIO A QUADRAGESIMALI JEJUNIO MULTITUDINI CONCEDI POTEST.

Bullarii tom. I. N. 130.

(Citatur eod N. 273. de Virtute Religionis, Tom. IV.)

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Libentissimè quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim summi Pontificatûs dignitati, ad quam Nos, licèt immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui planè tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cùm itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de jejunio, quod tempore quadragesimæ, veteri

Ecclesiæ instituto ac lege, fidelibus indicitur, supervacaneum ducimus longam orationem conficere de quadragesimæ institutione, et Patrum, et Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parùm videretur, sed potiùs alienum, et nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, canonum, et sacræ historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porrò ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ "sess. 25. de Reformat." præcipit Episcopis omne studium impendere, ut fideles ipsorum curæ traditi, magnâ religione perficiant ea, quæ à sacris canonibus præscribuntur: "Ut illis omnibus, et iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia."

Ubi primùm Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. rec. à Sede Anconitana translati fuimus) mandatum evulgavimus, quod libro primo Institutionum nostrarum pro viris ecclesiasticis decimoquinto loco continetur. In illo plures difficultates indicavimus, ob quas miminè solvendos à jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitimâ priùs auctoritate interpositâ, quadragesimæ abstinentiam non observarent, minimè, inquam, solvendos à jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instruere, non unicâ vice, vespertinâ superadditâ refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterùm revocavimus, et præstantissimis quoque viris demandavimus, ipsam diligenter accuratèque perpendere, ac suas deindè opiniones Nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ullâ in posterùm, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua civitate, vel oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii, vel quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive unius comestionis interponatur; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hâc ratione nimiùm implicatis quæstionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cùm jejunium indicitur, ritè obtinuerunt; et pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam

nimis invaluerat, penitùs evellere, afferendi nempè carnes in mensam cum piscibus, postquàm ipsi quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimùm causam, quòd grave detrimentum salutis ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissimè constant ex nostris apostolicis litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos orbis catholici anno 1741, quarum primæ incipiunt, "Non ambigimus:" alteræ verò, "In suprema." Nos profectò nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cùm tempus quadragesimæ, sive aliud jejunium præcipitur, nisi indictâ, scriptâque conditione, quam superiùs commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cùm redditæ Nobis fuerunt plures epistolæ, ac mandata vestra litteris nostris apostolicis omninò consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam piè servarent.

Interim, promulgatis iisdem apostolicis litteris, quas paulò antè nominavimus, plures cavillationes excogitate sunt à nonnullis, utì nos antea facili conjecturâ suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur, cùm illæ vel ipsius legis verbis, vel sensu penitùs corruant, ac dissolvantur: attamen sacro tribunali nostræ Pœntentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plenè, cumulatèque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum regnis primus Inquisitor, nuperrimè vitâ functus, longam ad Nos dedit epistolam, quâ plures recensebat difficultates, quæ litteris nostris apostolicis adversabantur, quominùs executioni mandarentur, eo quòd nonnulli theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus litteræ nostræ apostolicæ causam, et occasionem præbebant, ac proindè de illis judicium nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi litteræ Nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est, non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum sive obstaculum nostris litteris apostolicis superesset; sed potiùs,

ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minimè adducerentur. Accedit etiam, quòd epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, et obscuris vocibus redundabat: quamobrem, licèt plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus, illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, et quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primùm, nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quòd tardè ipsi responsum daremus: ejus studium commendavimus, et etiam magnoperè probavimus, quòd anceps, ac dubius ad hanc sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deindè prolatis quæstionibus satisfacere non prætermissimus, illum tamen monentes de instituto summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut, quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis litteris, Archiepiscopus paulò pòst vitæ cursum absolvit. Itaque non immeritò suspicamur, responsa nostra, quæ litteris continebantur, haud cognita fuisse, et perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita priùs Archiepiscopo Compostellæ à Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos theologi, qui litteras nostras apostolicas, datas anno 1741, egregiis commentariis illustrârunt: idem contigit responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ " die 8. Julii anno 1744," quod sanè integrum suis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri ejusmodi ad Vos fortassè nondùm pervenerunt, vel, curis aliis distenti, illos percurrere minimè potuistis, his litteris encyclicis adjungimus illas pariter, quas (utì dictum sæpiùs est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut, quæ disciplina vestris in dœcesibus tenenda sit, planè cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ à captiosis hominibus concitentur.(1)

Cùm hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cùm jeju-

(1) Vide suprà pag. 436.

nium tempore quadragesimæ, vel extra quadragesimam fidelibus præscribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul et carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium à Nobis deposcunt.

Siquidem advertimus jam multis abhinc annis non solùm plures in qualibet Italiæ urbe, vestrâ auctoritate dissolvi à quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contenditis, ut universam civitatem totamque diœcesim eâdem abstinentiâ liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam civitatibus, ac diœcesibus jam per multos annos fideles universi absque ullo discrimine carnibus per quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quòd deprehendimus certis testimoniis in quibusdam religionibus Septentrionis toto quadragesimæ cursu lactis, et ovorum usum liberè permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, et à Sede apostolica consecuti fuerint. Quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt, non esse rursùs ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per quadragesimam comprobetur.

Præterea maximi facienda esse ducimus ea verba Trid. Concil. "sess, 25. cap. 18. de reform. Sicuti publicé expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs quàm certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire."

In litteris nostris apostolicis, quas "anno 1741." ad omnes catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus eâ ratione, illisque verbis, quæ rursùm hìc subjicimus: "Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis et charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio, multitudini verò, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, non nisi gravissimâ, et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita apos-

tolicæ hujus sanctæ Sedis reverentia, à quadragesimali jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbè, et arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam."

Porrò Nos hanc normam secuti sumus, cùm multitudinem, veluti populum, aut civitatem integram quadragesimali abstinentiâ immunem declaravimus. Inprimis loci Episcopus id postulare à Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deindè carnes minimè permissæ fuerunt, si lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tum verò facultas edendi carnes tribui solùm consuevit, cùm interposito Episcopi testimonio id omnindò necessarium judicaretur, nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solùm, et lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia quadragesimæ nostrâ auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempè diem cinerum, dies quatuor temporum, vigilias præcepto obeundas, dies majoris hebdomadæ à Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam cinerum, aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis ac sabbatis, etiamsi facultas à Nobis tradita lactis et ovorum usum solùm complecteretur. Postremò eam conditionem semper addidimus, ne jejunii lex, unius per diem comestionis, ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii nostri seriò perpendimus, haud plenè acquiescimus, ob eam sollicitudinem, ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortassè non sit, quæ veram, et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil à ratione alienum, nihil inconsultò ac temerè faciamus. Hærent pariter animo defixa S. Bernardi verba ad Pontificem Eugenium "libro 3. de Consideratione, cap. 4: Facitis hoc, quia potestis: sed, utrùm debeatis, quæstio est, et quomodo:" attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempè locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac diœcesium, nisi fides habeatur Episcopis à quibus illæ adminis-

trantur. Sed in posterùm, ut gravissimum hoc negotium tutiùs, quàm fieri posset, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore nostro "Cap. Consilium, de observatione jejuniorum," inter causas legitimas solvendi abstinentiam à carnibus jejunii tempore, recenseri veram, et existentem reipsa ægritudinem: "Præterea de illis, qui in quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus, quòd, cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cùm urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut majus periculum in eis evitetur." Idem statuerant multò ante Innocentium III. Patres octavi concilii Toletani "Can. 9." quod anno 653. celebratum fuit: "Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm erit reus resurrectionis dominicæ, verùm etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione....Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à sacerdote permissum accipiant."

Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui à jejunii legibus et abstinentiâ immunes existimentur: non autem, ut populus, vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, cives universos alicujus urbis, vel diœcesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi fortè eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulò pòst verba faciemus. Quis credat unquàm populum universum alicujus diœcesis, vel communi languore penitùs extenuatum, vel extremâ senectute confectum?

Neque verò causa sufficiens habenda est, ut aliqua civitas, vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si fortè pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives, ita etiam opulentos; è quibus etiam alii vitæ sustentationem labore, ac sudore sibi comparant, alii verò patrimonio, ac divitiis satis superque abundant.

Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non verò divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus capite nono libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsùs existimari debet, solvendas esse abstinentiâ quadragesimæ civitates, vel diœceses, ubi exercitus versantur, eo quòd milites, in iis locis permanentes, abstinentiæ leges minimè observant. Id potiùs animos civium inflammare deberet ad jejunium ritè religiosèque suscipiendum, ut nempè milites tantâ virtute temperantiæ permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum, pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum, atque olei, licèt quadragesimæ jejunio non intemperent, ut harum rerum pretia summoperè augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulò antè diximus, cùm pisces, et ova cariori pretio comparantur.

Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterùm pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi fortè civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in posterùm herbarum, olei, piscium, et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas, vel diœcesis ab instituto quadragesimæ jejunio ac temperantiâ liberari contendat. Quòd si veras, ac legitimas à Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimùm percensebimus, quarum prima ex jure canonico, altera verò ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

Innocentius III., quem superiùs nominavimus, "eodem Cap. Consilium, de observatione jejuniorum," Archiepiscopo Bracarensi postulanti, quâ pœnâ plectendos judicaret illos, qui tempore quadragesimæ à carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: "Cùm autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quòd magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus, quòd in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen

Domino pro illis, et cum illis effundas, ne ipsis aliquatenùs imputetur, quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur." Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarensis Antistitis, idem consilium peteret à Sede apostolica, tanquàm ineptus, ac simplex haberetur; sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maximi pendebatur, utì æquum est, quadragesimæ præceptum. Hinc magnâ severitate inquirebantur illi, qui minimè paruissent, licèt talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla ratio habebatur virorum principum, licèt ipsorum incolumitas cum reipublicæ felicitate conjuncta putaretur; utì Nos fusè ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum libri primi. Sed iis omissis, et aliis benè multis, quæ in hanc rem congeri à Nobis possent, illud primùm delibabimus ex responso Innocentii III. tunc quadragesimæ abstinentiâ solvi posse integram civitatem, vel diœcesim, cùm reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum quadragesimæ observari nequit. Itaque si reverà in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte et ovis utantur: si hæc autem reverà deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interpositâ semper jejunii servandi conditione.

Insula Sancti Dominici in America meridionali in temporalibus paret charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. à Nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta à Sede apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum, et quadragesimæ, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedùm particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtûs incolas, quando coram Deo id expedire judicasset; habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus incolis sui districtûs, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longè ab Insula piscantes, pisces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ oleum emere

non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum, et leguminum, quæ in ea regione facilè corrumpuntur, aut à vermibus consumuntur. Re subindè maturè discussâ coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis "die 12. Apr. anno 1742." habitâ ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem apostolicam recursus; indulgentes necessitati fidelium degentium in Insulis ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, et ineluctabilis necessitatis, et tantùm de anno in annum, præfatâque verâ necessitate durante, et non aliter, nec alio modo, possent et valerent cum fidelibus populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, et lacticiniorum, et etiam carnium tempore quadragesimali, indictâ simul cum hujusmodi dispensatione observantiâ jejunii per unicam comestionem, oneratâque prædictorum Præfectorum conscientiâ, si ad amussim juxta præscriptum concessâ facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totâm ferè Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una civitate in aliam, ut ex una provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730, 1733, 1740. Licèt autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solùm in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus maturâ jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimæ, et mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululùm infirmo pectore laborarent. Postremò multorum pectora adeò labefactavit, ut gravissima deindè mala provenerint. Alios quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse medici scriptores luculenter testantur.

Itaque, si medicinæ professores acciti, monitique graviter, ut nihil à veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (utì Nobis ipsis accidit, cùm adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superiùs commemoravimus, ita ut nulla ætas libera, et incolumis esse queat; et affirment, illis ipsis, qui inter cives salvi et integri numerantur, eandem

perniciem imminere; id præterea conferre plurimùm ad ejusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani, à piscibus, et oleo, et quandoque pariter à lacte, et ovis abstineant; si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, et quæ semper probata, et in posterùm probanda videtur, ut nempè populus, seu civitas integra à carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere Vos debet à consulendis Medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid reverà senserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio, si desit in posterùm, nulla unquàm facultas civitati, aut diœcesi carnibus, aut lacticiniis vescendi tempore quadragesimæ tribuetur; quippe id necessarium omninò videtur. Accedit etiam, quòd medici facilitate quâdam incredibili peculiares quidem cives à quadragesimæ præcepto liberos, et immunes decernere soleant: (de qua re gravissimè monendi à vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent) cùm verò pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare. Nos ipsi experti sumus. Postremò si velint precurrere ea, quæ in Italia, et extra ipsam præclarissimi auctores medici typis evulgârunt, facilè deprehendent, abstinentiam, ciborumque parcimoniam ab illis magnoperè commendari, discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquàm requiri, ut jusculum, et carnes loco piscium, olei et herbarum substituantur; in aliis verò juvare plurimùm, si sublatis carnibus, cùm indicitur jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: demùm advertent, quàm diligenter, accuratèque scribant de pectoris incommodis, cùm in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes à communi lue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut Vos hortemur, ne tam facilè suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, et lacticiniis tempore quadragesimæ pro universa civitate, vel diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientià à vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam

quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri. Hanc rationem, et institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cùm nuper quadragesimæ tempus ageretur. Si Vos id quoque præstabitis, neque facilè à Nobis pro universa civitate, vel diœcesi facultatem solvendi quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quàm servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad Nos deferetur, non solùm ii fructus provenient, quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nosque pariter eâ molestiâ vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minimè obsecundamus. Postremò Vos omnes peramanter amplectimur, et apostolicam benedictionem vobis, populisque vestris impertimur.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatûs nostri anno quinto.

No. 6.

CONSTITUTIO

CLEMENTIS XIII.

DE JEJUNIO.

((Spectat ad eumdem N. 273. de Virtute Religionis, Tom. IV.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus Archiepiscopis et Episcopis,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Appetente sacro quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, quâ unâ omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, venerabiles Fratres, ut sacratissimum jejunium sanctè religiosèque à fidelibus observetur, quod Legis et prophetarum testimonio commendatum, à Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum Ecclesia catholica perpetuò retinuit, ut per macerationem carnis, et animæ humiliationem ad Dominicæ Passionis, Paschaliumque Sacramentorum mysteria paratiores accedamus, et in ejus resurrectione resurgamus, in cujus passione, deposito

veteri homine, simus commortui. Cujus tam sanctæ tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. record. Prædecessor noster Benedictus XIV. etsi binis ad Vos litteris in forma Brevis eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis jejunii disciplina ad pristinam observantiam vestrâ operâ et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cùm ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multæ et assiduæ sint gregi dominico insidiæ; verendumque propterea sit, ne subindè infirmiorum animis novas veterator ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, undè revocata dudùm fuerat, illuc iterùm relabatur; necessarium existimavimus vobis has litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticæ in hac re disciplinæ inferatur, Fraternitatibus vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit; quâ, sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti Prædecessoris nostri litteras fortassè reliquum fuerit, sive pro infringendis jejunii legibus vel opinionum commenta, vel à vera jejunii vi ex natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissimè sint invectæ, ea omnia, quantùm juvante Domino fieri potest, radicitùs convellenda curetis. In quibus profectò abusum illum censemus omninò numerandum, quem rumor quidam ad Nos pertulit; cùm nonnulli, quibus ob justas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permistas sumere, contrà quàm prædicto Prædecessori nostro visum fuerit, qui consuit, tam dispensatos à carnium abstinentia, quàm quovis modo jejunantes, unicâ exceptâ comestione, in omnibus æquiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodò ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

Verùm neque commodiûs, nec majori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam jejunii legem observandam, quàm si illud populos doceatis:

Christiani hominis pœnitentiam, præter cessationem à peccatis et malè anteactæ vitæ detestationem, eorumdemque peccatorum sacramentalem confessionem, illud etiam postulare, ut per jejunia, eleëmosynas, orationes, et alia spiritualis vitæ opera divinæ justitiæ satisfaciamus: omnem enim iniquitatem, parva magnave sit, aut ab ipso pœnitente, aut à Deo vindicante puniri oportere; nisi igitur à Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quam si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, et à fidelibus denique altè imbibatur, minùs profectò verendum erit, ne qui profligatos mores abjecerint, ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint, atterendâ carnis concupiscentiâ, per jejunium expiare. Præterea, quibus persuasum fuerit se peccatorum minùs dubiè pœnitere, cùm se impunitos esse non sinant, ii profectò pœnitentiæ amore capti, lætabuntur quadragesimali tempore cæterisque certis diebus, cùm S. Mater Ecclesia edicit fidelibus jejunandum, oblatam sibi esse occasionem, quâ dignos pœnitentiæ fructus faciant: Cùmque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim: Post concupiscentias non eas, et à voluntate tua avertere: facilè animum inducant, sacratissimo totius anni potissimùm tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima cognitione suî receptâ intelligat, quâ compunctione parare se debeat ad sanctissima passionis, mortis, et resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minùs suavitates exquirant in dapibus, minùs sectentur cupediarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia à vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas qui mensæ apponat suæ, illum non immerito dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias, quàm cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minùs denique, aut, quibus se subducant à jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, venerabiles Fratres, exemplo æquè ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad præscriptas à catholica Ecclesia leges observent, et eleëmosynis etiam, atque oratione sanctificent: et id, quò maxime

spectat Ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati et Christo consepulti, ad novam in Paschali solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus apostolicam benedictionem, benevolentiæ in Vos et charitatis nostræ pignus, amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xx. Decembris anno MDCCLIX. Pontificatûs nostri anno II.

DE

INCARNATIONE, SACRAMENTIS IN GENERE, BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTIA ET SACRIFICIO MISSÆ.

No. 1.

PROPOSITIONES EX ACTIS SYNODI DIŒCESANÆ PISTORIENSIS EXCERPTÆ, ATQUE A PIO VI. DAMNATÆ PER BULLAM "AUCTOREM FIDEI, DATAM 5. KALENDAS SEPTEMBRIS 1794."

De sacramentis, ac primùm de forma sacramentali cum adjuncta conditione.

XXVII. Deliberatio Synodi, quâ prætextu adhesionis ad antiquos canones, in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione;

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

(Spectat ad N. 34. de Baptismo.)

De participatione victimæ in sacrificio missæ.

XXVIII. Propositio Synodi, quâ postquàm statuit "Victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem," subjungit "non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideò quia isti participant, licét minùs perfectè, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo:"

Quatenùs insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragitur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant: Et quasi damnandæ essent ut illicitæ missæ illæ, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet,

Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

(Spectat ad N. 4. de Sacrificio missæ, Tom. 5.)

De ritûs consecrationis efficacia.

XXIX. Doctrina Synodi, quâ parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, à quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantùm propositis: 1. Christum post consecrationem verè, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2. Tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsùs omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definit, et quæ in solemni fidei professione continetur;

Quatenùs per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversùs hæreses, tenditque adeò ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione merè scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transubstantiationis, favens hæreticis.

(Spectat ad N. 25. DE EUCHAR. Tom. 5.)

De applicatione fructûs sacrificii.

XXX. Doctrina Synodi, quâ dum profitetur "credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quàm defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;" dein continuò subjicit: Non tamen quòd credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; imò damnamus hunc errorem velut magnoperè offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundùm mensuram, quæ ipsis placet:" Undè et consequenter traducit velut "falsam opinionem invectam in populum, quòd illi, qui eleëmosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quòd celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant:"

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit à sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis pro quibus applicatur, quàm aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam com-

mendat ac præcipit Ecclesia, speciatim à pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino præcepto descendens à sacra tridentina Synodo diserte est expressum,

Sess. 23. c. 1. de Reform.

Bened. XIV. Constit. "Cùm semper oblatas. §. 2."

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem aliàs damnatum in Wicleffo.

(Spectat ad N. 10. DE SACRIFICIO MISSÆ, Tom. 5.)

De convenienti ordine in cultu servando.

XXXI. Propositio Synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantùm sit altare, sibique adeò placere morem illum restituere.

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti, et probato mori injuriosa,

(Spectat ad N. 16. Tom. 5. DE SACRIFICIO MISSÆ.)

XXXII. Item præscriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquarum thecæ, floresve apponantur,

Temeraria, pio, ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

(Spectat ad Eumdem N.)

XXXIII. Propositio Synodi, quâ cupere se ostendit, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium "revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;"

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

(Spectat ad N. 17. DE SACRIFICIO MISSÆ, Tom. 5.)

De stipendio missarum.

LIV. Item quæ velut turpem abusum notat unquàm prætendere eleëmosynam pro celebrandis missis, et sacramentis administrandis sicuti et accipere quemlibet proventum dictum "stolæ," et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur;

Quasi turpis abusûs crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, dum secundùm receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum, utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia administrantur,

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam, ejusque ministros injuriosa.

(Spectat ad N. 14. DE SACRIFICIO MISSÆ, Tom. 5.)

De adoranda humanitate Christi.

LXI. Propositio quæ asserit, "adorare directè humanitatem Christi, magis verò aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;"

Quatenùs per hoc verbum "directè" intendit reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perindè ac si talis adoratio, quâ humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquàm nuda caro, sed proùt unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potiùs una eademque adoratio, quâ Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,
Ex Concil. C. P. V. Gen. Can. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi à fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.

(Hic et duo seqq. art. spectant ad N.23. de Incarnatione. tom. 5.)

LXII. Doctrina quæ devotionem erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;
Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.

LXIII. Item in eo quòd cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quòd non advertant SS.[mam] carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione à divinitate adorari non posse cultu latriæ;

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione à divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis, sine separatione aut præcisione à divinitate, adorabile fuit in sepulchro.

Captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.

De sacris imaginibus.

LXIX. Præscriptio quæ generaliter et indistinctè inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam freqentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ.

Ex Brevi "Sollicitudini nostræ," Benedicti XIV. An. 1745.

(Spectat ad N. 26. De Incarnatione.)

LXX. Item doctrina, et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim Imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quàm ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosa, quo "ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.

Ex S. Aug. Ep. 78. clero, senioribus, et universæ plebi ecclesiæ Hipponen.

(Hic et duo seqq. art. spectant. ad N. 27. De Incarnatione.)

LXXI. Item quæ vetat ne imagines, præsertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, præterquàm denominationibus, quæ sint analogæ mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio.

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ deno-

minationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.

LXXII. Item quâ velut abusum extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines;

Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

No. 2.

DE INTENTIONE MINISTRI REQUISITA AD VALIDITATEM SACRAMENTI.

Ex Bened. XIV. de Synodo Lib. VII. Cap. 4. *N.* 2. *et seqq.*

(Spectant ad N. 40. de Sacram. in genere. Tom. 5.)

II.......Quæstio est inter theologos, sæpiùs à parochis refricari solita, an, et qualis intentio sit necessaria in ministro, ut validum sacramentum conficiat. Aliquam intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, in eo requiri, fidei dogma est: etenim Eugenius IV. in suo decreto post concilium Florentinum, "tom. 9." collectionis Harduini "col. 438," septem novæ legis sacramentis singulatim enumeratis, ait: "Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquàm materia, verbis tamquàm forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi,

quod facit Ecclesia:" et concilium Tridentinum "sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere," contrarium sentientes anathemate perstrinxit: "Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit."

III. Nec verò pauca, nec levia sunt rationum momenta, quibus hoc fidei dogma fulcitur: nam in primis Christus Dominus, sacramentorum novæ legis auctor et institutor, eorumdem administrationem esse voluit actionem humanam: actio autem humana esse non potest, nisi sit libera; nec libera, nisi fiat ex rationis judicio, et cum intentione voluntatis. Præterea actio sacramentalis referri potest ad varios fines: Infans quippe potest ex. gr. aquâ ablui vel ad munditiem corporis, vel ad sanitatem; quamobrem, ut ablutio sit sacramentalis, necesse est, ut ad finem baptismi determinetur per intentionem abluentis. Demùm, ut sacramentum validè conferatur, qui illud administrat, gerere se debet ut Christi et Ecclesiæ minister: ad quod profectò necessarium est, ut illud animo intendat, quod Christus instituit, aut facit Ecclesia.

IV. Ex his porrò, quæ latè exornant theologi, præcipuè Gregorius de Valentia "tom. 4. commentarior. theologicor. disputat. 3. quæst. 5, punct. 3." colligitur, eum, qui jocosè ac scurriliter sacramenti ritum celebrat, sacramentum non conficere, neque validè administrare. Is quippè animum illudendi sibi adesse ostendit, non verò ponendi religiosam actionem, à Christo Domino institutam, ejusque virtute sacratam: quare Lutheri, et Calvini error, sacramenta, per jocum administrata, nihilominùs rata esse, asserentium, primò confixus est à Leone X. anno 1520, cùm, inter cæteras, hanc quoque Lutheri propositionem proscripsit: "Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non seriò, sed jocò absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus:" et deindè expressè damnatus à concilio Tridentino, cum "cit. sess. 7." tum "sess. 14. cap. 6. et can. 9. de Sacrament. Pœnitent."

V. Nec quemquam movere debet, quod Socrates "lib. 1. Inst. Eccles. cap. 15." Sozomenus "lib. 2. cap. 17." aliique ex Rufino scribunt de Alexandro Patriarcha Alexandrino; ei nempè, aliisque Episcopis

ad concilium congregatis, ratum visum fuisse, ac validum baptisma, ab Athanasio nondùm ex puerili ætate emerso, cum sociis ludente, collatum. Primò enim, utì nos animadvertimus "Instit. 8." multi auctores factum illud non modò revocant in dubium, sed planè inficiantur: quoniam, si Hieronymi Chronico fidem adhibeamus, Alexander ad sedem Alexandrinam non est evectus ante annum 321. et Athanasius, eodem Sozomeno referente, anno 325. concilio Nicæno, jam diaconus, interfuit, atque insequenti anno, Alexandro vitâ functo successit; quocirca explicari non potest, quomodo puer luserit, ecclesiam Alexandrinam regente Alexandro: et quamvis Alexandrum anno 313. episcopum inauguratum dicamus, utì tradunt Pagius "ad ann. 311. num. 26." et patres Mauro-Benedictini "in Vit. Athanas. tom. 1. Oper. part. 1. pag. 3." tunc tamen Athanasium suæ ætatis annum duodevigesimum egisse oportuit, quoniam annorum saltem triginta prædicto anno 526. Alexandrinum Episcopum eumdem renuntiatum ferè communiter eruditi consentiunt: nunquàm enim ei ab Arianis objectum legimus, quòd junior episcopatum arripuisset, ut de Paulino, Hieronymi fratre, narratur: ætas verò duodeviginti annorum ab illis puerilibus nugis jam abhorret, quibus Socrates, et Sozomenus Athanasium distentum scribunt. Deindè, etsi res ita se habuerit, nihil tamen exindè ad adstruendum hæreticorum errorem conficitur, Athanasium quippè, non irrisoriè, sed seriò baptisma contulisse eo ritu, quem ab Alexandro Episcopo adhiberi viderat, ex eo colligitur, quod iidem historici narrant, eum scilicet non omnes promiscuè socios, sed solùm catechumenos baptizasse: cùm autem Athanasium tunc lusisse iidem asserunt, nihil aliud sibi voluisse videntur, quàm eumdem, in re seriò peracta, oblectamentum animi, tamquàm extrinsecum finem, sibi proposuisse.

VI. Verùm, quamquam apud catholicos certissimum sit, in sacramenti ministro aliquam intentionem requiri, saltem faciendi quod facit Ecclesia: valdè tamen inter eosdem disputatur de hujus intentionis objecto, seu quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessariam fatentur. Ambrosius Catharinus, è Dominicanorum familia, Episcopus Minorensis, et postea Archiepiscopus Compsanus "in opusc. de Intentione Ministri" contendit, ad sacramentum validè

administrandum, satis esse, ut minister intentionem habeat seriò perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur; atque ideò, etiamsi suam intentionem retineat, aut interiùs dicat, se nolle facere, quod facit Ecclesia, dummodò exteriùs seriò agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodat, ratum, perfectumque sacramentum ab eo perfici, Catharinus propugnat. Catharino præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Paludanus, Sylvester; eumque postea sunt sectati Salmeron "lib. 1. comment. in epist. D. Pauli 3. part. disp. 2." Joannes Marius Scribonius "in Summ. theolog. de Sacràm. in genere quæst. 6. et 7." Vincentius Contensonius "in suo tract. de Sacram. in genere," Hyacinthus Serry "in Vind. Catharin." Natalis Alexander, Gaspar Juenin, aliique recentiores.

VII. Hæc tamen opinio visa est aliis coincidere cum Lutheri, et Calvini doctrina, à concilio Tridentino expressè damnata; ac propterea non dubitarunt hæresis notam eidem inurere. Verùm hujusmodi censores concilii Tridentini historiæ se prorsùs jejunos ostendunt: etenim sessio septima, ubi primò impium hæreticorum dogma anathemate confossum fuit, habita est die 3. Maji 1547. et laudatum Catharini opusculum, Romæ typis impressum prodiit anno 1552. quin opusculi auctor, ea occasione, in aliquam erroris suspicionem venerit: quapropter Cardinalis Pallavicinus, cui Tridentini canones, et decreta, eorumque genuinus sensus, ignota profectò non erant, "in ejusdem Concilii historia lib. 9. cap. 6. num. 2." loquens de sententia à Catharino in eodem concilio propugnata, hæc habet: "Equidem existimo, Catharini sententiam falsam esse, sed non ideò per Tridentinos canones disertè damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare, eam concilio non contradicere:" et "lib. 12. cap. 10." exponens decreta pœnitentiæ sacramentum spectantia, à concilii Patribus formata, "num. 34." ait: "Ex hisce postremis verbis conjicere potest quisquis ea legerit, haud esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque theologorum, opinantium, sacramento, quo ratum sit, sufficere in ministro voluntatem seriò agendi, et obesse tantummodò jocum, quem Sacramentum suscipiens cognoscere possit."

VIII. Quamobrem melioris judicii theologi, Catharini opinionem ab hæresis censura vindicant, latumque

inter illam, ac Lutheri, et Calvini doctrinam, discrimen intercedere demonstrant, præsertim Vasquez "in 3. part. tom. 2. disput. 138. cap. 2. et 3." Cardinalis de Lugo "de Sacrament. disput. 8. sect. 2. num. 15." Natalis Alexander "Theolog. dogmat. et moral. tom. 1. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. artic. 3. regul. 1." Juenin "de Sacram. dissert. 1. quæst. 5. cap. 2. art. 3. §. 1." Quin imò Marcus Antonius de Dominis "lib. 5. de republic. eccles. cap. 12. § 12. et 13." ubi perversum hæreticorum errorem adstruit, Catharinum à sua sententia prorsùs alienum agnoscit, et fatetur. Negari tamen haud potest, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. à quo die 7. Decembris 1690. hæc inter alias propositio damnata fuit: "Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia." Sed nihilominùs à damnationis telo illam defendere conantur Juenin "cit. loc." Serry "in cit. Vindiciis pag. 109." Auctor. "Oper. de re Sacrament. pag. 113.," aliique, confixam propositionem intelligendam rati, cùm ritus externus aut non seriò, sed jocò, et mimicè peragitur, aut ab illo exercetur, qui aliundè, hoc est ab aliqua exteriori circumstantia, putà à sacramenti postulatione, non determinatur ad agendum nomine Ecclesiæ, seu tanquàm Ecclesiæ minister: ultrò enim admittit Juenin, non validè baptizare, qui à nemine postulatus domi infantem abluit cum expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione, si intrà se deliberet id, quod fert propositio damnata: "non intendo facere, quod facit Ecclesia."

IX. Verùm, ut ut hæc res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit expressa apostolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur communior sit sententia exigens in ministro intentionem vel actualem, vel virtualem, faciendi non solùm ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, et hæc, veluti tutior, sit omninò servanda in praxi: non est tamen Episcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, etiam theoreticè tuendam, suos diœcesanos adigere: causas quippè majores, difficilioresque quæstiones, fidem, aut disciplinam spectantes, ad apostolicam Sedem deferendas, statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo, ab Innocentio III. "in Cap. Ma-

jores de Baptismo" confirmata. Quare, si constet, quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retentâ, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterùm sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis apostolicæ oraculum erit exquirendum, quemadmodum ad Severum Scholasticum Constantinopolitanum faciendum scripsit Ferrandus, Ecclesiæ Carthaginensis diaconus, in difficili quæstione, quâ tunc Ecclesia fatigabatur, doctis, indoctisque in varias partes scissis, inquiens: "Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter apostolicæ Sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, et fulcitur munimine auctoritatis: tom. 9. Biblioth. Patrum pag. 509." Quod semel monitum volumus, ut regula sit etiam pro aliis controversiis, quas mox commemorabimus.

No. 3.

DE BAPTISMO JUDÆORUM, SIVE INFANTIUM, SIVE ADULTORUM.

Extractum ex epistola Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Tarsensem.

Bullarii tom. II. N. 28.

(Spectat ad N. 22. de Baptismo, Tom. 5.)

De baptismo Judæorum, tum infantium, tum adultorum exstat eruditissima Benedicti XIV. epistola ad Archiepiscopum Tarsensem Vicesgerentem in Urbe, de die 28. febr. 1747, in qua singula illùc spectantia luculenter exponit: et quidem

§§. 4, 5 et 6. Cum S. Thoma contra Scotum asserit nefas esse infantes hebræos baptizare, invitis parentibus.

Sec. 7. Excipit infantes bello captos.

Sec. 8. Excipit in articulo mortis constitutos, his verbis:

"Cùm eveniet, ut ab aliquo Christiano Hebræorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam is efficiet qui salutem puero aqua lustrali præbet immortalem." Confirmat id duobus decretis Congregationis sancti Officii, quorum unum de Judæorum, alterum de quorumcumque infidelium infantibus ita statuit.

Sec. 9. sic ait: "Si eveniret, ut puer aliquis hebræus projectus esset, atque à parentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribusque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam repetentibusque parentibus." Rationem verò dat hanc, "quod planè constet patriam potestatem tunc certè amitti, cum filius derelinquitur projiciturque.

Sec. 14. Aliquas declarationes addit, quarum prima est: "Si parentes desint, infantes verò alicujus hebræi tutelæ commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licitè baptizari nullo modo posse, cùm omnis parentum potestas ad tutores pervenerit."

Sec. 15. Secunda est: "Si pater christianæ militiæ nomen daret, juberetque infantem filium baptizari, eum quidem vel matre hebræa dissentiente baptizandum esse, cùm filius non sub matris, sed patris potestate sit habendus.

Sec. 16. Tertia est: "Quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat, et infantem offerat baptizandum, tametsi pater hebræus reclamet, eum nihilominùs aquâ baptismatis abluendum esse."

Sec. 17. Quarta est: "Si avus paternus catholicam fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis, mortuo jam patre, mater hebræa repugnet, tamen infans est absque dubio baptizandus."

"(Nota." In litteris diei 15. decembris 1751. (Bull. tom. 3. N.° 54.) insuper decernit admittendum esse ad baptismum infantem hebræum, postulante aviâ paternâ christianâ, licèt reclamet mater hebræa defuncto marito, et tutores testamentarii.)

Sec. 22. Sic ait Pontifex: "Omnibus hæc opinio insedisse videtur, baptismum conferre nefas esse, cùm dubitari prudenter possit id futurum, ut baptizatus tractu temporis à catholica religione desciscat: quod quidem experientia docet plerumque iis infantibus evenire, qui à parentibus infidelibus oblati ut ab infirmitate aliqua baptismo liberentur, postea verò in eorum educationem ac potestatem revertuntur."

Sec. 23. Refert Congregationem S. Officii, interrogatam ab Episcopo Quebec. in America, nùm liceret baptizare filios barbarorem illius regionis à parentibus oblatos, qui tamen, ubi adoleverant, solebant perverti, respondisse: "Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi. Licere verò, si sint filii barbarorum baptizatorum; curandum tamen per missionarios, ac per ipsosmet eorum parentes, ut cùm ad annos discretionis pervenerint, à se vel ab aliis instruantur, præsertim in illis regionibus, si non prævideatur in promptu adfuturos ministros evangelicòs qui in hoc parentum commodè supplere possint defectum."

("Nota." Huc quoque spectat §. octavus bullæ "Inter omnigenas." Vide append. ad tract. "de Virtutibus N°. 2.")

§. 26. et seq. Docet baptismum invitis parentibus, hebræis infantibus impertitum, quamquam illicitum, validum tamen esse.

§. 32. De baptismo Judæorum "adultorum" agere incipit, et statuit hebræum septennio completo sui compotem et quodammodo adultum censendum esse, quod confirmat resolutione S. Congregationis Concilii, quæ die 16. julii 1639. respondit "filios Judæorum non esse" invitis parentibus "baptizandos donec perveniant ad ætatem legitimam; et tunc, si ipsi consentiant: ætatem verò legitimam regulariter censeri completo septennio." Notat vocem "regulariter" animadvertendam esse, cùm possit contingere ut quis, etiam non completo septennio, sufficienti sit præditus ratione, ideòque baptizandus, invitis licèt reluctantibusque parentibus.

§§. 33, 34 et 35. Si de perfecto rationis usu dubitaretur et baptismum implorantis capacitas anceps ac incerta esset, monet Pontifex sacramentum esse differendum, et postulantem retinendum esse, ac sic interea

informandum ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

Sec. 36. Cum S. Thoma docet parentum consensum omninò necessarium non esse, pro iis qui aut in adolescentia aut ætate etiam maturiori baptismum postulant.

Sec. 43. Docet baptisma non esse validum in adulto palam ac liberè dissentiente, sed necessariam esse illud suscipiendi intentionem.

Sec. 46. "Si quis baptismum accipiens," ait Pontifex, "præsenti voluntate careat, quam aliàs tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrùm voluntas antecedens nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certè validum sacramentum."

Sec. 48. Cum Soto, contrà Card. Cajetanum, docet invalidum esse baptismum, si indifferenti prorsùs animo nec abnuenti nec assentienti, seu "*neutrâ*" voluntate suscipiatur.

Sec. 49. Quoad baptismum, violenter atque animo palàm contrario susceptum, judicat distinctione esse utendum cum Innocentio III. cap. "majores, de Baptismo." Scilicet si minis ac terrore correptæ violentiæ cedant, baptismum ut sibi consulant, suscipientes, validè; si verò iis palàm contradicentibus et reluctantibus hoc sacramentum per vim conferatur, iuvalidè baptizantur.

Sec. 50. Monet cavendum, ne, si post baptismum quis neget se intentionem sufficientem habuisse, inconsultò fides eidem illicò habeatur.

Sec. 51. Sic ait: "Quòd si nulla sit dubitatio planèque constet ac luce clariùs, adulto baptismum accipienti nullam prorsùs fuisse voluntatem aut intentionem, nil restat aliud, quàm eumdem et hortari et admonere ut ritè id faciat, quod jam irritè fecit et suscipiat absolutè ac liberè sacramentum; ac si obstinatè repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur."

"Si autem res in dubio sit nec intelligi possit an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit necne, adultus tum retinendus baptizandusque sub conditione."

Sec. 52. "Hi porrò ita baptizati tenentur omninò fidem catholicam observare, eorum instar, qui minis ac terrore adducti, suscipiendo baptismati assensum liberè præbuerunt."

Hæc omnia latiùs probat et discutit Pontifex in prælaudata epistola; cætera autem, quæ ulteriùs statuit, cùm in Belgio vix possint usuvenire, brevitatis causâ hìc omittuntur.

No. 4.

AN BAPTIZARI POSSINT INFANTES IN UTERO MATERNO.

(Spectant ad N. 23. de Baptismo. Tom. V.)

Hanc quæstionem fusè pertractat Benedictus XIV. de synodo lib. VII. cap. 5. N. 2. et seq., ubi statuit: Primo. " Certum esse infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aquâ perfundi queat, baptizari non posse, nec ei quidquam prodesse, quod nonnulli hæretici olim sunt arbitrati, si ejus loco, matris corpus abluatur, quemadmodùm, " lib. 6." contra Julianum, " cap. 14." disertè tradit Augustinus."

Secundò controversiam expedit: " An, reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, validè baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nullâ suî parte in lucem prodierit, aquâ nihilominùs, saltem per siphunculum tingi possit." Atque explicatis variis hac de re opinionibus, indicatisque præcipuis, quibus nixæ sunt, argumentis, concludit: " Ultimum hujus controversiæ judicium, à Sede apostolica esse proferendum, ac tutius esse, ut Episcopus illud expectet, nec quidquam interim suis constitutionibus inserat, quo implexæ istius quæstionis decisionem sibi arrogasse videatur. Ad parochos verò pertinere obstetrices instruere, ut cùm casus evenerit, in quo infantem, nullâ adhuc suî parte editum, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter

erit iterùm baptizandus, si periculum evadat, et foras prodeat."

Tertiò. De infante agit qui aliquam suî partem ex utero emisit, ac statuto, esse baptizandum, nec iterandum deindè baptismum, si caput emerserit; ad alias partes quod attinet, ita habet. "Cùm itaque hæc controversia hactenùs indecisa remaneat, utì scitè animadvertit Cardinalis de Rohan in suo rituali Argentinensi, "ad tit." de Bapt. Sec. 5. inquiens: "Utrum ratus sit baptismus, non in capite, sed in aliqua alia corporis parte, collatus, multi non immeritò dubitant:" idcircò cavere debet Episcopus, ne in suâ synodo aliquid quoad eam decernat, sed id solum curabit, ut parochi, cæterique, quorum interest, illud exactè exequantur, quod in Romano rituali præscribitur, sicuti optimè animadvertit citatus Gibertus, "in Consult. canonic. de Sacramento Baptismi, Consult. 22." ubi Synodos affert, rituali Romano conformes, ejusque vestigiis inhærentes."

No. 5.

EDICTUM EPISCOPI AGRIGENTINI DE MULIERIBUS GRAVIDIS ET MORIBUNDIS.

(Spectat ad N. 24. de Baptismo, Tom. V.)

Nos D. LAURENTIUS JŒNIUS AB ARAGONIA, "è ducibus Andegavensibus, Dei et apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Agrigentinus, Pontificii Solii assistens, regius Consiliarius, etc."

Deplorabilis quidem est calamitas illa quòd, prægnantibus mortuis, nullâ, ùt plurimùm curâ propinqui pre-

muntur, ut illæ juxta "Romani ritualis" præscriptum,(1) incidantur, ac ita parvuli saltem baptismate donentur. Quod frequntiùs accidit in gravitatibus occultis et illegitimis, in quibus matres ipsæ abortum sæpè moliuntur. Necessarium ergo duximus, parochorum zelum hoc edicto, perpetuò valituro, esse incitandum, ac sequentium regularum usum esse statuendum.

I. Præcipimus ergo, ut, si quæ prægnans in mortis periculo versetur, ejus domestici, ipsiusque ac fœtûs propinqui statim id parocho significent; quodsi illi negligerent, idem onus notitiæ deferendæ, sub gravi culpa, etiam extraneis, ejus rei consciis, incumbat: cùm omnes, juxta Possevinum, (2) non minùs, quàm parochus ipse, in extrema illa necessitate infantulo succurrere teneantur. Si verò supradicti propinqui atque domestici suo muneri desint, ac puerulus propterea sine baptismo perierit, omnes ipso facto majorem excommunicationem incurrant.

II. Parochis ipsis præcipimus, ut conjunctis non fidentes, de quibus scriptum est: "Inimici hominis domestici ejus;" attentè semper atque sollicitè investigent, utrùm fœminæ conjugatæ, quæ viaticum accepturæ sunt, vel pœnitentiâ in morbis gravibus expiandæ, utero gerant, dicente Mussartio in manuali parochorum cum Gobato: (3) Tibi, paroche, ex singulari causa incumbet." Hæc autem inquisitio multò magis facienda est, ubi suspicio, seu justus timor habetur occultæ graviditatis; veluti, exempli gratiâ, si mulier non conjugata, presertim juvencula, carnalia delicta confiteatur: tunc enim interroganda, atque ubi graviditatem fateatur, obliganda erit ad rem extra confessionem detegendam, ut in casu mortis, infantis perditioni possit occurri, quæ cuicumque matris infamiæ præponderat: adeò, ut si fortè ipsa recuset, juxta theologorum doctrinam absolvi non possit. Profectò Pontas et Sylvius ita expressè monuêre: (4) "Si contumaciter filia persistat, nolitque ulli extra confessionem aperire, deneget ipsi absolutionem, tamquàm eâ indignæ pror-

(1) Ritual. Roman. de Bapt. Parvul. tit. 7. n. 3.
(2) Possev. de Off. Curat. c. 6. n. 10.
(3) Mussart. Manual. Parch. p. 2. c. 2. n. 2. Gobat. tract. 2. bapt. cas. 8. n. 260.
(4) Pontas Diction. cas. cons. t. 1. conf. 2. casu 10. Sylvius Resolut. variar. v. sigillum 1. Decembris 1641.

sùs et indispositæ; cùm nolit hoc facere, ad quod sub reatu peccati mortalis obligatur."

III. Præterea iisdem parochis mandamus, ut, antèquàm infirma prægnans moriatur, eam visitent, ejusque conjunctos, aliosque domesticos ad partum "cæsareum," ipsâ scilicet mortuâ, peragendum hortentur, illosque præmoneant ea, quæ, ut omnia feliciter succedant, necessaria existimantur. Quoniam verò, si parochus præsentiâ suâ rem non urgeat, grave periculum subest, ne omittatur incisio, vel saltem tardè fiat et incassùm, eisdem parochis præcipimus, ut ad fidem usque operationis, adstantes cum omni solertia et sollicitudine perseverent.

IV. Curabunt etiam diligenter, ut maturè chirurgus advocetur et assistat, quousque prægnans expiraverit. Verùm, si chirurgus habêri non possit, ejus officium suppleat barbitonsor, vel obstetrix, qui, physico partem secandam præsignante, saltem novaculâ incisionem perficient: curabunt quoque non solùm, ut plures in suis parochiis peritiam hujus operationis acquirant; sed ut etiam ipsimet aliqua circa secandi modum notitiâ erudiantur: Neque deindè religioni sibi ducant, quò minùs per semetipsos "cæsaream" incisionem, omnibus aliis deficientibus, exequantur; ne pueri scilicet anima, divino sanguine redempta, infortunium subeat perditionis æternæ: "Cùm non rarò contingat, ait Van Espen, (1) nullum in parochia inveniri, aut saltem hìc et nunc haberi posse, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum, et extrahendi infantem habeat, oportet, ut ipsimet pastores, præcipuè rurales, hujus rei aliquam notitiam à perito aliquo accipiant, quâ subindè, cogente necessitate, uti possint." Id etiam sapienter in diœcesi "Catanensi" præscriptum est: (2) imò doctrina, quam tradidit Gobatus, eosdem severioribus loquendi formulis ad hoc ipsum adstringit. (3) Quamvis autem conjuncti, vel hæredes perito secandi mercedem debeant; attamen nequibit hic sectionem omittere ob illam denegatam. Pro pauperibus verò, eam gratìs ministrare tenetur; imò sub

(1) Van Esp. p. 2. tit. 2. cap. 4. n. 25.
(2) Edict. Cal. Junii 1741.
(3) Gobat. tract. 2. cas. 5. n. 195. et seq. et cas. 7. n. 237.

gravissima culpa sponte se ipsum offerre, etsi non vocatus, tum divitibus, tum pauperibus, etiam in solo dubio, an fœtus vivat: Quod cum Theophilo Raynaudo Gobatus quoque adnotavit. (1)

V. Matre defunctâ, se de morte certiores reddent, ad ipsius labia filum lini, aut lanæ, vel lumen parvæ candelæ admoventes, quibus perspiciant, utrùm, quæ mortua creditur, talis reverà sit, an motu indicium præbeat respirationis. Deinde os illi arundineâ fistulâ, et absque nodis antea præparatâ, ipsique imposita, detineatur apertum, juxta Coloniensis synodi an. 1528. et Cameracensis an. 1550. decreta: Non quasi necessarium credamus hoc ad infantis respirationem; sed ut ventrem aër frigidior et nitidior, indè etiam utero communicandus, introëat; et ut è maternis visceribus exhalent cadaverica effluvia, quæ infanti exiguum illum vitæ spiritum, qui durat adhuc, extinguere possent: etenim, quando mater expirat, fœtus in extremo ferè mortis agone versatur: quamobrem supervivere non solet, nisi per horam, vel horæ dimidium, nec raró etiam valde minùs. Alia quoque cautio juxta Raynaudum creditur expedire; uteri videlicet regio fovenda erit pannis ad ignem calefactis. (2)

VI. Itaque mandamus, operationem post mortem prægnantis quamprimùm esse faciendam; at, si non modicum tempus elapsum sit, nihilominus incisionem jubemus non omitti: neque unquam parochus fidet medicis et chirurgis, infantem mortuum esse testantibus; quamvis etiam eum genetrici præmortuum asseverent: Si enim jura (3) maritum vivum semper præsumunt, etsi nimis diuturna fuerit ejus absentia; et secundas prohibent uxori nuptias; quantò magis vivi præsumendi sunt infantuli, ut eis baptismum conferre studeamus? Præsertim quia non raró divina Providentia, quæ illos ab æterna morte per baptismum liberare contendit, eosdem, contra omnium physicarum rationum apparentia argumenta, custodit incolumes. Willelmus Fabritius, medicus Germanus, (4) fa-

(1) Theoph. Raynaud. t. 14. de ortu Infant. per sect. Cæsar. c. 6. n. 22. et 23. Gobat. Append. 3. ad tract. 2. Bapt. n. 24.
(2) Theophil. Raynaud. dict. tract.
(3) Cap. in præsentia de Sponsal.
(4) Willelmus Fabritius Hildan. fol. 1750.

tetur, se in hoc negotio cum obstetricibus aliisque post exactissimas investigationes fuisse deceptum; et nostris hisce diebus duo infantuli, quamvìs sine arundineæ fistulæ adminiculo, unus post viginti tres horas, alius post viginti quatuor, à matris indubitata morte defluxas, vivi inventi sunt: præterquam quòd, cùm sectio adhibetur, nihil omninò amittimus; imò verò exoptatum finem plenè consequi possumus; utì et citatus Fabritius et Gobatus (1) admonuerunt; Quocircà "præstat," ait ille, "ut potiùs centies secuntur, etsi irrito eventu, matres mortuæ, quàm ut eis parcendo, negligatur vita unius unici infantis."

VII. Abdomen linea simplici longitudinali, non verò ad crucis figuram duplici, secanda est: ut, si fortè prægnans defuncta non sit, faciliùs deinde sanari possit. Chirurgus autem investigabit, utrùm unus reverà sit infans, an duo, vel plures: fortè namque erunt multi, ùt pluribus exemplis notavit Raynaudus; (2) maximè cùm possibiles censendæ sint superfœtationes.

VIII. In dubio, an vivat formatus infans, imponatur subitò ejus capiti manus, et, si pulsatio arteriarum percipitur, illicò et absolutè baptizetur. Fœtus verò incompletus, quantumcunque parvus, et malè figuratus, dummodò motum ostendat, sub conditione baptizabitur: Nam, utì La Croix animadvertit, (3) "auctores gravissimi cum Cardenas 'in sua Crisi, disputatione decimâ quartâ, rectè dicunt, omnes fœtus abortivos mulierum, etiam imperfectissimè figuratos, esse, conditione scilicet saltem adjectâ, baptizandos, si dent aliquod signum vitæ per motum; quia putant aliqui medici, quòd fœtus humani post paucos, v. g. tres vel quatuor dies à conceptione, statim animentur animâ rationali."

IX. Si quis defunctæ sectioni, licèt consanguineus, maritus, vel affinis, obstaret; aut peritus eam exequi renueret, etiam in casu, quo mercedis nulla spes esset; ipso jure, secutâ infantis morte sine baptismate, majorem excommunicationem incurrat. Verùm parochus, præterquàm quòd illis hoc præceptum atque censuram antè denunciabit, infantis discrimen ad Episcopum

(1) Gobat. in Append. 3. ad tract. 2. Bapt. n. 30.
(2) Raynaud. de ortu Infant. per sect. Cæsar. c. 10. n. 14.
(3) La Croix l. 6. p. 1. de Bapt. dub. 4. n. 294.

deferet: imò ad magistratus ipsos laïcos, qui omnino ad concedendum brachium suum auxiliare tenentur, quo defunctæ propinqui compellantur; cùm ipsæ paganorum leges, tanquàm in homicidas, animadvertant in eos, qui gravidam, neglectâ incisione, sepeliunt. Ita lex secunda D. D. de mortuo inferendo: "Negat lex regia, mulierem, quæ mortua sit, humari, antequàm partus ei excidatur. Qui contrà fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur." Quantò magis ergo apud christianos; cùm apud eos non de sola corporali infantis vita, sed etiam de spirituali eidem tribuenda per baptismum agatur? Quod si quis hujusmodi puer absque baptismo fortè perierit, parochus, utì doctores monent (1) rogatis testibus de adhibita à se omni diligentia, semper ad nos eventum, sub pœna suspensionis ipso facto, denunciet: in civitate quidem, infra trium dierum terminum: octo verò, in diœcesi; ut eos, qui officio suo defuerunt, pœnis canonicis puniamus. Et quamvis in occultis graviditatibus omnis, quantùm fieri potest, circumspectio, quam suggeret christiana prudentia, in usum venire debeat; nihilominùs nunquam æterna infantis perditio erit permittenda.

X. Insuper, ad abortus eliminandos, præcipimus, omnes, etiam extraneos, qui sciant prægnantem aliquam abortum tentare, vel alios ejusdem abortum procurare medicaminibus, vel sine illis; aut etiam ponderibus, vel alio quocumque excogitabili medio, ubi aliter ipsi delictum impedire non valeant; saltem teneri ad rem parocho citiùs aperiendam, si pœnam excommunicationis majoris ipso facto, abortu secuto, subeundam vitare cupiunt.

XI. Parochi declarabunt, voluntarium abortum inter immania crimina computari; imò ubi fœtus est animatus, esse verum ac proditorium homicidium, et immunitate ecclesiastica indignum: scelus denique omnium, quæ contra proximum patrari possunt, præsertim à matre, horrendissimum; cùm illum vitâ privet corporali simul et æternâ. Ulteriùs, ex bulla Sixti V. et Gregorii

(1) Gobat. d. tract. 2. c. 8. n. 260. et seq.
Mussart. Manual. Paroch. p. 2. c. 2.
Possevin. de offic. Curat. c. 6. n. 10.

XIV., (1) abortum hujusmodi procurantes, aut quoquomodo (2) ad eum coöperantes, ipso facto in excommunicationem majorem incidere, primò Papæ, deinde Episcopis reservatam: quodsi illi ecclesiastici sint, in perpetuum beneficiis omnibus acquisitis et acquirendis esse privatos, imò degradationis reos constitui; quâ factâ, brachio sæculari tradendi sint, ac morte plectendi. His addent, veterem Ecclesiæ disciplinam mulierem impudicam, quæ deinde abortum procuraverat, ad pœnitentiam publicam et perpetuam compulisse; imò mandasse, eam non nisi in articulo mortis absolvi: concilium sanè Ancyranum (3) rigorem hunc mitigasse, decem annorum pœnitentiâ contentum; verùm concilium Eliberitanum, paulò post celebratum, (4) prohibuisse, adulteram, abortum procurantem, etiam in hora mortis reconciliari, ejus salutem soli contritionis efficaciæ, ac divinæ, misericordiæ committens: quam severitatem neque contra ipsos hæreticos, magos et apostatas adhibemus.

XII. Ex adverso iidem parochi docebunt, sensum esse gravissimorum auctorum, matres in partu difficili, ubi parvulus certò periturus esset in utero sine baptismo, tenêri, non solùm ad sufferendam speculi matricis operationem; sed et ipsum Cæsareæ incisionis dolorem, etsi cum aliquo propriæ mortis, dummodò non quasi certæ, periculo; ut integro penè tractatu probavit Raynaudus; Neque negligent, ubi vota sua consequi se posse sperabunt, eas ad excelsum istum charitatis actum hortari.

XIII. Demùm, præsens edictum, singulis annis in missa parochiali diei sanctorum Innocentium, statuimus esse legendum; quo etiam die animarum pastores contra execrandum eorum scelus, qui infantulos nonnatos cum matribus defunctis perire sinunt, vel abortum procurant, declamabunt: Cujus quidem lectionis edicti, habitæque concionis documentum, à se subscriptum, et in diœcesi à vicario etiam locali, et in ejus defectu, à presbytero seniore, sub mulcta decem aureorum,

(1) Sixtus V. Constit. 87. Effrænatam.
Gregor. XIV. Constit. 8. Sedes.
(2) Auxilio vel consilio.
(3) Concil. Ancyran. sub S. Melcehiade Papa Can. 21.
(4) Concil. Eliberit. sub S. Sylvestro Can. 62.

quotannis ad nos infra mensem dirigere tenebuntur; et insuper ardenti zelo et charitate, eorum, quæ hìc statuuntur, executioni invigilabunt. Verùm, si id alicui nimis grave onus videatur, per aurea sapientissimi auctoris Manualis parochorum verba respondemus: (1) "Multa, inquies, mandas: verum est; sed tanti est, infanti periclitanti parochum non defuisse." Datum Agrigenti tertio calendas Aug. 1744.

LAURENTIUS,

EPISCOPUS AGRIGENTINUS.

Jussu Domini mei Episcopi Agrigentini.

D. DIDACUS MODICA, cancellarius.

No. 6.

DE FORMA CONDITIONATA BAPTISMATIS, ALTERIUSVE SACRAMENTI CHARACTEREM IMPRIMENTIS.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII., cap. 6.

(Spectant ad N. 34, 35 et 36. de Baptismo, Tom. V.)

I..........."Formam conditionatam" à Scholasticis esse adinventam, et in Ecclesiam invectam, plerique viri eruditi existimarunt; sed eos toto cœlo aberrasse ait Martene "de antiquis Eccles. ritib. tom. 1. lib.

(1) Manual. Paroch. loco citato.

1. cap. 1. art. 16. num. 10." Siquidem, longè ante Scholasticos, S. Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, in suis statutis, circa annum 745. conditis, et "tom. 1. Spicilegii" à Luca Dacherio editis, "cap. 28." hæc habet: "Si de aliquibus dubium sit, utrùm sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmissis: non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo." Idemque, ac totidem ferè verbis, statutum legimus "Capitular. lib. 6. cap. 184." apud Balusium "tom. 1. pag. 954," è quibus idem decretum excerpsit, ac suæ Canonum collectioni "sub tit. 11. cap. 17." inseruit Isaac Episcopus Lingonensis, apud Harduinum "Collect. Concil. tom. 5. col. 447." Licèt porrò, ante seculum VIII. prædictæ conditionatæ formulæ expressam mentionem in Conciliis, et Patribus non inveniamus, quemadmodum, præter laudatum Martene, observarunt Juenin "de Sacram. dissert. 1. quæst. 3. cap. 5. art. 1." et Tournely "prælect. tom. 6. de Sacram. in genere, quæst. 1. art. 4. conclus. 2." non rectè tamen indè intulit Natalis Alexander "hist. Eccles. secul IV. cap. 4. art. 12." illam non fuisse in usu: quin imò ex antiqua, et constanti Ecclesiæ praxi oppositum colligi, putamus: quod hâc ratiocinatione ostendimus. Perpetuum catholicæ fidei dogma fuit, unicum esse baptisma, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. "Unus Dominus, una fides, unum baptisma:" quod propterea semel ritè collatum, sine gravi piaculo iterari posse, semper Ecclesia negavit, utì constat "ex can. 47. Apostolor." juxta versionem Dionysii, "ex can. 3. concilii Valentini anni 374. et "ex can. 38." concilii Carthaginensis III. anni 397, quibus in locis temerè rebaptizantes gravibus subduntur pœnis, et ecclesiasticâ communione privantur. At eadem Ecclesia, quæ ita docuit, eos nihilominùs, de quibus dubitabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos præcepit; quod innumeris testimoniis comprobatur. Seculo III. disputatum fuit de baptismo Clinicorum, num scilicet validum esset baptisma per aspersionem datum ægrotis in lecto decumbentibus: consulitur Cyprianus: respondet sanctus Doctor "epist. 76. ad Magnum," validum quidem sibi illud videri; iis autem, qui dubitabant, auctorem se esse, ut illud iterùm conferrent: "Si aliquis existimat" (ait Cyprianus) "eos nihil consequutos, eo

quod aquâ salutari tantùm perfusi sunt, sed inanes et vacui sunt, non decipiantur, ut, si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur." Seculo V. à legatis Maurorum interrogantur Patres concilii Carthagenensis V. (aliis VI.) anni 401. quid agendum foret de pueris, qui an baptizati essent, nemo certò sciret: ad quod responderunt Patres "can. 6." Collectionis Harduini "tom. 1. col. 987. Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui, eos baptizatos esse, sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari:" eumdemque canonem renovarunt Synodus Africana anni 401. et alia Synodus Carthaginensis sub Bonifacio Episcopo anno 525. Idem ad Rusticum Narbonensem Episcopum, atque iterùm ad Neonam Episcopum Ravennatem rescripsit Leo Magnus. Ad hæc autem præcedentium Conciliorum, et Patrum decreta allusit Gregorius II. cùm de eadem re interrogatus à Bonifacio Episcopo, "epist 2. num. 9. tom. 3." Collectionis Harduini "col. 1859," respondit: "De parvulis, qui à parentibus subtracti sunt, et an baptizati, an non, ignorant, quia interrogasti; hos ut baptizare debeas, secundùm Patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit." Jam verò, cùm ex his, aliisque similibus testimoniis, à laudato Martene prolatis, luculenter pateat, antiquum, atque ipsi Ecclesiæ coævum usum fuisse, eos baptizare, de quibus dubitabatur, num per regenerationis lavacrum ab originali culpa essent expiati; ne dicamus, Ecclesiam in eumdem incidisse rebaptizantium errorem, quem toties detestata erat, et damnaverat, necesse est existimare, non aliter in ea dubietate baptismum conferri voluisse, quàm sub tacita, et mente concepta conditione: "Si nondùm es legitimè baptizatus. Hæc autem conditio, quæ priùs mente tantùm concipiebatur, cœpit seculo VIII. in ipsa baptismi forma exprimi, et pronuntiari: quam quidem disciplinam, multis jam in locis receptam, Alexander III. seculo XII. non solùm approbavit, sed ubique servandam edixit "in cap 2. de Baptismo," inquiens:" De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed, si nondùm baptizatus es, ego te baptizo" etc., eamdemque sanctionem confirma-

vit Joannes XXII. apud Odoricum Raynaldum "ad annum 1333. num. 42."

II. Non ideò tamen, quòd per præfatam conditionem periculum evitetur rebaptizandi eum, qui jam semel fuerit legitimè baptizatus, est illa passim, et temerè adhibenda; sed tunc solùm eâ uti licebit, cùm prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit ritè baptizatus, nec, diligenti præmissâ indagatione, potuit rei veritas innotescere: quemadmodum scitè perpendit Sotus "in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 9. §. Circa hanc igitur solutionem," ubi à sacrilegio non excusat, neque ab irregularitate absolvit sacerdotem sub conditione rebaptizantem, quem scit domi baptizatum, et nihil est, quod collatum ei baptisma rationabiliter suspectum reddat. Quare minimè sectanda sunt exempla, quæ congresserunt Gobat "tom. 1. tract. 2. sect. 3." et Marin. "Theolog. tom. 3. tract. 19. disp. 1. sect. 8. n. 140." ubi plures sub conditione baptizatos narrant, qui ob merum scrupulum non tam dubitabant, quàm imprudenter suspicabantur, se non esse ritè baptizatos; quam quidem conditionatam sacramenti iterationem, ob consequutos, seu potiùs apprehensos effectus quietis conscientiarum, iidem auctores videntur approbare: sed potiùs aures præbendæ sunt Estio "in 4. dist. 4. §. 15." hæc ad rem adnotandi: "Sciendum est, non quamcumque levem in contrarium suspicionem, vel scrupulum debere sufficere ad hoc, ut sub conditione quis hoc pacto baptizetur: sed requiri dubitationem probabilem... Ea autem probabilis dubitatio est, quæ, factâ etiam diligenti indagine, discuti non potest, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat." Imò veriùs obtemperandum est catechismo Romano "part. 2. de sacram. Baptismi num. 57." ubi de forma conditionata ait: "Ea baptismi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantùm permittitur, de quibus, re diligenter perquisitâ, dubium relinquitur, an baptismum ritè susceperint: aliter verò nunquàm fas est, etiam cum adjunctione, baptismum alicui iterùm administrare."

III. Quæ hùcusque diximus, copiosiùs adhuc, et clariùs à nobis exposita, pluribusque sacræ Congregationis Concilii responsis confirmata fuère "in nostra Instit. 84." ubi non solùm ex ejusdem sacræ Congregationis sententia ostendimus, non esse baptismum, ne

sub conditione quidem, iterandum, cùm nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris baptismi validitate, sed etiam ab irregularitate iterantibus baptisma inflicta ab Alexandro III. " in Cap. Ex literarum, de apostatis, et reiterantibus baptisma," non eximi probavimus, qui, ob solum apprehensum prioris baptismi vitium, nullâque præmissâ veritatis indagatione, illud denuò sub conditione conferunt, quibus certò sciunt jam semel antea fuisse collatum: etenim, quamquam plures Doctores istiusmodi sub conditione rebaptizantes à gravi culpa, atque ab irregularitate absolvant, eò quòd per adjectam conditionem satis consultum existiment reverentiæ debitæ sacramento, ad quod conficiendum non aliter fertur intentio ministri, nisi si ritè confectum non fuerit aliud antea administratum; hæc tamen sententia rejicitur à catechismo Romano " cit. loc." ubi reprobantur asserentes, " nullum scelus admitti, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa" (videlicet conditionis) baptizent:" eidem opinioni refragatur auctoritas S. Caroli, in cujus instructionibus, " Actor. Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. pag. 497." hæc de forma conditionata habentur: " Quâ formâ utitur, cùm infans, aliusve, qui baptismo offertur, re diligenter perquisitâ, dubium relinquitur, aut certè non apparet, eum paptizatum esse, ut de expositis inventisque parvulis dubitari, atque ignorari sæpenumerò solet. Quòd si, re accuratè investigatâ, exploratum habuerit, illum, formâ servatâ, baptizatum esse, caveat omninò, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat; cùm sacrilegium committat, si contra fecerit, et illud impedimentum contrahat, quod sacri canones irregularitatem vocant.

IV. In alia itidem nostra " Instit. 8." hanc eamdem materiam tractantes, diximus cum Cardinali Albitio " de Inconstantia in fide cap. 33. à num. 14. usque ad 16." improbandas esse Synodos, in quibus generatim, atque indistinctè, iterùm sub conditione in ecclesia baptizari jubentur, quicumque privatim fuêre ab obstetricibus domi baptizati. De hisce Synodis, ac ritualibus idem decernentibus, agit Holzmann " in sua Theologia morali tom. 2. tract. 2. cap. 2. art. 2," qui, licèt eorumdem auctores hoc nomine excuset, quòd scilicet dubium illis visum fuerit baptisma ab obstetrice collatum, fatetur nihilominùs, minus cautè ac nimium indefinitè

eos loquutos; cum debuerint potiùs rerum circumstantias distinguere, easque determinare, quæ incertam reddunt validitatem collati baptismi, quem propterea tunc oporteat sub conditione iterari. Enimverò, si obstetrices de sacramenti materia, forma, et necessaria in ministro intentione, sint legitimè edoctæ, sicuti nos "in cit. Instit. 8." eas per parochos solerter edoceri jussimus, priusquam ad obstetricum officium exercendum admittantur, eæque in speciali eventu, quo baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem parocho interrogatæ, omnia ritè à se adhibita, testentur, quæ ad sacramentum validè conficiendum requiruntur; nulla sanè subest probabilis ratio, cur baptismus debeat, aut licitè possit sub conditioni repeti. Scimus utique, in aliis Synodis relatis à Giberto "cit. tom. 2. consult. Canonicar. consult. 16." cautum reperiri, ne plena fides habeatur solius obstetricis testimonio, nisi comprobetur assertione aliorum, qui baptismo præsentes fuerint. Verùm, quamquam ex plurium attestatione major profectò hauriatur rei gestæ certitudo, attamen sacri canones sufficienter probatam habent collationem baptismatis per unicum testem, præcipuè si is testificetur de facto proprio, hoc est, si affirmet, illud fuisse à se legitimè administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahat; utì disertè decernitur "in Can. 110. et 112. de Consecrat, dist. 4. et Cap. Nuper, de testibus," ubi Interpretes omnes.

V. Aliud est, cùm collati baptismi testimonium præbetur à persona incerta: etenim, cum juxta rescriptum imperatoris Hadriani ad Junium Rufinum, proconsulem Macedoniæ, relatum à Callistrato "in l. Testium 3. ff. de Testib. Testibus, non testimoniis," sit credendum. non debemus rem adeo gravem committere fidei personæ ignotæ, cujus qualitates utì Callistratus "in cit, leg." faciendum monet, explorare non possumus. Quare sacra Congregatio Concilii interrogata, an iterum baptizandi essent infantes, vulgò "expositi," ad hospitale S. Spiritûs in Saxia de Urbe delati, etiamsi habeant collo appensam schedulam attestantem, eos fuisse baptismate ablutos, die 15. Januarii 1724. respondit, esse denuò baptizandos sub conditione, nisi certa habeatur notitia personæ, à qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium baptismatis ritè eis-

dem collati: quod nos "in cit. nostra Instit. 8." animadvertimus, et videre est "in Thesauro Resol. tom. 2. pag. 412. et tom. 3. pag. 2."

VI. In eadem sententia fuerunt Patres concilii provincialis Tolosani, habiti à Cardinali Francisco de Joyosa an. 1590. in cujus "part. 2. cap. 2." decernitur: "Cùm projectis expositisque puerulis, licèt affixa reperiatur schedula, quæ eos baptizatos esse testetur in id tamen, an verum, fictumque sit, parochi diligenter inquirent; si certi nihil compererint in scripto chartulæ nomine, eos sub conditione baptizabunt: tom. 10." Collectionis Harduini "col. 1798." Cùmque minorem fidem collati baptismatis, quam schedula incerti auctoris, faciant alia signa exposito infanti apposita, putà sal; ideò rectissimè à Richardo Poor, Episcopo Sarum, cautum legitur: "Si verò pueros cum sale, vel sine sale expositos contingat inveniri, baptizentur," sub conditione tamen, ut statim ibidem explicatur: "tom. 2. Concilior. Britan." Henric. Spelman "pag. 143."

VII. Itaque, si Episcopus in sua Synodo loqui velit de sacramentorum forma conditionata, quod profectò nedum utile, sed quandoque etiam necessarium reputamus, omnia præ oculis habeat, quæ hactenùs enarravimus, atque, ad eorum normam, congruam formet instructionem, ad quam parochi, in illa adhibenda, se debeant conformare. Quòd si diœcesi præsit, in qua sæpe contingat, baptizatos ab hæreticis, ejuratâ hæresi, quâ erant imbuti, in Catholicæ Ecclesiæ gremium sese recipere, et dubitetur, uti alicubi dubitatum scimus, an ii iterum sint sub conditione baptizandi, antequam in re admodum sanè gravi et ardua quidquam decernat, diligenter investiget, oportet, num in illa hæreticorum secta, de qua agitur, aliquid innovatum fuerit circa baptismi materiam, et formam à Christo Domino institutas. Si enim utramque ab ejusdem sectæ pseudoministris ritè adhiberi deprehenderit, non potest permittere, ut baptismus ullo pacto iteretur, quin veniant in suspicionem erroris rebaptizantium, à S. Stephano I. atque, uti affirmat Augustinus "lib. 2. cap. 8. de Baptismo contra Donatistas, Oper. tom. 9. col. 103. à Concilio plenario" proscripti, sive ejusmodi concilium fuerit Arelatense I. sive magnum Nicænum, de quo litigant eruditi. Si autem certò compererit, aut baptizandi corpus ab illis non perfundi aquâ naturali,

aut formam pronuntiari sine expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, sive aliâ ratione, ab illa diversam, quam Christus instituit, baptismum absolutè renovari jubeat: ob non adhibitam quippe legitimam formam, canon. 8. concilii Laodecensi, "tom. 1." Collectionis Harduini "col. 781." rebaptizandos decrevit hæreticos Montanistas: et Gregorius Magnus "lib. 11. indict. 4. epist. 67. tom. 2. Oper. col. 1167." scribens ad Episcopos Hiberiæ, universim statuit: "Hi verò hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur...cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt." Hæc sapienter respexit Cardinalis de Rohan in suo rituali Argentinensi "ad tit. de Baptismo num. 6." cùm ait: "Baptizati ab iis hæreticis, qui rectam baptizandi formam non retinent, denuò absolutè baptizari debent." Quòd si denique, diligenti præmissâ perquisitione, rei veritatem certò assequi nequiverit, et dubia sibi atque incerta remaneat validitas baptismatis, ab hæretico ministro suscepti, illud utique erit sub conditione repetendum, quod "in cit. nostra Instit. 81." declaratum diximus à sacra Congregatione Concilii, quæ interrogata: "An, et in quibus casibus hæretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur:" die 27. Martii 1683. respondit, non esse rebaptizandos "nisi dubium adsit probabile invaliditatis baptismi."

VIII. Rationabiliter porrò Patribus Concilii provincialis Mechliniensis anni 1607. incertum saltem, et dubium visum est baptisma collatum ab hæreticis Hollandiæ, finitimarumque regionum, apud quos mos invaluerat, ut, uno aquam fundente, alter sacramenti formam pronunciaret; ac propterea justè illud iterandum decrevêre "tit. 3. cap. 6. Et quia frequens experientia docet, modernos hæreticos sæpè contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, et antiquissimam traditionem, baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante; ab hæreticis (qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præstò est) baptizati, similiter sub conditione baptizentur:" Collectionis Harduini "tom. 10. col. 1943," cujus quidem Concilii sanctionem tutò sectari possunt, et debent aliarum ecclesiarum Præsules, à quibus sint Ecclesiæ reconciliandi hæretici, iis in locis baptizati,

ubi eumdem erroneum baptismi ritum plerumque adhiberi, non ex incerto rumore, sed ex fide dignis testimoniis acceperint, atque ideo meritò suspicentur, eodem modo fuisse etiam illos baptizatos, qui in catholicorum numerum petunt aggregari: quod eam ob causam cum hæreticis Angliæ faciendum, docuêre Sylvius "in 3. part. quæst. 66. art. 9." Cardinalis de Lugo "in Respons. moral. lib. 1. dub. 2. num. 3." Gobat "tract. 2. num. 392." Laurentius Neesen "tract. 2. de Baptismo dub. 5." Ludovicus Michon "in casibus de Sacram. cas. 8." et la Croix "lib. 6. part. 1. num. 322." Idem verò Sylvius "in var. Resol. verb. Baptismus III. Operum tom. 5." agens de quodam Britanno, baptizato ab hæretico puritano, de quo valdè dubitabatur, num in baptismatis collatione, orthodoxâ formâ usus fuisset, ait, quòd, cum rationabiliter de hoc dubitari posset, sub conditione rebaptizandus erat: "Quia justa prorsùs est ratio dubitandi de valore baptismi collati, attentâ hæreticorum nostri temporis (qui, ut testantur Molanus, et Synodus Mechliniensis provincialis secunda, frequenter deprehensi fuerunt vel formam corrupisse, vel intentionem necessariam non habuisse, vel aliter malè baptizasse) malitia...quoniam saluti consulere oportet: quandoquidem est probabilis ratio dubitandi de remedio, quod constat esse necessarium; id quod fieri hìc potest, etiam expedit, ut fiat."

IX. Caveat tamen Episcopus, ne incertam et dubiam pronunciet baptismi validitatem hoc tantùm nomine, quòd hæreticus minister, à quo fuit collatus, cùm non credat, per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideò non habuerit intentionem illud conficiendi, proùt à Christo Domino est institutum: siquidem, cùm in Galliis disputatum olim fuerit, an ob prædictam rationem rebaptizandi essent baptizati à calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia delata est, minimè rebaptizandos definivit; sacramenti enim validitati non officit privatus ministri error, cui prævalet generalis ejusdem ministri intentio faciendi, quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia: quemadmodum testantur Acta concilii Ebroicensis anni 1576. ubi hæc ad rem adnotantur: "Ante decisionem apostolicæ Sedis Romanæ, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare. Verùm, quoniam, post habitam de hac facul-

tate disputationem, felic. record. Pius V. definivit, verum esse baptisma, quo uterentur calvinistæ adhibentes formam, et materiam institutam à Christo, cum intentione generali faciendi, quod Christus instituit; licèt errarent in particulari interpretatione, et singulari intentione, ut alii ferè omnes hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis, non iterùm tingendos sub conditione etc. Hinc interdicimus omnibus curatis, et presbyteris, sub pœna suspensionis ipso facto à divinis, ne allatos ad se pueros, jam baptizatos à Calvinistis, audeant iterùm tingere sub illa conditione." Alia similia Synodorum statuta legi possunt apud Grancolas "in antiquo sacramentario Ecclesiæ part. 2. pag. 153. et seq."

No. 7.

QUANDONAM PUERIS SEPTENNIO MINORIBUS SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS ADMINISTRARE LICEAT.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII. cap. 10. *N.* 2. *et seq.*

(Spectant ad N. 8. de Confirmatione, Tom. V.)

II. Catechismus concilii Tridentini. jussu S. Pii V. editus, "part. 2. de Confirmat. num. 15." observandum statuit, ut omnibus, post baptismum, confirmationis sacramentum administretur; sed minùs expedire, addit, hoc fieri, priusquam pueri usum rationis adempti fuerint: atque ideò dicit maximè convenire, ut sacro Chrismate non inungantur, nisi cùm ad septimum suæ ætatis annum pervenerint. Contrà, pontificale Ro-

manum, Clementis VIII. primùm, deindè Urbani VIII. auctoritate recognitum, "tit. de Confirmandis," tamquàm certum ponit, sacramentum confirmationis etiam infantibus ab Episcopo administrari; ait enim: "Infantes per patrinos ante pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris." Pugnare proindè inter se videntur catechsimus, et pontificale: sed omnis cessabit antinomia, si res accuratiùs, utì decet, expendatur.

III. Extra omnem controversiam est, sacramentum confirmationis validè conferri omnibus baptizatis, absque ulla ætatis differentia, quod colligitur "ex Can. De his, de Consecrat. dist. 5." notatque Sotus "in 4. dist. 7. quæst. unic. art. 8." Certum insuper est, olim tam adultos, quàm pueros, statim post baptismum fuisse confirmatos. Disertè id testantur Tertullianus "lib. de Baptismo cap. 7. et 8." ubi ait: "Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione...... dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans, et invitans Spiritum sanctum:" Cyprianus "epist. 73. ad Jubajanum: Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, ac manûs impositionem, Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur:" Cyrillus Hierosolymitanus "catechesi 21. mystag. 3. num. 1. Vobis quoque similiter, postquàm ex sacrorum laticum piscina adscendistis, datum est chrisma:" Gennadius "de dogmat. Eccles. cap. 52. Si parvuli sunt, vel hebetes, respondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi; et sic manûs impositione, et chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur." Baluzius "in suis notis ad Regionem lib. 1. cap. 69." duos exhibet antiquos codices manuscriptos pontificales ex seculo IX. et X, in quibus ordo confirmandi infantes statim post baptismum continetur: in eorum enim altero sic legitur: "Statim autem confirmetur infans:" in altero verò: "Si Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate." Hæc eadem disciplina seculo XIII, licèt in ecclesia Latina nonnihil remitti cæpisset, nondùm tamen penitùs obsoleverat, quod pluribus monumentis demonstrat Martene "de antiq. Eccles. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 2. art. 1. num. 3, sed subsequenti ætate congruentiùs visum est, expectare, ut confirmandus

rationis usum adeptus fuerit. Concilium provinciale Mediolanense I. à S. Carolo Borromæo an. 1565. celebratum, "part. 2. Actor. Mediol. eccles. part. 1. pag. 7." decrevit: "Minori septennio confirmationis sacramentum nemini præbeatur." Concilium Turonense anni 1583. cap. 7. tom. 10. Collectionis Harduini "col. 1403." loquens de eodem sacramento: "Quod ut decentiùs conferatur, statuit, ne ad illud facilè minores septennio... admittantur," Concilium Cameracense anni 1586. "tit. 7. cap. 2. tom. 9." ejusdem Collectionis "col. 2160. Non infra septimum, aut octavum annum pueri confirmentur." Concilium Tolosanum anni 1590. "part. 2. cap. 3. n. 4. tom. 10." Collectionis ejusdem "col. 1799. Ni summa quædam impellat necessitas, septennio minores pueri nequaquam veniant ad confirmationem admittendi." Tandem catechismus Romanus "loc. cit." hæc habet: "Illud observandum est, omnibus quidem, post baptismum, confirmationis sacramentum posse administrari, sed minùs tamen expedire hoc fieri, antequàm pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certè hoc sacramentum differri maximè convenit."

IV. Hanc tamen disciplinæ mutationem, justis de causis in Ecclesiam Latinam invectam, non est amplexa Ecclesia Orientalis; ea quippe retinet etiam nunc veterem morem sacramentum confirmationis statim post baptismum ministrandi, sicuti ex iis colligitur, quæ in præcedenti capite diximus, testanturque Allatius "de perpet. consens. Eccles. Occid. et Orient. lib. 3. cap. 18." Thomas à Jesu "de conversion. Gent. lib. 7. cap. 7." ac Joseph Vicecomes "in observat. ecclesiast. de antiquis Baptismi ritibus lib. 5. cap. 32." atque de Maronitis, et Syris asserit Naironus "in Euoplia fidei catholicæ part. 2. cap. 3." Diversam utriusque Ecclesiæ hac in re consuetudinem considerans Pater Drouin "tom. 2. de re sacramentaria quæst. 8." inquit: "Habent suæ consuetudinis idoneas causas Græci, habent et suæ Latini. Illi subjecti magis, quàm sacramenti, respectum habentes, voluerunt, confirmationem statim post baptismum conferri; ut nimirùm, quidquid gratiæ poterant, promptiùs neophytis procurarent: isti decori magis, ac dignitati sacramenti, quàm exigentiæ fidelium, consulentes, eòusque differendum

statuerunt, donec instructionis capaces essent, et possent divini beneficii pretium pro meritis æstimare." Hanc eadem rationem respexerunt Patres concilii Coloniensis anni 1536. "part. 7. cap. 9." ajentes: "Cùm enim hoc sacramentum confirmationis non sit necessitatis absolutæ, convenientiùs, et utiliùs dabitur, si addatur admonitiuncula. At antequam infans supra septimum ætatis annum progressus fuerit, parùm, aut nihil horum, quæ aguntur, intelliget, ne dicamus meminerit: tom. 9." Collectionis Harduini "col. 2004." Prædictas diversas utriusque Ecclesiæ diversi ritûs causas nos præ oculis habuimus, cùm "in cit. nostra Const. 129." relinquendos diximus Cophtos in sua antiqua consuetudine recipiendi confirmationem statim post baptismum, sed simul summoperè reprehendendos, quòd à baptismo, ritu latino collato, hoc potissimùm nomine abhorreant, quòd scilicet seorsùm à confirmatione administretur; quod "in ejusd. Consti. Sec. 5. et 6." legitur.

V. Verùm, ut ad propositum redeamus, quamvis catechismus Romanus non expedire dicat, ut sacramentum confirmationis pueris ante septennium conferatur, non tamen prohibet, ne ullo unquam in eventu iisdem conferri queat: quod scitè perpendentes Suarez "in 3. part. tom. 3. disput. 35. sect. 2;" Sylvius "in 3. part. Divi Thomæ quæst. 72. art. 8;" Layman "Theolog. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2;" Diana "part. 3. tract. 4. resol. 19;" Cotonius "lib. 2. de Sacram. controv. 3. cap. 3;" Juenin "de Sacram. dissertat. 3. quæst, 8. cap. 1:" Sylvester Maurus "tom. 3. Theolog. lib. 11. quæst. 119. num. 4;" Roncaglia "de Sacram. tract. 3. cap. 3. num. 5;" bon. mem. card. Gottus "tom. 13. Theolog. pag. 336. num. 6." aliique plurimi affirmant, sanctè, ac licitè, etiam juxta præsentem disciplinam, sacro chrismate inungi pueros ante septennium, cùm aut prævidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitæ, aut alia urget necessitas, seu justa causa.

VI. Et profectò, quod confirmatio non sit deneganda pueris ante septennium, si tali morbo laborent, ut decessuri prævideantur, apertè deducitur ex divo Thoma 3. "part. quæst. 73. art. 8. ad 4." ubi docet, etiam pueris morituris hoc sacramentum dandum esse: "Ut confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur,

sicut et hìc majorem obtinent gratiam:" quod nos ipsi advertimus, et cum eodem Angelico præceptore tradidimus "in nostra Institut. 6." ac pluribus prosequitur recens auctor Catalanus "tom. 3. in pontificale Roman. pag. 227. num. 22." Licèt enim confirmatio non sit pueris ante usum rationis necessaria ad pugnam tunc subeundam pro fide Christi, non est tamen inutilis; tum quia auget illis gratiam; tum quia eis jus tribuit ad accipienda gratiæ auxilia, quibus suo tempore roborentur ad sustinendam pugnam pro casu, quo ex morbo convalescant: quamobrem Duhamel "tom. 5. Theolog. Tract. de Sacram. dissert. 3. cap. 1," postquàm docuit, expedire, ut sacramentum confirmationis conferatur habentibus usum rationis, id limitat in infantibus constitutis in mortis articulo, quibus laudabiliter conferri affirmat.

VII. Quòd verò præter periculum mortis, alia insuper adesse possit justa causa, ob quam confirmatio pueris ante usum rationis ministretur, asserunt Patres concilii Mediolanensis V. "part. 1. Actor. eccles. Mediolan. part. 1. pag. 220." ubi explicantes decretum editum in concilio I. Mediolanensi, quod nos suprà retulimus, hæc habent: "Alio decreto, quod in concilio Provinciali primo sancivimus, cautum est, ne confirmationis sacramentum iis præberetur, qui annis septem minores natu sunt: si tamen Episcopus, ob aliquam causam justam, atque adò necessariam, parvulo, et infanti, qui non modò eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum." Idemque ad aliis Synodis sancitum esse, refert Vuitasse "de Sacram. Confirmat. tom. 2. quæst. 4. art. 1."

VIII. Ex his porrò planè conficitur, nullam esse contrarietatem, nullam antilogiam inter catechismum, et pontificiale Romanum. Catechismus prohibet, ne regulariter sacramentum confirmationis conferatur pueris ante septennium: pontificale supponit, quod in aliquo extraordinario casu, justâque urgente causâ possit idem conferri. Quæ traduntur in catechismo, constituunt regulam: quæ adduntur in pontificali, constituunt limitationem regulæ. Quibus positis, si Episcopus in suis constitutionibus diceret, paratum se esse ad conferendum sacramentum confirmationis pueris, et infantibus baptizatis, sed constitutis in morto periculo; aut juberet, ut sibi sacramentum confirmationis minis-

traturo, in hoc, aut illo loco suæ diœcesis, exhibeantur pueri, et infantes, cùm facilis ad eos in posterum sibi non sit futurus accessus vel propter sui ingràvascentem ætatem, vel propter eorum distantiam à civitate, aut propter itineris difficultatem: nihil profectò in hujusmodi constitutionibus synodalibus videretur reprehendendum: cùm in privatis circumstantiis non sit locus regulæ traditæ in catechismo, sed potiùs limitationi ejusdem regulæ, de qua in pontificali. Cujus quidem limitationis exemplum præbuit concilium Parisiense anni "829. càn. 33. tom. 4." Collectionis Harduini "col. 1318." ubi à lege decernente, ut baptismus, et confirmatio dumtaxat conferrentur tempore Paschatis, et Pentecostes, excepit infirmos, et periclitantes, quibus, ait, "sicut baptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritûs sancti est tradendum:" de qua re Gibert. "consult. Canonic. tom. 2. consult. 2. de Sacramento Confirmationis."

IX. Tria tamen advertere debet Episcopus: primò, ne in sua constitutione quidquam dicat, quo insinuare videatur necessitatem, seu præceptum suscipiendi sacramentum confirmationis in ea ætate, et statu: secundò, ut sacramentum administret eâ dignitate, cui consulere voluit Ecclesia, cùm illud denegavit infantibus ante adeptum usum rationis, quemadmodum suprà audivimus à Drouin: tertiò tandem, ne postquàm paratum se dixit ad confirmationem conferendam omnibus pueris, positis in vitæ discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, sibique benè visos, et ire detrectet ad pauperes, aliosve de infima plebe: hoc siquidem fieret cum acceptione personarum, et multorum scandalo: à qua quidem personarum acceptione quantum sit abhorrendum, præcipuè in sacramentorum administratione, ex iis colligitur, quæ habentur "in nostra Constit. 107. pag. 410. et pag. 417. Bullar. tom. 1."

No. 8.

DE VIATICO PUERIS EXHIBENDO: DE IIS, QUI PERSEVERANTE EODEM MORBI PERICULO, INSTANT VIATICUM SIBI EXHIBERI: ITEM DE FREQUENTI AUT QUOTIDIANA COMMUNIONE.

***Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII. cap.* 12.**

(N. 1. 2. et 3. spectant ad N. 44. de Euchar.; N. 4. et 5. ad N. 37. Reliqui ad N. 54. ejusd. Tractatûs, Tom. V.)

I. . . Rectè et sine reprehensione poterit Episcopus synodali constitutione parochos compellere ad administrandum sanctissimum viaticum pueris mox decessuris, si eos compererint tantam assecutos judicii maturitatem, ut cibum istum cœlestem, et supernum, à communi, et materiali discernant: haud enim leviter delinquere credimus, qui pueros etiam duodennes, et perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine viatico, hanc unam ob causam, quia scilicet nunquam antea, parochorum certè incuriâ, et oscitantiâ, Eucharisticum panem degustarunt. Ad ejusmodi autem gravem abusum radicitùs extirpandum, quem nulla profectò cohonestare valet probabilis theologorum opinio, ad quam parochi confugiunt, ut suam aut prorsùs excusent, aut ad minus elevent culpam, nonnulla sunt breviter præmittenda. Cuilibet antiquitatis studioso notissimum est, antiquam Ecclesiæ consuetudinem obtinuisse, ut sanctissimæ Eucharistiæ participes fierent infantes statim post baptismum; quod pluribus monumentis demonstrat Martene "de antiq. Eccl. ritib. tom 1. lib. 1. cap. 1. art. 15. §. 11." iisdemque infantibus, perinde ac adultis, consuevisse frequenter sacra mysteria ministrari testantur Cyprianus "tractat. de lapsis," Auctor "Constit. Apostol. lib. 8. cap. 12. et 13." Dionysius, seu quicumque sit auctor "eccles. Hierach. cap. 2. et 7."

Augustinus "serm. 8. de verbis Apostoli, et epist. 106. ad Bonifac." et constat ex sacramentario, quod inscribitur nomini sancti Gregorii, "tit. de Sabbatho sancto," aliisque testimoniis adductis à Cardinali Bona "Rer. liturgic. lib. 2. cap. 19. num. 11." à Martene "cit. lib. 1. cap. 4. art. 10. §. 14." à Juenin "de Sacram. diss. 4. q. 6. c. 2." atque etiam ab hæretico Binghamo "Oring. eccles. tom. 4. lib. 12. cap. 1. §. 3. et tom. 6. lib. 15. cap. 4. §. 7. et cap. 7. sec. 4." Hic mos, quem à Græcis, suâ ætate, retentum observat D. Thomas 3. "part. quæst. 80. art. 9. ad 3." et etiamnum apud eosdem perseverare, tradit Arcudius "lib. 3. de sacram. Eucharist. cap. 11." quandonam in ecclesia Latina obsoleverit, incertum est: hoc unum certò scimus, ejusdem ritûs vestigia inveniri apud Hugonem à S. Victore, qui seculo XII. scripsit, "de Sacram. lib. 1. cap. 20." et apud Guibertum abbatem, auctorem XII. seculi, "lib. 1. de Pignoribus Sanctor. cap. 2. sec. 1." Sed subsequenti ætate ea deprehendimus omninò delata, nec quadrigentis abhinc annis usquam legimus fuisse infantibus sanctissimam Eucharistiam in Ecclesia Latina administratam. Utramque disciplinam, habitâ ratione diversitatis temporum, commendavit Tridentinum "sess. 21. de Communione cap. 4." ubi hæc habentur: "Denique sancta Synodus decet, parvulos, usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem...... Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam, pro illius temporis ratione, habuerunt; ita certè, eos nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est."

II. Factâ porrò prædictâ disciplinæ mutatione, Innocentius III. "in Cap. Omnis utriusque sexûs, de pœnit. et remiss." omnes Christi fideles, "postquam ad annos discretionis pervenerint," obligavit ad Eucharistiam, ad minus in Paschate, reverenter percipiendam. Hinc verò orta est inter Scholasticos dissensio in determinando tempore, quo ejusmodi præcepto urgeri incipiant pueri. Plerique doctores non improbabiliter docent, omnes pueros, statim ac sunt doli capaces, sicuti obstringuntur sacramentalis confessionis præcepto, ita obligari ad communicandum in paschate, nisi fortè, ut decernitur "in cit. Cap. Omnis

utriusque sexûs, de proprii sacerdotis concilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum." Allegata enim decretalis Innocentii III. utrumque præceptum conjungit, et absque ullo inter unum, et alterum discrimine, utrumque onus imponit omnibus utriusque sexûs fidelibus, "postquam ad annos discretionis pervenerint." Ita Paludanus, S. Antoninus, Tabiena, quos refert, et sequitur Joannes Sanchez "in selectis disp. 26," quibus adde Castropalaum "tract. 21. disp. unic. punct. 10. num. 11." et Phillippum de la Crux "in Thesaur. eccles. tract. 1. sec. 11. num. 3." atque huic sententiæ patrocinatur Manuale Henrici Episcopi Sistaricensis, in synodo Sistaricensi approbatum, "in cujus can. 16." habetur; "Moneant autem sacerdotes parochianos suos, ut pueros à septennio, et supra, Pater noster et Credo doceant, ac in die sancto Parasceve ad ecclesiam adducant ad osculandum crucem, et in die sancto Paschæ, ut corpus Christi, priùs tamen confessi, recipiant: tom. 4. Anecdot." Martene, et Durand, "col 1082." At alii, quos citant, et sequuntur, Suarez "tom. 3. in 3. part. quæst 80. disp. 70. sect. 1." Vasquez "disput. 214. cap. 4." Dicastillo "tract. 4. disput. 10. dubit. 5. num. 110." perfectiorem usum rationis expectandum censent, ut pueri ad annuam communionem constringantur: non omnis quippe discretio, quæ sufficiens habetur ad se expiandum sacramentali confessione, satis est ad ritè percipiendam Eucharistiam cujus excellentia majorem exigit in suscipiente judicii maturitatem, ut debitâ religione, ac reverentiâ ad eam accedat. Quo verò ætatis anno eam maturitatem advenisse, sit præsumendum, non potest certâ regulâ definiri; cùm alii tardiùs, alii citiùs perfectum rationis usum, rerumque spiritualium intelligentiam assequantur: id autem intrà decimum, et decimum quartum ætatis annum, communiter evenire, notat citatus Suarez.

III. Verùm, etsi Doctores ita inter se dissentiant, ferè tamen communiter fatentur, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo et possit, et debeat sanctissimo viatico muniri: quin imò laudatus Suarez expressè docet, omnibus, qui sunt doli capaces, positis in vitæ discrimine, illud esse, ex divino præcepto, porrigendum; citatam quippe sectionem in hunc modum absolvit: "At verò de communione facienda in articulo

mortis non est eadem ratio... Undè existimo, in illo articulo dandam esse communionem cuicumque homini habenti usum rationis ad peccandum, et capaci confessionis, et extremæunctionis. Quod Navarrus quidem fatetur esse omnibus consulendum: ego verò existimo, esse obligationem tam ex parte petentis, quàm dispensantium etc." Suaresii sententiam pluribus comprobat Cardinalis de Lugo "de Eucharist. disp. 13. sect. 4. num. 37." eidem suffragatur auctor anonymus in Carmine Ms. prolato à Martene "de antiq. Eccles. ritib. cit. tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 10. sec. 14." inquiens:

Non pueris infra bis quinque manentibus annos
Des corpus Domini, quamvis sint corpore puri:
Quid sumant cùm ignorent, ergo prohibentur.
Excipe quos urget fera mors, anni licet his sint
Octo, sive novem, vel septem, dum sibi constet
Scire Pater noster, et eorum vita probata.

Quare nulli controversiæ opinioni calculum adjicit Episcopus, qui in sua Synodo parochos seriò adhortatur, et monet, ne patiantur, omnes pueros indiscriminatim interire sine Christi corporis viatico, illudque iis præbendum præcepit, quos iidem parochi, diligenti præmisso examine, tantâ compererint pollere ingenii perspicaciâ, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reverenter adorent: tunc verò securius id in Synodo decernitur, cùm non determinatur certa ætas, in qua decessuris puer sit Christi corpore reficiendus, circa quàm unicè vertitur theologorum dissentio, sed ipsiusmet prudentis parochi judicio permittitur definire, an moriturus puer, spectatâ ejus indole, sit tanti sacramenti capax: hoc siquidem adhibito temperamento, nemo facilè contradicet synodali constitutioni, cui pene omnes theologi suffragantur.

IV. Similiter, absque formidine se aliquâ involvendi controversiâ, et potest, et interdum debet Episcopus constituere, ne parochi renuant sanctissimam Eucharistiam iteratò deferre ad ægrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam sæpius, per modum viatici, cùm naturale jejunium servare nequeant, percipere cupiunt. Quamvis enim Vasquez "in 3. part. disp. 214. cap. 2. in fin." doceat, divino præcepto satisfieri per unicam perceptionem sanctissimi viatici in eadem

ægritudine; nullum tamen invenimus alicujus nominis theologum, qui neget, et licitum, et pium, ac laudabile esse, illud sæpiùs repetere. Ita quippe expressè tradunt Sylvester "verb. Eucharistia 3. sec. 6." Tabiena "verb. Communicare, num. 48." Sotus "in 4. dist. 12. qu. 1. art. 8." Toletus "in Summa lib. 10. cap. 15." Henriquez "lib. 8. cap. 4. num. 1. et cap. 50. num. 1." Suarez "disp. 68. sect. 5." Layman "lib. 5. Summ. tract. 4. cap. 6. qu. 6. num. 20." Diana "tom. 1. tract. 7. resolut. 57." Cardinalis de Lugo "disp. 15. sect. 3. num. 64." qui malè traducit Vasquez, quasi auctorem contrariæ sententiæ, cùm hic de sola loquatur obligatione, ut diximus, et legenti patebit.

V. Aliqua dumtaxat dissentio est in præfiniendo temporis spatio, quod debeat intercedere, ut, intrà eamdem infirmitatem, possit iterùm non jejuno dari Eucharistia. Aliqui enim, cum Navarro, multum temporis interfluere debere existimant inter unam, et alteram communionem; quam indefinitam Navarri assertionem, de spatio triginta dierum, explicat Villalobos "in Summ. 1. part. tract. 7. dub. 38." Alii cum Suarez "cit. loc." decem, aut octo dies exposcunt. Alii cum Ludovico à sancto Joanne in Summa Hispano sermone edita "tom. 1. qu. 7. art. 10. difficult. 4. de Sacram. Euchar." post elapsos tres dies, viaticum iterari concedunt. Alii demùm cum Layman "cit. cap. 6. num. 20." etiam insequenti die illud repeti permittunt, si videatur instare mortis periculum, et ægrotus, qui, cùm sanus esset, frequenter consueverat eucharisticum panem degustare, eo denuò nutriri, et roborari cupiat. Abstrahat igitur Episcopus ab hisce quæstionibus; solumque parochis insinuet, posse, et debere sanctissimum viaticum in eadem infirmitate iterùm, et tertio administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes iterùm cœtem illum panem esuriant; et, si velit, pœnam etiam in parochos decernat, qui, post plurimum temporis, Eucharistiam ad eumdem infirmum, eam devotè efflagitantem, falsis quibusdam, et emendicatis prætextibus, denuò deferre obstinatè detrectant: nihil quippe in hac saluberrima constitutione invenietur censurâ et castigatione dignum.

VI. Quòd si in Synodo aliquid etiam dicendum occurrat de sacramentalis communionis frequentia, caveat Episcopus, ne aut universim improbet, aut omnibus indiscriminatim suadeat quotidianum ad sacram mensam accessum. Etsi enim prisci fideles consueve-

rint quitodiè eucharisticum panem degustare, quod discimus ex S. Justino "in apologia I." quam pro Christianis obtulit imperatori Antonino ex S. Cypriano "in expositione Orationis Dominicæ," ex S. Hieronymo "epist. 50. ex Can. Omnes fideles, de Consecrat. distinct. I. et Can. Peracta ibid. dist. 2:" quidquid sit, an ad quotidianam communionem ex Ecclesiæ præcepto adigeretur, quemadmodùm opinatur Vasquez "3. part. disp. 214." an potiùs ex mera devotione, et charitatis ardore quotidianus ejusdem usus fuerit à fidelibus receptus, quod existimant Suarez "cit. disp. 69. sect. 3." et Juenin "de Sacram. dissertat. 4. quæst. 9. cap. 3. art. I. in fin." indubitatum est, posterioribus seculis, postquàm scilicet elanguit fidelium charitas, non solùm intermissam fuisse communionis frequentiam, sed jamdudùm, hoc est à seculo XII. inter pios et doctos vehementer dubitatum, an consulendus esset fidelibus quotidianus Christi corporis esus: siquidem apud Innocentium III. "de myster. Miss. lib. 4. cap. 42" legimus: "Dixerit ergo quispiam, communicandum esse quotidiè; dixerit alius, quotodiè communicandum non esse:" quæ certè verba indicant rem positam in quæstione, quam Innocentius non solvit, subjungens: "Faciat unusquisque, quod piè crediderit faciendum:" atque ad id comprobandum affert Augustinum relatum "in Can. Quotidiè, de Consecrat. dist. 2." ubi ait: "Dixerit quispiam, non quotidiè accipiendam Eucharistiam: alius affirmet quotidiè: faciat unusquisque, quod, secundùm fidem suam, piè credit esse faciendum." Eamdem quæstionem distinctè et perspicuè, suo more, pertractavit D. Thomas "3 part. quæst. 80. art. 10." in qua docet, esum quidem eucharistici panis, in se spectatum, semper esse salutarem, et nihilominùs non semper cuicumque expedire, illum sumere; quia non semper reperitur in sumente dispositio requisita ad dignam illius comestionem: ex quo concludit: "Et ideò, si aliquis se quotidiè ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quòd quotidiè sumat. Undè Augustinus, cùm dixisset: Accipe quotidiè, ut quotidiè tibi prosit: subjungit: Sic vive, ut quotidiè merearis accipere. Sed, quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus, quotidiè ad hoc sacramentum accedere."

VII. Hæc perpendentes sapientissimi Tridentini Patres, duobus à se editis decretis, fideles hortati sunt ad sanctissimæ communionis frequentiam, sibique in votis esse demonstrarunt, ut quilibet tantâ emineat morum integritate, ut dignè possit etiam quotodiè Christi carnibus pasci; consultò tamen abstinuerunt ab universali regula, hac de re tradenda, cùm satis exploratum habuerint, eam unicè desumi posse à cujuslibet peculiari statu, devotione, et charitate. Primum decretum habetur "sess. 13. de Eucharistia cap. 8." estque hujusmodi: "Paterno effectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur...hæc sacra mysteria corporis, et sanguinis ejus, eâ fidei constantiâ, et firmitate, eâ animi devotione, eâ pietate, et cultu credant, et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint." Alterum exstat "sess. 22. cap. 6. de Sacrific. Miss. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solùm spirituali effectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret."

VIII. Sed nihilominùs hæc saluberrima Tridentini decreta non extinxerunt antiquam, quam innuimus, controversiam; quin imò hæc, seculo elapso, acriùs inter theologos recruduit: plures quippè quotidianæ communioni plus æquò patrocinantes, eam omnibus, sine ullo personarum delectu, suadendam dictitârunt: è quorum numero fuit, qui hanc etiam propositionem non est veritus asserere, quam die 2. Martii 1679. apostolicæ damnationis telo confixit Innocentius XI. "Frequens confessio, et communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis:" alii contrà frequentiorem, multòque magis quotidianum ad sacram mensam accessum, nimiùm imprudenter, universim damnarunt. Utriusque classis auctores referunt Rhodes. "disp. 1. quæst. 4. sect. 1. sec. 2. et 3." Joannes Sanchez. "dis. 22." Cardinalis De Lugo "de Euchar. disput. 17." et Cardenas "Crisis Theolog. tom. 3. disput. 66." Ad hanc verò litem præcidendam, jubente, atque approbante Innocentio XI. die 12. Februarii 1679. promulgatum est decretum, quod integrum legitur apud citatum Car-

denas "cap. 1." et la Croix "lib 6. part. 1. num. 665," è quo hæc verba, ad Episcopos maximè pertinentia, transcribimus: "In hoc igitur pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione, unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochos, seu confessarios sibi decernendum putet; illudque omninò provideat, ut nemo à sacro covivio, seu frequenter, seu quotidiè accesserit, repellatur; et nihilominùs det operam, ut unusquisque dignè, pro devotionis, et præparationis modo, rariùs, aut crebriùs dominici corporis suavitatem degustet... Proderit etiam, præter parochorum et confessariorum diligentiam, operâ quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut, cùm fideles ad sanctissimi sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem, devoto studio excitantur, debere, sive laïci negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate sacramenti, ac divini judicii formidine, discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; et, si quando se minùs paratos censerint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere."

IX. Si itaque in Synodo instituatur sermo de frequenti, aut etiam quotidiano sanctissimæ Eucharistiæ usu, non est deviandum ab hujus decreti semita; sed, si qua parochis tradenda sit instructio, curandum est, ut hæc illi ad amussim respondeat: præcipuè verò monendi sunt confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadent, aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti; sicuti nec illis, qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem: qua de re legendi sunt S. Franciscus Salesius "Philotheæ part. 2. cap. 20." et Joannes Thaulerus "serm. 4. infesto Vener. Sacramenti."

No. 9.

DE VIATICO EXHIBENDO IIS, QUI EADEM DIE EUCHARISTIAM SUSCEPERUNT.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII. cap. 11. *N.* 2.

(Cit. N. 53. de Eucharistia, Tom. V.)

II. . . . . Rectè, ac sanctè in plerisque Synodis commonitos legimus parochos, ut solliciti sint de sanctissimo viatico iis statim porrigendo quos vitâ periclitari deprehenderint: in aliis gravem insuper pœnam iisdem inflictam invenimus, si ipsorum inertiâ, evenerit, ut aliquis, sine sanctissimi Christi corporis viatico, ex hac vita decesserit. At fingamus, sacerdotem, corpore sanum, manè missam celebrasse, aut laïcum, ex mera devotione, sanctissimam Eucharistiam percepisse: corripitur eâdem die subito morbo, aut lethali percutitur vulnere, ita ut, medicorum judicio, prudenter timeatur, ne eâ ipsâ die intereat: cupit ægrotus refici sanctissimo viatico, illudque à parocho instanter exposcit, quod tamen parochus ad eum deferre renuit: non tamen idcirco damnandus erit parochus; tamquam transgressor synodalis statuti; nec quidquam de hac re, quæ forte sæpiùs in diœcesi acciderit, erit in Synodo deliberandum, nisi maximâ adhibitâ circumspectione, et cautelâ. Etenim, licèt communiter theologi cum S. Thoma 3. "part. quæst. 80. art. 11." in illis Christi Domini verbis "Joann. 6.: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;" contineri existiment præceptum obligans omnes fideles ad Eucharistiam percipiendam aliquoties in vita, atque imminente mortis periculo, neque ulli fas sit, sine temetatis nota, contrarium opinari, uti probant Valentia

"disput. 6. quæst. 8. punct. 4." et Vincent. Baronius 2. "part. manuductionis pag. 258." atque ex iis liquet, quæ ad prædictum præceptum comprobandum adducunt Suarez "de Encharist. disp. 69. sect. 1." Vasquez "disp. 215. cap. 2." et Cardinalis De Lugo "de Eucharis. disp. 16. sect 4. et sect 2. num. 17. et num. 33;" nihilominùs tamen iidem theologi dissident inter se, num, adveniente repentino mortis periculo, sanctissimi Christi corporis viatico sit etiam illi succurrendum, qui eâdem die, cùm ceteroquin nondum ullâ laboraret corporis infirmitate, Eucharistiam accepit. Docent plerique, etiam nunc, inopinatò incidentem in mortis periculum, teneri denuò se reficere eucharistico cibo, quo fiat validior ad ultimam sustinendam cum dæmone luctam: neque enim, inquiunt, per communionem ante vulnus, vel morbum peractam, potuit satisfieri præcepto, quod nondum urgebat, Eucharistiam sumendi in mortis articulo. Ita Hurtadus "de Eucharist. disput. 11. diff. 2." Pellizzarius, Dicastillo, Quintanaduenas, aliique relati à Diana "part. 10. tract. 11. resol. 40." Alii ex adverso cum Suarez "cit. disput. 69. sect. 3. sec. Rogabis," Coninck "quæst. 80. art. 11. dub. 3. n. 100." Cardinali de Lugo "cit. loc. num. 52." aliisque à nobis allegatis "in nostro opere de Canoniz. Sanctor. lib. 3. cap. 38. num. 22." ubi aliquid de hac quæstione delibavimus, sentiunt, in prædicto rerum eventu non solùm non urgere præceptum sumendi viaticum, sed recipi non posse sine piaculo: siquidem ex una parte, divinæ legi, quâ jubentur fideles sanctissimam Eucharistiam percipere, cum in ultimo versantur vitæ discrimine, veluti præviâ quâdam solutione, jam satisfactum autumant per communionem manè peractam: ex alia verò parte, nemini licet bis eâdem die Christi corporis participare mysteria; solumque id permittitur parocho, in aliquo extraordinario eventu, de quo nos pariter egimus "cit. cap. 38." cùm scilicet duas administrat parochias; et in utraque debet eâdem die celebrare. Inter has duas, è diametro oppositas, opiniones, mediam viam ineuntes alii, quos tacito nomine citat De Lugo "eod. cit. loc. num. 50." et sequuntur Gobat. "Theolog. experim. tract. 8. num. 175." et Marin. "tom. 3. disp. 9. sect. 1. n. 13." dicunt, prædictum hominem, qui manè bene valens ad Eucharistiam accessit, et deindè in periculosum incidit

morbum, posse, si velit, denuò Eucharistiam sumere per modum viatici, nullo tamen præcepto ad id faciendum obstringi: atque huic sententiæ adstipulatur praxis quorumdam religiosorum, à quibus, utì referunt Diana "part. 8. tract. 2. resol. 87." Hurtadus "de Sacram. disp. 10. de Eucharist. diffic. 2." et Cardinalis De Lugo "cit. loc. num. 51." in prædicto eventu sanctissimum viaticum porrigi consuevit sacerdotibus, qui eâ ipsâ die celebrarunt. In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia, integrum erit parocho, eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit, quin fiat reus violati statuti synodalis, quod certe non potuit casum istum extraordinarium respicere: neque fas erit Episcopo aut in parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti viaticum denegavit, aut quidquam de ejusmodi controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes judicis inter gravissimos hac super re inter se contendentes theologos.

No. 10.

AN FREQUENS, IMO QUOTIDIANA MISSÆ CELEBRATIO MAGIS CONGRUAT CUM SPIRITU ECCLESIÆ, QUAM INFREQUENTIOR.

Ex Bened. XIV. de Sacrif. Missæ. lib. 3. *c.* 2. *N.* 1. *et seq.*

(Cit. N. 54. de Eucharistia, Tom. V.)

1. Suarez tom. 16. disput. 80. sect. 2. quæstionem theologicè tractat, an convenientius sit, et cum spiritu Ecclesiæ magis congruat, celebrare quotidie missam, an non; et statuit ad Ecclesiæ spiritum propius acce-

dere et convenientius esse singulis diebus sacrificium facere, idque sacerdotibus inculcandum; tum quia sacrificandi munus non privatum, sed publicum est, nec sacerdoti tantùm prodest, sed universali Ecclesiæ: tum quia sacerdos, cùm missæ celebrandæ potissimùm consecratus sit, proprium et peculiare jus habet sacrificii offerendi, eique præcipuum præsto est Dei auxilium, ut dignè possit celebrare: declarat tamen, se non negare, quin bene faciat, si aliquando sacerdos non celebret, vel propter reverentiam, vel propter timorem, ne id sibi sit utile: aitque opus illi aliquando esse ab aliquo sacerdote consilium petere. Persicus de Sacerdot. officio lib. 1. dub. 4. considerat, celebrare missam bonum esse "ex genere suo," abstinere autem à missa celebranda bonum esse "per accidens;" quod autem bonum est "per se," longè meliùs esse, quàm bonum "per accidens." Celebre est, quod excitandis sacerdotibus ad quotidianam, aut frequentem missæ celebrationem scripsit D. Bonaventura de præparatione, ad missam cap. 5. "Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio et gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et se ipsum medicinâ et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates." Et S. Antoninus summæ 3. part. tit. 3. cap. 6. sec. 15. ad frequentiorem missæ celebrationem, inculcandam considerat sacrificii dignitatem et excellentiam, suavem quam ex eo sacerdos utilitatem capit, commoda spiritualia, quæ indè ad fideles proficiscuntur, qui missæ adstant, onus quod incumbit sacerdotibus suscepto ministerio fideliter satisfaciendi, cum sacerdotali ordine sunt initiati, nimirùm ut inter Deum mediatores sint et homines, et orent pro vivis atque defunctis, ac denique periculum, cui fit ille obnoxius, qui raro celebrat missam, ne in aliquem labatur defectum, quo vel omninò indignus satisfaciendo suo muneri, vel inhabilis fiat. Quas quidem rationes omnes fusè reperies explicatas in dictionario Pontas verbo "Missa" cas. 50.

II. Sunt autem qui contrà putant, meliùs consultum si pauciores missæ celebrarentur; ac dictum Tertulliani suggerunt, "Semper abundantia contumeliosa in se est," et illud Amalarii diaconi Metensis lib. 3. de Ecclesiast. Offic. "Quidquid raro fit, pretiosius fit,

cùm fit:" afferunt etiam considerationem devoti auctoris "De imitatione Christi:" is adversus cordis duritiem hominum exclamat, qui de tanto tamque ineffabili dono nihil aut parum cogitent, et quotidianâ consuetudine in negligentiam, et indifferentiam decidant: producunt etiam Odonis secundi abbatis Cluniacensis sententiam, qui in suis collationibus ait, in Ecclesiæ primordiis haud ita sæpe, sed majori cum devotione missam celebrari consuevisse. "Quod mysterium primordiis Ecclesiæ non tam frequenter, ut nunc, celebrabatur: tamen quantò rariùs, tanto religiosiùs agebatur; at nunc valde quidem, valdè frequenter, sed quod nimis dolendum est, negligentiùs frequentatur." Denique ad experientiam provocant, quæ demonstrat eos sacerdotes, qui rariùs celebrant, sensibili compunctione cordis, et multis cum lacrimis sacrificium offerre; nec illud prætermittunt, quod pii prudentesque animarum rectores consilium dant sacerdotibus, ut aliquoties missam omittant, nec quotidie celebrent.

III. Quâ oratione plura capita continentur. Primò illud pretiosius esse ajunt, quod rarius. Sed hoc nihil ad hanc rem, de qua agimus. Sacrificii enim pretium ex iis spiritualibus bonis, quæ supra memoravimus æstimandum est; quæ bona eò sunt majora, quò frequentius fit sacrificium. Secundò ajunt, è consuetudine homines in negligentiam et indifferentiam labi; atque id quoque ad rem hanc nihil pertinet; cùm enim dicimus, melius esse quotidie, vel quàm frequentissimè celebrare, illud certè volumus, eum qui celebrat, bene esse dispositum. Tertium ad veteris Ecclesiæ consuetudinem pertinet, de qua paulò post disseremus. Quartum est de majori compunctione, sensibili devotione, et lacrymis eorum, qui celebrant rariùs; ubi quædam latet ambiguitas; neque enim quòd sensibili cordis compunctione et lacrymarum dono careamus, aut quòd defectu aliquo laboremus, quotidiana propterea intermittenda est missæ celebratio; satis enim est, quo sacerdos missam dignè celebret, is indignus non sit, omnemque moralem, et quæ in hominem cadere potest, diligentiam adhibeat. Ita S. Antoninus loc. citato: "Si quis autem illam dispositionem" (celebrandi missam) in se judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, profusione lacrymarum, fervore mentis, et similibus sentimentis, ita quòd tunc credat se dispositum,

quando tale quid sentit, et quando non percipit, indispositum, valde incautè ambulat, et sæpissimè decipitur. Multoties qui nil talium habent, sunt in magno statu gratiæ, et qui habent, sunt omnino extra gratiam gratum facientem. Sæpe enim contingit, hominem ab hujusmodi fervoris affectibus impediri sine omni sua culpa, imò cum magno merito." Et Suarez loc. cit. "Dummodo indignus non sit, et moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis sit imperfectus, non debet ab hoc sacro munere cessare." Joannes Gerson celebris Doctor et rerum usu peritus theologus Tract. de præparat. ad missam considerat. 2. satis esse docet ad missam dignè celebrandam, si sacerdos post discussam diligenti examine suam ipsius conscientiam moraliter certus sit se esse in statu gratiæ; et considerat. 3. ait, non omnem fervoris aut attentionis defectum obstare, quominus missa dignè celebretur; id enim sæpenumero ex inferioris partis rebellione fieri, quæ non pendet ab arbitrio nostro. Consideratione verò 21. docet, satiùs esse missam celebrare, quàm propter fervoris defectum ab ea celebranda abstinere. "Sed frigidus sum, dicis, aut tepidus. Sœpe suscipit initium celebrationis hominem parum devotum et frigidum, quem in fine calescentem dimittit, et fervidum.

IV. Consentiunt cum his Thaulerus, et Lud. Blesensis, magni regendarum in via perfectionis animarum magistri, quos sequitur Petavius theologicorum dogmatum l. 4. c. 1. Antonius Molina Carthusianus monachus in libro de Instructione sacerdot. tractatu 7. cap. 8. magnâ sanè pietate et devotis sensibus ostendit, sacerdotibus, qui satis dispositi sunt ad celebrandum, non prætermittendum esse sacrificium ex causa humilitatis et reverentiæ, tum eos etiam esse reprehendendos, qui propter occupationes et temporales curas celebrare omittunt. Postremum caput, quod objiciebat, consilia continet, quæ ab animarum rectoribus, dantur sacerdotibus, ne quotidie celebrent, sed aliquoties ab offerendo sacrificio abstineant. Verùm hæc est generalis regulæ limitatio, regula autem à limitatione non potest everti. S. Philippum Nerium tradit Baccius in ejus vita lib. 2. cap. 1. omnibus sacerdotibus, quorum confessiones audiebat, consilium dare consuevisse, ut quotidiè celebrarent, etiamsi tum temporis haud ita frequenter sacerdotes sacrificium facere

solerent; quibusdam verò ne quotidie celebrarent vetasse, idque ut eos mortificatione subigeret, eisque majoris meriti occasionem præberet. In libro cui titulus: "S. Francisci Salesii Spiritus," typis edito Lutetiæ anno 1727. part. 2. cap. 20. proditum est, quo pacto sanctus ille Episcopus sacerdoti cuidam ætate florenti, probis tamen et incorruptis moribus persuaserit, ut quotidie missam celebraret, quam in dominicis tantùm et festis diebus celebrare solitus erat, tum propter juvenilem ætatem, tum propter defectum mortificationis, tum etiam quod metueret, ne tanto abuteretur mysterio, diceretque se non eam vitam vivere, quam postularet quotidiana missæ celebratio: Cui sanctus Franciscus ostendit, nullius esse roboris rationes, quas afferret; sancto enim frequentique usu futurum fuisse, ut ejus juvenilis ætas confirmaretur, tentationum impetus refringerentur, ejus infirmitas stabiliretur, et asperæ viæ complanarentur; quòd si humilitatis causâ in animum induceret à celebranda missa abstinere, de Ecclesia, ejusque necessitatibus, et de leniendis defunctorum purgatorii pœnis cogitaret, tum ne Deum augmento gloriæ suæ, Angelos gaudio, reliquosque Sanctos peculiari voluptate cœlesti fraudaret: quibus consiliis sacerdos ille conquievit, responditque: Fiat, fiat: ac triginta annorum spatio, quo ex tempore vixit, nunquam sine legitima causa missam celebrare omisit.

> "Aliam dein objectionem quæ ex veteri Ecclesiæ disciplina desumitur, pluribus refellit Pontifex atque tandem concludit his verbis:" Verissimum est magis consentaneam esse Jesu Christi et Ecclesiæ sensui quotidianam missæ celebrationem, modò cum iis, quibus æquum est, dispositionibus celebretur.

No. 11.

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

Super Missarum Stipendio

Bullarii tom. I. N. 22.

(Citatur N. 14. de Sacrificio Missæ, Tom. V.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium non solùm omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; verùm etiam ut à tanti sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleëmosynarum exactiones potiùs, quàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, è medio tollantur, nemo est ex catholicæ fidei cultoribus qui ignoret.

Sec. 1. Verùm eòusque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum, sive ecclesiasticorum, sive laïcorum vivorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleëmosynas quidem seu stipendia propter missarum

celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel diœcesanarum Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus præscripta, colligant, missas verò celebrari curent alibi, ubi eleëmosynæ, seu stipendia, vel consuetudine, vel synodali lege, pro singulis missis attributa sunt minoris pretii, quàm illic, ubi accipiuntur, darentur.

Sec. 2. Id quàm absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita piè offerentium voluntate, omnes planè intelligunt. Nec aliter existimandum; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis et pietatis stimulis ductus, eleëmosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quàm in alia ecclesia sibi prorsùs ignota. Quod sanè, veluti mercaturis faciendis à turpis lucri cupiditate inductum, non solùm ab avaritiæ suspicione et vitio, verùm etiam à furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleëmosynis ad celebrandas missas ampliùs offerendis sese abstineant.

Sec. 3. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices prædecessores nostri, de consilio tum congregationis S. R. E. cardinalium universalis inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, decretum voluerunt, nimirum à quolibet sacerdote, stipendio, seu eleëmosynâ majoris pretii pro celebratione missæ à quocumque acceptâ, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleëmosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleëmosynam accepisse indicasset.

Sec. 4. Ea propter vos, Venerabiles Fratres, in apostolici ministerii, et sollicitudinis nostræ partem adscitos, rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tanquam à radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritiâ quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes

sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere ac servire mammonæ docens, efficit, ut avari hæreditatem non habeant in regno Christi, et Dei. Quod si hæc in laïcis hominibus minimè toleranda, atque ideò legibus coercenda; quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium, tam sordidè, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solùm ut verbo, et exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verùm etiam ut ecclesiasticos primùm, deindè laïcos viros ab infectis vitiorum pascuis evertentes per viam mandatorum Dei ad cœleste ovile currere doceatis.

Sec. 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur: per Edictum in vestris diœcesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleëmosynas, seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, missas, retentâ sibi parte earumdem eleëmosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia, seu eleëmosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laïcum quidem, seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; clericum verò, sive quemcumque sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere; à quibus nullus per alium, quàm per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interia Fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem, in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam, peramanter impertimur.

Sec. 6, Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu

alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxx. Junii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatûs nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

No. 12.

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

Super Missa Parochiali.

Bullarii tom. I. N. 103.

(Citatur N. 15. de Sacrificio Missæ, Tom. V.)

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cum semper ablatas nobis occasiones apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum verò majori animi

alacritate idipsum præstamus, quum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in clero regimini vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovetur. Nec enim impositum inbecillitati nostræ omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere nos posse confidimus, quàm si divini cultûs augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis diœcesibus custodiam religiosæ vigilantium pastorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Sec. 1. Hujus porrò epistolæ ad vos scribendæ occasionem nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curæ commisso; tum etiam applicatio missæ conventualis, quæ pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici prædictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minimè nova, sed à scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus almæ Urbis nostræ congregationibus, et potissimùm in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, cujus secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earundem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam pontificiam prædecessorum nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minimè tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrûm non adhuc pervenisse. Quapropter non modò opportunum, verùm etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublatâ demùm diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat; et fraternitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam synodales, aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes, seu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum verò exequutionem, dum, juxta ea, quæ in præ-

sentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, quâ decet, sollicitudine ac vigilantiâ urgere studebitis, minimè dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad hujus nostræ curiæ tribunalia forsitan habendi; utpotè quos omninò rejiciendos esse præcipimus ac jubemus; quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum tribunalium registris asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones, quàm de vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, et conferri mandamus.

Sec. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum missæ sacrificium à pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex Divino præcepto descendens à sacra Tridentina Synodo disertè exprimitur "sess. 23. cap. 1. de Reformat." per hæc notabilia verba: "Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre." Et quamvis minimè defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem à sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, quumque prædicta Congregatio ejusdem concilii interpretationi privativè præposita constanter edixerit eos quibus animarum cura demandata est, non modò sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleëmosynam percipere posse; quodque magis interest, quum hæc intelligentia à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus approbata fuerit, et confirmata; nihil jam amplius ulli vestrûm desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, nec non illius promptam executionem in vestris respectivè diœcesibus, omni studio procurare debeatis.

Sec. 3. Neque nos tamen, qui, ut superiùs innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus secretarii prædictæ congregationis concilii Tridentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ cathedralis, partim in metropolitanæ Bononiensis, patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc reti-

nemus, gubernatione assiduè transegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportunè à nobis est occurrendum.

Sec. 4. Quum enim sacrum Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, utì videre est "in sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 5. et 7. sess. 21. cap. 6. sess. 25. cap. 16;" non rarò autem eveniat, ut aliquâ ecclesiâ parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda hujusmodi ecclesiæ onera, usque ad novi rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem concilio Tridentino id jubente "sess. 24. cap. 18. de Reform." nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur se ipsos à prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quòd, habituali curâ penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quòd ipsi sint ad nutum amovibiles: vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hìc loquamur de parochis regularibus, qui à prædicta applicatione missæ pro populo nonnunquàm alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries à prælaudatis congregationibus judicatum fuit ac definitum, quòd omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solùm parochi aut vicarii sæculares, verùm etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus suprà dictum est, atque alii quicumque etiam specificâ, et individuâ mentione digni æquè teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

Sec. 5. Nonnulli verò ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquàm in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et quatenùs opus sit, auctoritate apostolicâ iterùm tenore præsentium decernimus et declaramus, quòd licèt parochi, seu alii, ut suprà animarum curam habentes congruis præfinitis redditi-

bus destituantur, et quamvis antiquâ seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus seu parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominùs omninò inposterùm ab ipsis debeat applicari.

Sec. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes missæ sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideò statuere voluimus, eosdem aut quotidiè, aut quotiescumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina Synodus "sess. 23. cap. 14." præcepit Episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis, et festis solemnibus missarum sacra faciant, "si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent;" in pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus providè constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debeant. At verò Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirùm iidem pro popolo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id quod aliàs à Congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempè pinguibus redditibus potatum quotidiè pro populo celebrare et applicare debere: eum verò qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantùm diebus id ipsum præstare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirùm ad quam summam pertingere debeant ecclesiæ parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minimè habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tamquam plus æquò rigidum, excitatæ Nobis innotescant; idcircò opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, Nobis abundè satisfactum fore, vobisque proindè satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missæ pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto; quum prædicti dominici, aliique festi dies ii sint, quibus juxta præceptum concilii Tridentini "sess. 5. cap. 2. et sess. 24. cap. 4." quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere

debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta Synodus statuit, ut "moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei:" et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debent, juxta id quod à prædicto Concilio in cit. "cap. 4." Episcopus præcipitur, ut nempè "saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri" curent.

Sec. 7. Et quia in nonnullis diœcesibus numerus dierum festorum de præcepto, de apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenùs est imminutus, ut nempè in aliquibus festis Christi fideles et missam audire, et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis verò populo permissum sit opera servilia exercere, firmâ remanente obligatione audiendi missæ sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis missæ parochialis in hujusmodi diebus festis penitùs eliminentur: statuimus et declaramus, quòd etiam iisdem festis diebus, quibus populus missæ interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes, missam pro populo celebrare et applicare teneantur.

Sec. 8. Quia verò propriâ nonnunquàm experientiâ satis agnovimus, aliquos esse parochos adeò pauperes, ut fermè ex eleemosynis, quas à fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos verò, qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub vicarii, seu œconimi nomine deputantur, aliquibus in locis adeò illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægrè, ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non rarò evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali curâ apud alios manente actuali tantùm exercitio sunt addicti; proindèque cum istis severè nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimùm hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missæ recipere: idcircò Nos tam istorum, quàm illorum inopiam summopere miserantes eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes;

quamvis, ut suprà dictum est, omnes et singuli prædicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos parochos egentes unicuique vestrûm facultatem concedimus cum iis, quos reverâ tales esse noveritis opportunè dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenùs id ab eo requiratur liberè et licitè possint et valeant; dummodò ad necessariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent; eâ tamen abjectâ conditione ut tot missas infrà hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infrà eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Sec. 9. Quod autem spectat ad vicarios, sive œconomos ecclesiarum vacantium, quum à sacro Tridentino concilio "cit. sess. 24. cap. 18." cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputendi et constituendi, "cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione;" vestrûm erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exiguâ hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum cameræ nostræ apostolicæ exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum corum collectoribus, cum quibus Episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo suprà diximus, interponere debebunt.

Sec. 10. Ac demùm quoad illos, qui tanquàm vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione ecclesiæ parochialis ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitæ; quamvis à recol. mem. Prædecessore nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, proùt in ipsius constitutione, quæ incipit,

"Ad exequendum," data Kalendis Novembris Anni 1567. distinctè statuitur: nihilominùs ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integrè vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ constitutionis eisdem fuerit attributa, minimè sufficiens à vobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina "sess. 7. cap. 7," dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis vicariis fructum portionem assignare: quam ob causam Nos etiam fraternitatibus vestris, quatenùs opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversùs ea, quæ salubriter à vobis constituta fuerint, minimè suffragantibus.

(*Cætera, quæ de missa conventuali in cathedralibus* etc. *sunt, omittuntur.*)

Datum Romæ apud S. Mariam majorem die 19. Augusti 1744.

DE

POENITENTIA.

N. 251.

PROPOSITIONES EX ACTIS SYNODI PISTORIENSIS EXCERPTÆ, ATQUE A PIO VI DAMNATÆ PER BULLAM AUCTOREM FIDEI, DATAM 5 CAL. SEPTEMBRIS 1794.

De timore servili.

XXV. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet "duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;"

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus à Deo inspiratus, præparans ad amorem justitiæ,

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, aliàs damnata, contraria doctrinæ concilii Tridentini, tum et communi Patrum Sententiæ; "opus esse" juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, "ut intret timor primò, per quem veniat caritas: Timor medicamentum, caritas, sanitas."

(Spectat ad N. 27. De Poenit, Tom 6.)

De ordine pœnitentiæ.

XXXIV. Declaratio Synodi, quâ postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantùm pro punitione culpæ, sed præcipuè pro dispositione ad gratiam, subdit se "in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam à subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt;"

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

(Spectat ad N. 118. De Poenit, Tom 6.)

XXXV. Propositio his verbis concepta: "Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis, oportet ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium, post jam collatam absolutionem, videtur potiùs materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quàm medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet præcedere absolutionem: longè quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admise-

rimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis;"

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quàm ut pœnitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem,

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali notâ in Petro de Osma confixum.

(Spectat ad eundem N, Tom 6.)

De prævia necessaria dispositione pro admittendis pœnitentibus ad reconciliationem.

XXXVI. Doctrina Synodi, quâ postquam præmisit: "Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in sacramentis," subdit, "supposititias conversiones quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:" Consequenter "pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis caritatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad sacramenta," quæ signa, ut deinde tradit (sec. 17.) "pastor deducere poterit ex stabili cessatione à peccato, et fervore in operibus bonis," quem insuper "fervorem caritatis" perhibet ("de Pœnit. sec. 10.)" velut dispositionem, quæ "debet præcedere absolutionem;

Sic intellecta, ut non solùm contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolutè requiratur, ut homines ad sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria sacramenti efficaciæ detrahens, et injuriosa.

(Spectat ad eundem N, Tom. VI.)

De auctoritate absolvendi.

XXXVII. Doctrina Synodi, qua de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, "post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorio, sive jure quodam personali," propterea quod "aliter confusio induceretur et perturbatio:"

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo "conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos:" sic intellecta, tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem à sacerdote prolatam,

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

(Spectat ad N. 100. de Pœnit. Tom. VI.)

XXXVIII. Item doctrina, quâ postquam Synodus professa est, "se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ," ut ait, "ad pœnitentiam non ità facile, et fortè nunquam eum admittebat, qui post primam reconciliationem relapsus esset in culpam," subjungit, "per timorem perpetuæ exclusionis à communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frœnum illis injectum qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent,"

Contraria Can. 13. concilii Nicæni I, Decretali Innocentii I, ad Exuperium Tholos., tum et Decretali Cœlestini I, ad Episcopos Viennen. et Narbonen. Provinciæ, redolens pravitatem, quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.

(Spectat ad N. 23. de Pœnit. Tom. VI.)

De peccatorum venialium confessione.

XXXIX. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,

Temeraria, perniciosa, Sanctorum ac piorum praxi à S. conc. Trid. probatæ contraria.

(Spectat ad N. 9. de Pœnit. Tom. VI.)

De indulgentiis.

XL. Propositio asserens, "indulgentiam secundùm suam præcisam notionem aliud non esse quàm remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti?"

Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in Art. 19. Lutheri damnata.

(Spectat ad N. 238. de Indulg. Tom. VI.)

XLI. Item in eo quod subditur, "Scholasticos suos subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum; et claræ notioni absolutionis à pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationem meritorum."

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum;

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in Art. 17. Lutheri damnata.

(Spectat ad N. 236. de Indulg. Tom. VI.)

XLII. Item in eo quod superaddit, "luctuosius adhuc esse quod chimœrea isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos,"

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali notâ in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in Art. 22. Lutheri.

(Spectat ad N. 245. de Indulg. Tom. VI.)

XLIII. In eo demùm quod impudentissimè invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.,

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim totâ Ecclesiâ frequentatam contumeliosa.

(Spectat ad N. 248. de Indulg. Tom. VI.)

De reservatione casuum.

XLIV. Propositio Synodi asserens, "reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quàm improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus, assuetis non admodum curare hanc reservationem;"

Falsa, temeraria, malè sonans, perniciosa concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

(Spectat ad N. 298. de Pœnit. Tom. VI.)

XLV. Item de spe, quam ostendit, fore "ut, reformato rituali et ordine pœnitentiæ, nullum ampliùs locum habituræ sint hujusmodi reservationes;"

Prout attentâ generalitate verborum innuit per reformationem ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo, aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (Sess. 14. c. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, peculiari suo judicio reservare;

Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

(Spectat ad eund, N. Tom VI.)

De censuris.

XLVI. Propositio asserens, "effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ;"

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis ligans in cœlo, animas obligans;

Ex S. Aug. Ep. 250. Auxilio Episcopo. Tract. 50. in Johan. n. 12.

Falsa, perniciosa, in Art. 23. Lutheri damnata, ad minus erronea.

(Spectat ad N. 2. de Censuris, Tom. VI.)

XLVII. Item quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas "ipso facto," non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

XLVIII. Propositio quæ pronuntiat, "inutilem ac vanam esse formulam, nonnullis abhinc sæculis inductam, absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset,"

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

(Spectat ad N. 24. de Pœnit. et N. 11. de Censuris, Tom. VI.)

XLIX. Item quæ damnat ut nullas et invalidas "suspensiones ex informata conscientia;"

Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.

(Spectat ad N. 6. de Censuris, Tom. VI.)

L. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14, c. 1, de Ref.) suspensionis "ex informata conscientia" legitimè infligendæ,

Jurisdictionis prælatorum Ecclesiæ læsiva.

(Spectat ad eund. N. Tom. VI.)

N. 252.

DE QUÆSTIONE, EJUSQUE USU IN SYNODALIBUS CONSTITUTIONIBUS, QUOAD NECESSITATEM ALIQUALIS DILECTIONIS DEI IN ATTRITIONE EX METU GEHENNÆ CONCEPTA, AUT DICTÆ NECESSITATIS EXCLUSIONEM.

Ex Bened. XIV. de Synodo Lib. VII. cap. 13.

(Spectant ad N. 52. de Pœnit, Tom. VI.)

Sancta Tridentina Synodus " sess. 14. cap. 4. de Pœnitentia" duplicem distinguens contritionem, utriusque virtutem, et efficaciam in hunc modum explicat: " Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eam ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit."

II. Ex his concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa attritio, quæ ad Dei gratiam, in sacramento pœnitentiæ impetrandam, disponit. Atque, ut in primis de ipso attritionis vocabulo aliquid dica-

mus, illud non esse antiquissimum, neque ante annum 1220. in scholis vulgari cœptum, eruditi omnes optimè norunt, cum Morino "de Pœnit. lib. 8. cap. 2. num. 14." Quod tamen per nomen significatur, et Patribus, et theologis semper perspectum fuisse, nemo dubitat: omnes quippe duplicem semper agnoverunt contritionem: unam perfectam, quæ ex se justitiam et sanctitatem affert; alteram imperfectam quæ sola homini justificando impar est. Hanc verò contritionem imperfectam, visum est scholasticis, congruo vocabulo, appellare attritionem. "Sicut enim (inquit Estius in 4. distinct. 16. §. 9.) in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantùm, læsum est, aut comminutum: contritum verò, quod totum intus, et foris fractione in minima resolutum est: ita in spiritualibus attritio ab illis dicta est imperfecta quædam, et aliquo usque tantùm progressa pœnitentia: contritio verò pœnitentia intima, et perfecta."

Porrò ex multiplici capite potest hæc contritionis imperfectio dimanare: et primo loco valdè imperfecta est contritio, quæ non est supernaturalis, sed unicè movetur ab objecto naturali, aut non elicitur viribus gratiæ. Hanc sufficientem non esse ad justificationis gratiam, tam extra, quàm intrà sacramentum consequendam, omnes fatentur: est enim similis pœnitentiæ Antiochi, qui peccatum deflebat, non quod esset offensa Dei, sed propter gravissimum morbum, quo cruciabatur; qua de causa veniam à Deo non est consequutus, 2. "Machab. cap. 9." et quamvis aliquot ex veteribus scholasticis visi sint huic naturali attritioni vires tribuere ad hominem Deo reconciliandum, eorum tamen opinio proscripta est ab Innocentio XI. qui anno 1679, hanc propositionem "num. 57." damnavit: "Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam." Advertendum tamen, ne quis confundat motivum pœnitentiæ, cum occasione, quâ ad pœnitentiam excitatur; etenim multi, morbo, aliove temporali malo vexati, perpetrata crimina mente revolvunt, et, Dei gratiâ auxiliante, illa ex motivo superno, seriò detestantur; sicuti accidit Ninivitis, qui timore mortis temporalis, ac subversionis urbis; quam Jonas prænuntiabat, commoti per veram, sinceram, et supernaturalem contritionem ad Deum conversi sunt.

IV. Imperfecta pariter est contritio, quæ ab aliquo

dumtaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit: evenire enim potest, ut quis ex speciali affectione erga aliquam virtutem, peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat cætera præcavendi, quæ aliis virtutibus adversantur. Ac demùm imperfertissima erit, nec contritionis nomen ea merebitur, quæ non procedat ex deliberata voluntate, sed potiùs sit quædam velleitas, seu sterilis, atque inefficax displicentia de peccato, absque absoluto propositio in posterum non peccandi. Evidens porrò est, neutram ex his posterioribus contritionibus ad justificationem prodesse, quia neutra excludit voluntatem peccandi, sicuti Tridentinum exposcit, neque ad illam pertinet pœnitentiam, quam à nobis exigit Dominus, Ezechielis cap. 18. "Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum."

V. Alia est contritio supernaturalis, et efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominùs, aliis nominibus, dicitur inperfecta, et in quam unicè cadit controversia, quam proposuimus. Et primò quidem potest contritio esse imperfecta, imperfectione "merè negativâ;" quia scilicet, etsi concipiatur ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur contritio perfecta, ad istius tamen intensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, et remissa. Secundò dicitur imperfecta, quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, hoc est dilectum, non quatenus est in se summè bonus, sed quatenus est bonus nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, et finis ultimus. Tertiò, et plerumque, nomine contritionis imperfectæ intelligitur dolor de peccatis, unicè conceptus, atque elicitus propter eorumdem turpitudinem, aut solum metum pœnarum, et gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Verùm hæc eadem contritio imperfecta potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo Dei amore initiali; quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est applicare

hunc amorem initialem, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem tenuissimum, atque in minimo gradu: ac proinde hæc quarta species contritionis imperfectæ videtur ferè coincidere cum prima ex nuper enumeratis, neque in alio ab ea differre, nisi quod illa sit ex solo charitatis motivo, hæc verò admixtum etiam habeat timorem pœnarum.

VI. His positis, quamvis ante Tridentinum communiter theologi docuerint, ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam, satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum "attritionem" nuncupabant; attritionis tamen nomine, nunquam dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quàm ex motivo charitatis, seu omninò sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei: sicuti testatur doctissimus Morinus "cit. lib. 8. cap. 4. num. 2." Omnium autem primi Franciscus Victoria, et Dominicus Soto, ambo ex ordine Dominicanorum, docuerunt, ad peccatorum remissionem, virtute calvium, assequendam, satis esse attritionem merè servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ; modò tamen hæc à pœnitente bonâ fide reputetur contritio, ad quam ceteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere affirmarunt. At Melchior Canus, Victoriæ, et soti sententiam sequutus, eam præteria extendit ad Attritionem merè servilem, sic cognitam, hoc est, quæ à pœnitente non existimetur vera contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis reverà est. Enimverò, si materia proxima sacramenti pœnitentiæ esset vera contritio, error pœnitentis, bonâ fide se contritum reputantis, cùm reverà contritus non sit, eum quidem excusaret à culpa, sed non disponeret ad gratiam assequendam in sacramento, quod ex defectu materiæ proximæ, esset irritum: eo pacto, quo, qui, solo elicito actu doloris merè naturalis, quem tamen credit supernaturalem, ad sacramentum pœnitentiæ accedit, non fit utique sacrilegii reus, sed sacrimenti effectu privatur: quemadmodum rectè ratiocinatur Suarez "tom. 4, in 3. part. disp. 20. sect. 4. num. 15. et seq." Quamobrem, si ad sacramentum pœnitentiæ sufficit attritio servilis, quæ reputetur contritio, ut voluit Sotus, necessariò indè consequitur, sufficientem etiam esse attritionem merè servilem, ut docuit Melchior Canus.

VII. Melchioris Cani sententia, vix nata, scholas

omnes pervasit, et tanto plausu excepta est, ut plurimos, ac magni nominis statim invenerit patronos: "Sed præ cæteris (inquit Morinus cit. loc.) hanc opinionem celebrem reddiderunt duo theologiæ scholasticæ clarissima et famosissima lumina, Franciscus Suarez, et Gabriel Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur theologi." Verùm, qui inter istos doctiores, et sapientores habentur, pavidi quodammodo, et meticulosi, ac magna cum cautela, illi recenti opinioni subscripserunt, quam ipsemet Canus nonnisi dubitanter astruxerat "part. 5. relect. de Pœnit." inquiens: "Contritio ponitur pars sacramenti, quia est certa et indubitata materia. Quod autem contritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeò certum et indubitatum; et ideò concilium Florentinum, communisque sententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit, contritionem partem esse hujus sacramenti." Hâc eâdem moderatione loquitur Suarez "tom. 4. in 3. part. quæst. 90. art. 4. disp. 15. sect. 4. num. 17." ubi obligans fideles, qui lethalem culpam admiserunt, ad habendam contritionem charitate perfectam in articulo mortis, hanc affert rationem: "Nam, licèt sit probabilis opinio, attritionem cognitam cum sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, et potest esse falsa. Quod si fortasse in re ita est, probabilis ista existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens, et videns, ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo morali æternæ damnationis. Nam, ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi. Hìc autem est morale dubium, cùm illa opinio nec valdè antiqua, nec multum communis sit." Suaresii monitum confirmat Philippus Gamachæus "Summ. Theolog. cap. 8. de Pœnit." inquiens: "Etiamsi agnoscamus, sacramentum pœnitentiæ reverà facere ex attritis contritos, non tamen id omninò indubitatum... ...Ergo debet tunc conari ad veram contritionem, ut hoc modo attritio saltem evadat certior. Et Paulus Comitolus "Respons. moral. lib. 1. quæst. 32." licet absolvi posse doceat, qui, ex sola formidine æternæ pœnæ, de peccatis dolet, hæc tamen prudenter addit: "Plures, magnique theologi, in pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram, charitate formatam, requirunt, neque usque adeò certum est, attritionem pœnitenti esse satis. Quocirca sacerdotis partes præ-

cipuè esse debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis, auxiliante Deo, elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia." Sed, quod isti tantâ adhibitâ circumspectione, affirmarunt, posteriores doctores, ob auctum sibi consentientium numerum, animosiores facti, non solùm absque ulla dubitatione, et limitatione, asseruerunt, sed contrariam sententiam, requirentem in pœnitente aliquem charitatis amorem, saltem initialem, carpere, et censurâ afficere non dubitârunt, eam omninò improbabilem, periculosam, Tridentini menti contrariam, atque implicitè, et virtualiter quodammodo ab eodem Tridentino proscriptam, dictitantes. Verùm istos redarguit Card. Pallavicinus, disertè affirmans, unicum Tridentini scopum fuisse, damnare hæreticos improbantes timorem servilem, tamquam inhonestum, neutiquam verò definire controversiam, jam tum inter doctores catholicos agitatam: "lib." enim "12. hist. Trid. cap. 10. num. 25." hæc ad rem appositè scribit: "Quantum ex actis conjicio, theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item, ut ferret sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor non solùm absque contritione animi perfecta, (de quo controversia vix fuit, sicut patebit) sed etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in sacramento. Id verò clarè liquet ex ipsa probatione concilii, quâ hujus articuli doctrinam firmat cap. 4. nimirum Ninivitarum pœnitentiam, ex timore profectam, ipsis profuisse, cùm certum esset, eo tempore, quo sacramentum pœnitentiæ adhuc non exstabat, eam formidolosam pœnitentiam minimè suffecisse, per se ipsam, ad peccatum delendum, sed vim tantummodò habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitas." Testatur deinde idem probatissimus historicus, supra citatum decretum "cap. 4. sess. 14." fuisse prius ita concinnatum, ut in eo diceretur, attritionem ex metu gehennæ et pœnarum, "sufficere" ad Dei gratiam in sacramento impetrandam, sed intercedente Joanne Æmiliano, Tudetano Episcopo ablatum fuisse verbum illud "sufficere," ejusque loco subrogatum verbum "disponit," quod profectò æquivocum est, et referri potest cùm ad dispositionem proximam, tum ad re-

motam, sicuti opportunè observant Petrus Lambertus le Drou "in Tractat. de Contrit. et Attrit. dissert. 1. sec. 1. et seq." Natalis Alexander "Theolog. dogmat. et moral. lib. 2. de Sacram. pœnit. art. 3. propos. 3." Juenin "de Sacram. dissert. 6. quæst. 4. sec. 3." Tournely "de Pœnit. quæst. 5. art. 2." Vuitasse "eodem tract. quæst. 3."

VIII. Ad hæc, ut observant Launojus in dissert. de mente concilii Tridentini circa contritionem et attritionem "part. 2. cap. 2." et citatus le Drou sec. 3. ex ipsismet Patribus, et theologis, qui concilio Tridentino interfuerant, eodem Concilio absoluto, aliqui propugnarunt necessitatem inchoatæ contritionis, seu amoris initialis; ad sacramentum pœnitentiæ, inter quos Fredericus Nausea, Episcopus Viennensis in Austria, in suo catechismo, et Franciscus Sonnius Episcopus Antverpiensis "tract. 6. de Pœnit. cap. 4." alii pro sufficientia attritionis merè servilis dimicarunt, utì Andreas Vega, et citati Dominicus Soto, et Melchior Canus. Non autem fuissent præsules, et theologi in has oppositas sententias distracti, si quid à concilio Tridentino de hac re definitum scivissent.

IX. Cùm itaque versemur in quæstione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maji 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sedi apostolicæ reservatæ, præcepit "cunctis, et singulis fidelibus...... ut, si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, cæterosve erudient, non audeant alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ notâ, taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum." Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut in instructione sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis merè servilis ad sacramentum pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe sub judice lis est: adhuc impunè pro una, et altera sententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus "Theolog. tom. 3. in 3. part. D.

Thomæ, quæst. 4. de Contritione dub. 4. sec. 1." sententiam propugnavit non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad justificationis gratiam in sacramenta pœnitentiæ assequendam. Hac ipsa in urbe, operâ et curâ P. Caroli Jacobi Romilli, ordinis Minorum Conventualium Generalis Ministri, typis recusum est opus Claudii Frassen inscriptum "Scotus Academicus:" cujus Auctor "tom. 10. pag. pag. 563." strenuè defendit, attritionem ex solo metu pœnarum, et gehennæ, atque ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei, conceptam, modò supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad sacramenti pœnitentiæ fructum in se derivandum. Contrà verò Cardinalis Denhoff, Episcopus Cæsenatensis, "in sua Instructione pastorali de pœnit. sacram. pag. 33." aliqualem amorem in attritione requirit, ut sit sufficiens sacramenti pœnitentiæ materia. Franciscus Maria Campioni anno 1698. doctam elucrabavit dissertationem theologico scholasticam, in qua totis viribus conatus est demonstrare necessitatem aliqualis amoris Dei saltem imperfecti, et initialis, ad impetrandam gratiam in sacramentis, quæ dicuntur "mortuorum." Et laudatus Petrus Lambertus le Drou, Episcopus Porphyriensis, apostolici Sacrarii Præfectus, cùm per urbem evulgatam vidisset dissertationem, à Bartholomæo Rivio, ejusdem sui Augustiani instituti theologo, exaratam, in qua auctor decertat pro sufficientia attritionis, omnis charitatis expertis, ad validè, et cum fructu recipienda sacramenta baptismi, et pœnitentiæ, eidem statim contradictorem se præbuit, aliisque editis dissertationibus, san. mem. Clementi XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam; contendens, attritionem merè servilem, ne à sacramento quidem vires sortiri, quibus valeat hominem proximè disponere ad Dei gratiam vel primò obtinendam, vel amissam recuperandum. Hinc rectè intulit Berti "Theolog. tom. 7. lib. 34. cap. 5." nihil hactenus à Sede apostolica de hac quæstione decisum, sed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, et docendi, quam maluerit.

X. Sed non ideo prohibentur Episcopi confessarios monere, ut pœnitentes ad veram et perfectam contritionem hortentur, et excitent: id siquidem faciendum

suadent etiam præcipui auctores, qui pro sufficientia doloris, ex solo metu gehennæ, steterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus, quorum testimonia supra retulimus. Et, quod magis est, ita fieri præcipit rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, "tit. 18." Confessario injungens, ut auditâ pœnitentis sacramentali confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, "opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paternâ charitate adhibeat, et ad dolorem, et Contritionem efficacibus verbis adducere conetur:" cui consonat Rituale Argentinense, editum à Cardinali de Rohan, "tit. de Pœnit. sec. 1." ubi hæc habuntur; "Cæterum pœnitentes suos admonere cessent confessarii, ne se putent securos in sacramenti pœnitentiæ perceptione, si præter fidei, et spei actus, non incipiant diligere Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur sacrosancta Synodus Tridentina."

N. 253.

DE CONFESSARIIS, QUI POENITENTES ADSTRINGERENT AD SIBI APERIENDUM NOMEN COMPLICIS IN PECCATO.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VI. cap. 11.

(Spectat ad N. 80. de Pœnit, Tom. VI.)

"Ne improbâ usurpatione dissimulatio in deterius convalescat, et fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa, quæ litteris mandata est disciplina" (utì ad Episcopos, in Toletana Synodo constitutos, appositè scripsit Innocentius I. "epist. 23. num. 2. tom. 1." Collectionis Harduini "col. 1023.")," quantocius sanè præ-

cidendus est abusus, qui sub specie severioris, et sanctioris disciplinæ, eam labefactat, quæ ab Ecclesia est tradita, veramque sacramentorum sanctitatem contaminat. Rem enarribimus, quæ non diu antea contingit. Concilium Tridentinum "sess. 14. can. 7." anathemate perstringit asserentes, non esse in sacramentali confessione necessariò aperiendas circumstantias, mutantes speciem peccati: an autem sint etiam necessariò aperiendæ, quæ inter eamdem speciem notabiliter aggravant peccatum, litigant quidem theologi; sed catechismus S. Pii V. "tit. de conditionibus, et circumstantiis, ad confessionem requisitis," S. Carolus Borromæus "in Instruct. sacerdotum, Actor. Eccles. Mediol. part. 4. pag. 765." pluresque Synodi Episcopales, quas profert Genettus "Theolog. moral. tom. 4. tract. 6. de Sacram. pœnit. cap. 6. quæst. 3." etiam istas manifestandi gravem obligationem in pœnitente agnoscunt: quod etiam inter theologos docent Suarez "de Pœnit. disp. 22. sect. 3;" Henriquez "de Pœnit. lib. 2. cap. 7. num. 6;" Thomas Sanchez "in Summ. lib. 2. cap. 32. num. 39. et lib. 4. cap. 11. num. 24;" Gonet "disp. 10. art. 3;" Salmant. "tom. 1. tract. 6. cap. 8. punct. 2." Baron. contra Amad. "disput. 2. sect. 3." aliique ab his citati. Cavere nihilominus debet confessarius, ne occasione, seu prætextu exquirendi à pœnitente peccati, quod confitetur, circumstantias, eumdem inducat ad pandendum nomen complicis, hoc est personæ, cum qua peccatum illud perpetravit: etenim, quidquid sit, quando liceat pœnitenti sui criminis socium liberè et spontè confessario revelare; certum tamen est, raró evenire posse, ut liceat confessario complicis nomen à pœnitente sciscitari, multòque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare. Et nihilominus haud ita pridem rumor ad nos pervenit, aliquot sacramenti pœnitentiæ ministros, suffultos quorumdam theologorum aut falsâ, aut malè intellectâ doctrinâ, cœpisse non solùm à pœnitentibus complicis nomen exquirere, sed ad illud sibi aperiendum, locumque insuper designandum, ubi is habitaret, eosdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifestare sacramentali absolutione. Hujus verò perniciosæ praxis hanc præferebant causam, videlicet, ut ipsi complicem postea corriperent, atque ita in ejus tantùm utilitatem hujusmodi uterentur revelatione.

Verùm nos gravia conciderantes mala, quæ inde necessariò consequebantur; proximi enim lædebatur fama; arctum sacramentalis confessionis sigillum periclitabatur; absterrebantur fideles à suis culpis confessario integrè, prout cæteroquin opus est, manifestandis; rixæ et discordiæ disseminabuntur, et tota demum perturbabatur communitas: idcirco, pro nostri supremi apostolatûs munere, prædictum tunc primò pullulantem abusum, priusquam inolesceret, præfocandum duximus nostris apostolicis litteris, incipientibus "Suprema," quæ habentur "nostri Bullarii tom. 1. num. 134." aliisque duabus posterioribus constitutionibus, quarum initia sunt "Ubi primum," necnon "Ad eradicandum," quæ insertæ sunt "ejusdem Bullarii nostri tom. 2. num. 8. et num. 20," super quibus bon. mem. Ludovicus Antonius Muratorius peculiarem dissertationem conscripsit, ac typis vulgavit.

II. Quod autem faciendum fuit à nobis, qui omnium Ecclesiarum gerimus curam, non illicitò fieri decuisset à quolibet antistite, cui unius particularis ecclesiæ commissum est regimen; is siquidem sollicitus esse debet de sua excolenda diœcesi, non de insectandis abusibus, quos audit in aliena inolescere, nisi prudenter prævideat, eosdem, si non statim retundantur, suam pariter esse mox subituros: ubi enim abusus non est, quando novæ constitutionis freno vitium cohibetur, quòd nunquam diœcesim invasit, injuriam sibi fieri credunt diœcesani, putantes nimirùm, se quodammodo infamari, quasi reos criminis, quod ipsi non admiserunt. Ad præsules verò, si fortè eorum diœceses exitiosus ille morbus inficeret, spectabat sanè opportunis sanctionibus eum quantocius propulsare; quod sanctissimè factum legimus in pluribus antiquis Synodis. In Synodo enim Bajocensi anni 1300. "cap. 82. tom. 7. Collectionis Harduini "col. 1238." habetur: "In confessione sibi caveant sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias tantùm, quæ possunt aggravare peccatum." In Synodo Lingonensi anni 1404. "Caveant sacerdotes, ne in confessione inquirant ab his, quorum audiunt confessiones, ut nominent eis expressè personas, cum quibus ipsi confitentes peccaverint, nisi esset tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de persona; putà, peccavi cum

filia mea naturali, vel spirituali, vel nepte: et hoc casu non debet dici nomen proprium, aut cognomen personæ." In Synodi Leodiensi anni 1405. "Inhibemus sacerdotibus, statuendo, et omnibus confessoribus, ne à confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum designari. Quod si fecerint, ab officio audiendi confessiones noverint se ipso facto esse suspensos." In Synodo Senonensi anni 1524. "In audiendis confessionibus caveant sacerdotes, ne inquirant loca mansionum, et nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes." His concinunt Synodus Carnotensis anni 1526, Synod. Paris anni 1557, Statuta synodalia Ecclesiæ Trecensis, et Sifridi Archiep. Colon. quæ videri possunt in tract. histor. et dogmat. "de secreto inviolabili Confessionis," edito anno 1708. à Langlet du Fresnoy, "pag. 223. et seq." In aliis autem innumeris Synodis, quamquam speciatim agatur de sacramento pœnitentiæ, nulla tamen occurrit pecularis constitutio quâ expressè prohibeantur confessarii, ne à pœnitentibus complicum nomina exquirant; quia scilicet ejusmodi detestandus abusus, non in omnes irrepserat diœceses, ac proinde non ab omnibus erat speciali constitutione repellendus.

Hocce extracto exhibetur finis et scopus trium constitutionum quæ sequuntur.

No. 254.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

CONTRA CONFESSARIOS INQUIRENTES NOMEN COMPLICIS.

(Spectat ad N. 80. de Pœnit, Tom. VI.)

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis regnorum Portugalliæ et Algarbiorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo et divina Jesu Christi omnium Pastorum principis, cujus vices planè immerentes gerimus, charitas assiduè urget Nos, ut pro commissa divinitùs imbecillitati nostræ universi Dominici gregis curâ semper advigilantes, periculis animarum, sicubi fortè superimpenderint, per omnes christiani orbis populos ac nationes opportunè, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipuè regnis, et locis peculiari quodam apostolicæ nostræ charitatis studio, authoritatisque providentiâ consulamus, in quibus cùm fides, religio, pietas quàm maximè floreant, calidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in

Angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens; quâ ex arte non minora sæpè animarem detrimenta, quàm ex aggressione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quòd in florentissimis Portugalliæ, Algarbiorum regnis, et ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestræ commentatione præsidetis, et quibus, pro singulari erga catholicam Ecclesiam, atque apostolicam hanc sanctam Sedem observantiâ, meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed à zelo secundùm scientiam longè aberrantes, persversam quandam, et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo pœnitentiæ sacramento administrando, invehere atque introducere cœpisse; ut videlicet, si fortè in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur; sed quòd detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revalerent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; imò etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum, sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tùm emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cùm reverà opiniones hujusmodi vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas malè applicando, perniciem tam suis, quàm pœnitentium animabus consciscerent; acesese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent. Et verò jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientiâ compertum est: Nec fieri potuit, quin ea de causa et oblucutiones, et scandala, et non ministrorum tantùm, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cùm accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus

justâ indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios nostros S. R. E. Cardinales Nunum à Cunha in iisdem Portugalliæ, et Algarbiorum regnis Generalem Inquisitorem, et Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicitè gliscenti malo compescendo, atque etiam eradicando adlaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud Vos obscuram, et ambiguam esse sinamus; Notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandemque a Nobis per præsentes nostras in forma brevis litteras reprobari, atque damnari, tanquam scandolasam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quàm ipsi etiam sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem pœnitentiæ sacramenti tantopere proficuo et necessario usu, fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quanquam de pastorali vestra vigilantia nihil est quod dubitemus; supremi tamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hâc mentis nostræ apertâ significatione, et apostolicis insuper hortationibus nostris intensius acuere, et excitare, ut pro se quisque vestrûm opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra dilinquentes ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenuè insectemini, ac penè nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus à Christo posita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in sanguine suo animas amantissimè invitantur. Interea, dum à zelo vestro, ac prodentiâ luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis et observantiæ argumenta, apostolicam Benedictionem cum uberrima cœlestium charismatum copiâ conjunctam Vobis Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem ut præsentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii puplici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanct. Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die 7. mensis Julii 1745. Pontificatûs nostri anno quinto.

Cajetanus Amatus.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

QUA PRÆCEDENS CONFIRMATUR ET POENÆ IN CONTRADICENTES, MALE INTERPRETANTES, ET CONTRAFACIENTES DECERNUNTUR.

(Spectat ad eund. N. 80. de Pœnit, Tom. VI.)

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ubi primùm de perversaa quadam et absurda praxi in sacramento pœnitentiæ administrando apud nonnullos confessarios in Portugalliæ et Algarbiorum regnis introduci cœpta, non sine animi nostri dolore nuntium accepimus, non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omninò fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent prætermittere non potuimus, quin continuò datis ad Venerabiles Fratres eorundem regnorum ac ditionum Archiepiscopos et Episcopos apostolicis nostris litteris remedium nascenti

malo quàm promptissimè adhiberemus. Earum verò litterarum die 7.ma mensis Julii superioris anni 1745. editarum, quas præsenti huic nostræ constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat: *(ut videre est in præcedenti)*.

Has porrò Nos litteras in forma brevis tunc datas, iterum præsentibus nostris confirmamus, et roboramus, easque ab omnibus, et singulis fideliter, exactèque observari injungimus, atque præcepimus.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicunque cujusvis statûs, gradûs, conditionis, dignitatis, et ordinis, etiam speciali et individuâ ad effectum, ut hisce nostris præsentibus comprehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato nostro brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea, quæ in dicto brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temerè detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, vel authoritate suffulto, nisi à Nobis, vel à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quæ sunt à Nobis in præinsertis litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravâque interpretatione salva sint, verùm etiam, ne quis in sacramenti pœnitentiæ administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat: idcirco omnibus et singulis confessariis utriusque cleri, tam sæcularis, quàm regularis, quantumvis exempti et quâcumque speciali et expressâ mentione aliàs fortasse nominandi, graviter et districtè, divini interminatione judicii, atque in virtute sanctæ obedientiæ, prohibemus, ne conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in tribunali pœnitentiæ confiteantur, interrogare præsumant de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis, expressiorem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati letha-

lis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

(Cætera, quæ Regno Portugalliæ propria sunt, omittuntur).

Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis anno Incarnationis Dominicæ 1746, quarto nonas Junii, Pontificatûs nostri anno sexto.

D. Card. Passioneus.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

QUA DUÆ PRÆCEDENTES AD UNIVERSAM ECCLESIAM EXTENDUNTUR.

(Spectat ad eundem N. 80. de Pœnit, Tom. VI.)

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ad eradicandum pravum zizanii semen, quod ad adversario generis humani in agro dominico sparsum, per Lusitaniæ primum regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos confessarios, in administrando sacramento pœnitentiæ, perversa quædam et absurda praxis, ecclesiasticis regulis contraria eidem-

que sacramento injuriosa, et ad avertendos fideles ab ipsius salutifero usu quàm maximè tendens, introduci cœperat; pro imposito Nobis vigilandi debito, apostolicas in forma brevis litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, per Portugalliæ, et Algarbiorum regna atque ditiones constitutis, quas deindè per alias nostras sub plumbo expeditas litteras, nuper, quarto nimirum Nonas elapsi mensis Junii, confirmavimus, et innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus et declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quàm contrarium tenentibus, sive docentibus, irrogandas, et ad rectum adversus eos procedendi ordinem in prædictis regnis et ditionibus servandum, opportunè expedire in Domino judicavimus.

Earum autem Litterarum, quas ad hujusmodi erroris et abusus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat:

(Sequitur hìc tenor duarum præcedentium constitutionum.)

Quoniam verò nullam pastoralis vigilantiæ cautelam superfluam esse ducimus, ubi de fidelium animarum pernicie, deque subvertenda sanæ doctrinæ integritate, et rectâ sacramentorum administratione, periculum subesse dubitetur; neque verò ignoramus, alibi quoque auditas esse pœnitentium querelas de importunis nonnullorum confessariorum perquisitionibus, pro investigandis complicum nominibus, aliisque notitiis, juxta praxim in præincertis nostris apostolicis litteris relatam atque damnatam; erroneas verò quorumdam doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum rectè opinantium interpretationes et applicationes, in eisdem litteris enuntiatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas præmissas litteras, quas, utpote ad Lusitaniæ regnorum atque ditionum opportunitatem accommodatas, et pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, authoritatemque habere, ab aliquibus "temerè" negatum fuit. Ideò Nos, motu proprio, atque ex certa scientia, hujus nostræ generalis sanctionis tenore, ac de apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine, easdem præinsertas lit-

teras iterum confirmantes et roborantes, decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum et temporum, apostolica authoritate reprobatam atque damnatam esse, et censeri debere: nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato nostro brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perversè interpretari, vel ipsi actu contraïre; sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et utì tales à Sede apostolica rejectas et condemnatas, et respectivè adversus contrafacientes mandatis apostolicis, et ecclesiasticis sanctionibus, statutis atque præscriptis. Decernentes etc.

(Cætera, quæ merè de stylo sunt, omittuntur.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1746, 4. Kalend. Octob., Pontificatûs nostri anno septimo.

Pro *D. Card. Passioneo,*

Jo. Florius, *substitutus.*

N. 255.

EXTRACTUM EX EPISTOLA ENCYCLICA BENEDICTI XIV., DE PRÆPARATIONE AD ANNUM UNIVERSALIS JUBILÆI, DATA 26 JUNII 1749.

(Spectat ad N. 90. de Pœnit, Tom. VI.)

Sec. 19. Primo loco monemus ut meminerint (confessarii) suscepti muneris partes non implere, imò verò gravioris criminis reos esse eos omnes qui cum in sacro

pœnitentiæ tribunali resident, nulla tacti sollicitudine, pœnitentes audiunt, non moment, non interrogant, sed expletâ criminum enumeratione, absolutionis formam illicò proferunt. Id sanè à solertis medici, qui oleum et vinum vulneri infundit, moribus nimis alienum est. Siquidem medicum agit quisquis pœnitentiæ sacramentum ministrat; hinc debet nedum criminum circumstantias, sed etiam illius, qui in crimina lapsus est, indolem ac ingenium sedulò inspicere, ut illi præsto sit opportunis remediis, ex quibus animæ salutem consequatur. "Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici, similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat quale illi debeat concilium præbere, et ejusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum." Verbis utimur clarissimi prædecessoris nostri Innocentii Papæ III. in generali concilio Lateranensi, cap. "Omnis utriusque sexûs, de pœnitentiis et remissionibus." Consonat rituale Romanum à Paulo V. nostro item prædecessore, apostolicâ constitutione probatum, in tit. de "Sacramento pœnitentiæ," ubi sic loquitur: "Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget." Quod si confessarius probè novit, pœnitentem aliquibus peccatis gravari quæ nondum aperuit, sive ex oblivione, quod imos conscientiæ recessus non satis exploraverit, sive ex crassiori ignorantia, quæ tamen culpa non vacat cùm putet sibi licere quod reipsa nefas est, è re erit confessarii, ne alioqui necessaria integritate confessio fraudetur, cautè ac prudenter, in memoriam pœnitentis revocare quæ omisit, illumque monere ac corrigere, ut ritè comparatus sacramenti pœnitentiæ fructum percipiat. Ita sentit S. Bernardinus Senensis, tom. 2, serm. 27, art. 2, cap. 3, pag. 167; ubi quæstione propositâ, "an confessor teneatur diligenter perscrutari et examinare conscientiam peccatoris?" Affirmando respondet, idque locum habere ait non solùm in iis quæ pœnitens "propter negligentiam, vel propter verecundiam" omittit, sed et in iis quæ ignorans tacet; "eò quòd peccatores ignorant quæ Dei sunt: unde si confessor audivit aliquid de pœnitente, vel scivit per aliquam probabilem conjecturam; id debet pœnitenti ad

memoriam reducere, quia potest timeri, quòd pœnitens ignoret ignorantiâ crassâ, quæ non excusat, secundùm Guillelmum, vel quia fortè non intelligit illud esse peccatum; nam secundùm Isidorum, ignorans quotidie peccat et ignorat."

Sec. 20. Obvia hæc sunt apud theologos, ne iis quidem exceptis, qui inter rigidioris disciplinæ magistros enumerandi non sunt. Non enim res hic agitur de ignorantia, ut aiunt, invincibili juris positivi, ex qua pœnitens in absurdum quidpiam uni confessario notum prolapsus est, et si fortè, quod pœnitens ignorat, monitus disceret, gravioris mali occasio indè sequi posset: sed vincibilis ignorantia locum habet cum pœnitens aut crimina ignoret quæ tamen nosse debet, aut in iis versetur facti circumstantiis, quæ confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere quæ ab iis quæ Ecclesiæ sacramenta frequentant, impunè exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors theologorum sententia est, confessarium teneri monitis ac interrogationibus pœnitenti opem ferre, quamvis indè pœnitentis tristitiam secuturam agnoscat. Quod si confessarii monitis par exitus tunc non respondeat, adhuc sperare licet ea in posterum, adjuvante Domino, profutura. Inter theologos, qui aut Prædicatorum ordini recensentur, aut divi Thomæ doctrinæ subscribunt, consulantur Soto, in 4. sententiar. distinct. 18, quæst. 2, tit. 4; ac Sylvius in 3. part. divi Thomæ, tom. 4, quæst. 9, art. 2. ad 7. Inter Franciscanæ familiæ alumnos, cæterosque Scoti discipulos, cardinalis de Laurea, in 4. Sent. tom., de Sacram. pœnit. disp. 21, art. 3., num. 64. et sequent. Inter Societatis Jesu Scriptores, Suaresius in 3. part. divi Thomæ, disp. 32, sect. 3. et 4., tom. 4. Theophilus Raynaudus, tom. 16, Heteroclit. spiritual. punct. 9, num. 4. Gabriel Antonius, tractatu de Pœnitent., art. 3., quæst. 3. Et Cardinalis de Lugo, de Sacram. pœnitent. disp. 22, sect. 2; ubi animarum salutis studio fervens, multa in rem hanc profert contra Episcoporum, prælatorum, principum, ac gubernatorum desides confessarios, qui licèt in sacro pœnitentiæ foro nullam de publicis criminibus accusationem excipiant, taciti quiescunt, nullaque hortatione præmissa, præcipiti judicio absolutionis beneficium dispensant. "Infero secundò," sic ille loqui-

tur: "Quid dicendum sit de obligatione quam habent confessarii prælatorum, principum, gubernatorum, et similium, quando vident aut sciunt, ipsos non satisfacere reverà suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleëmosynas ex superfluis faciendas de redditibus ecclesiasticis, et alia similia: de quibus illud notandum est, rarò contingere quòd ignorantia sit invincibilis et inculpabilis: item rarò contingere, quòd ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facilè putant licita quæ à prælatis et principibus fieri vident; vel certè non afferat damnum commune. Quare regulariter confessarius tenetur admonere pœnitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione: nec satifacit suo muneri absolvendo à peccatis quæ pœnitens dicit, sed potius imponit suis humeris peccata vetera et errores quos in pœnitente dissimulat, et cæco cæcum ducente, ambo in æternam foveam cadent. Si formidet ergo potentis faciem, non assumat sibi pastoris officium, sed modestè se excuset tanquam minùs aptum ad illud onus portandum."

Quæ quidem saluberrima Cardinalis de Lugo sententia, non solùm eos sacramenti ministros complectitur, qui Episcoporum ac principum confessiones excipiunt, sed pari jure eos omnes confessarios perstringit, qui pœnitentes audiunt, quorum mores et vitæ exempla in proxima peccati occasione versantur, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus, ac morosis delectationibus, quibus assentiri consueverunt, neque interim ullâ tanguntur curâ ut miserum criminosæ vitæ statum aperiant.

No. 256.

DE ABSOLVENDIS MORIBUNDIS, QUI NON DANT SIGNA DOLORIS.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VII. cap. 15. *N.* 8. *et seq.*

(Spectat ad N. 123. de Pœnit, Tom. VI.)

VIII. Accidit sæpe, ut aliquis, gravi morbo se opprimi sentiens, confessarium arcessi jubeat; verùm interea temporis, antequam confessarius adveniat, loquelam et cognitionem amittit; attamen, etiam sine verbis, aliqua dat pœnitentiæ signa, tum ante adventum confessarii, tum in illius conspectu: aliquando etiam nullum coram confessario pœnitentiæ signum ostendit, quamvis antea nonnulla ipsius indicia dederit. Hæc porrò quotidie contingunt: sicut etiam quotidie fit, ut, postquam ægrotus duo, vel tria peccata confessus fuerit, confessionem prosequi amplius non possit. In his omnibus casibus impertiri absolutio debet. Ita enim in antiquo Carthaginensi concilio decretum fuit, relato in Can. "Is qui. 26." quæst. 6. "Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam." Item in epistola S. Leonis, à Gratiano pariter relata in Can. "Multiplex," de pœnitentia dist. 1. "Quod si ægritudine aliquâ ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur." Et, ut ad recentiora tempora descendamus, addenda est

constitutio Synodi Nemausensis, anno 1284. habitæ, relata à Grancolas tom. 3. "veterum Liturgiarum" pag. 772. "Si infirmus petierit sacerdotem pro pœnitentia recipienda, vel aliqua signa pœnitentiæ fecerit, et interim, dum sacerdos veniret, obmutuit infirmus, vel factus est amens, aut phreneticus; sacerdos veniens sive ad nutum infirmi, sive ad testimonium eorum, qui audierunt ipsum petentem pœnitentiam, vel Presbyterum, vel aliqua signa pœnitentiæ facientem, debet ei, quidquid humanitatis vel consolationis poterit, impendere, absolvendo eum et reconciliando, et orationes dicendo, et crucis osculum, si præsens crux fuerit, sibi dando." Cum his concordat rituale Romanum "tit. 18." ubi de infirmi loquens, ait: "Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus, et signis conetur, (loquitur de confessario) quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est." Cùmque nonnulli existimarent, ægrotum illum absolvendum non esse, qui coram confessario nullum pœnitentiæ signum dedit quantumvis antea dederit coram aliis, qui id ipsi confessario testificantur; suamque opinionem eâ ratione fulcirent, quod Clemens VIII. Pontifex Maximus, anno 1602. sequentem propositionem, veluti scandalosam, ac temerariam, damnavit—"Licere per litteras, seu internuncium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere"—uti videre est in constitutione 87. ejusdem Pontificis "Bullar. tom. 3." eorum tamen error ab aliis facilè deprehensus est. Longè enim discrepat unus casus ab alio. Consulantur Cardinalis de Lugo "de Sacramento pœnitentiæ disput. 17. secl. 5. Sec. 2;" Cardinalis Gotti "tom. 14. Theologiæ, de Sacramento pœnitentiæ quæst. 8. dub. 3. Sec. 2. num. 9;" Diana "edit. coord. tom. 1. tract. 3. resolut. 74;" Elbel "Theol. Moral. part. 2. de Sacramento pœnit. conferent. 8. Sec. 1. num. 207." Narrat hic Auctor, prædictum Clementem VIII. interrogatum fuisse, an, prohibendo confessionem in absentia, sive per litteras, sive per nuncium factam, in animo habuerit, hanc quoque confessionis speciem, de qua loquimur, prohibere et consequenter absolutionem, quam sacerdos impertitur

ægroto jam morituro, et nullum pœnitentiæ signum, aut confessionis desiderium in sui præsentia demonstranti, de quibus tamen signis antea editis certior fit pertestes, eumdemque Pontificem negativè respondisse, asserit. Et, quamvis ipse nullum hujusmodi responsionis documentum afferat; nihilominus, ita se rem habuisse, constat ex testimonio Petri Lombardi, Archiepiscopi Armacani, qui hoc idem audivisse se affirmat ex ore ipsius Pontificis, cum quo de hac quæstione tractaverat. Id autem responsum non solùm relatum legitur in operibus P. Coninck "de absolutione moribundi, in fine," verùm etiam in laudato opere Cardinalis de Lugo "sect. 4. num. 76. et 77." Quare, cùm olim Major Lusitaniæ Inquisitor supremæ inquisitioni Romanæ hanc præposuisset quæstionem—"An censuram, et quam, mereatur hæc propositio: validè impenditur absolutio, quando ægrotus coram uno, vel altero teste signa contritionis, exhibet, deindè, superveniente confessore, nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit; constat tamen ex relatu internuncii, ægrotum ostendisse signa contritionis, et confitendi voluntatem"—Summus Pontifex Urbanus VIII. in congregatione coram ipso habita die 24. Februarii 1632. non solùm absolutionem impertiri posse, respondit: "Sanctissimus dixit, huic ægroto posse impertiri absolutionem:" verùm etiam, ne laudatum decretum Clementis Papæ VIII. negotium ullum facescere posset, addidit: "nec id repugnare decreto Clementis VIII. cùm diversam contineat rationem." Uno verbo, in casu, de quo agimus, pœnitens per alios ostendit suum confitendi propositum; idque satis est, ut in eo statu, in quo positus est, absolutionem consequi possit, ut in supra citato rituali statuitur. Nec disputandi locus est, utrùm in hoc casu absolutio conditionata, an simplex, et absoluta esse debeat. Hæc enim controversia locum non habet, nisi cùm signa ab infirmo edita, seu quæ confessario à testibus referuntur, dubia prorsus, ac æquivoca per se ipsa sint, aut fuerint. In his namque circumstantiis, sunt qui putant, absolutionem sub conditione impertiendam esse. Ita legitur in instructione pro sacerdotibus ad confessarii ministerium recens deputatis, Romæ edita per quemdam presbyterum congregationis Missionis, ac pluries etiam alibi typis excusa, et præsertim Papiæ anno 1720. "part. 2. cap. 12. §. 1. num. 191. et seq." Et Cardinalis de Lugo,

suprà laudatus, explicans modum impertiendi absolutionem conditionatam, quando dubia sunt signa, quæ ab infirmo ostenduntur, aut ostensa sunt, ita prosequitur in dicto Tractatu "de Sacramento pœnitentiæ disp. 17. sect, 5. §. 2. num. 91. Si dubitat sacerdos, an signa ab infirmo exhibita fuerint ad significandum dolorem de peccatis, et voluntatem absolutionis, an verò ex dolore morbi; item an, quando dixit, se velle confiteri, esset compos sui, an impos, et sine rationis usu: in his enim et similibus casibus propter reverentiam sacramenti, absolutio impendi debet sub conditione explicita, interiùs concepta."

IX. Quæ hactenus dicta sunt, ad eos pertinent qui in mortis articulo constituti, pœnitentiæ signa, aut confitendi votum ostenderunt vel coram confessario, vel coram aliis sibi adstantibus, qui hoc ipsum confessario testificantur. Nunc agendum est de absolutione illorum, qui gravi aliquo et repentino casu oppressi, vel morbo correpti, extremum agunt spiritum, absque eo quòd ullà dederint, vel dare valeant pœnitentiæ signa. Quod cùm et iis contingere possit, qui vitam ex christianæ legis præscripto semper duxerunt, et sacramenta frequenter suscipere consueverunt; atque illis etiam, qui de æterna salute sua plerumque nihil cogitantes, flagitiis sæpe se contaminasse noscuntur: de prioribus potissimùm intelligenda sunt ea, quæ subjicimus. Antiquorum theologorum communis opinio fuit, quam multi adhuc tuentur, quòd, nullis editis à pœnitente actibus, absolutioni sacramentali impertiendæ locus esse non possit. Ita Natalis Alexander "in Theologia dogmatico-morali lib. 2. de Sacramento pœnitentiæ art. 7. regula 17." et Pontas "in verb. Absolutio casu 4." ob eam nempe rationem nuper indicatam, quòd scilicet, cùm pœnitentis actus non adsunt, deest materia necessaria sacramenti pœnitentiæ; cùmque præterea sacerdoti notus non sit præsens pœnitentis status, ejusdemque voluntas, non potest his, judicantis in modum, absolutoriam sententiam proferre. Afferunt etiam in hujus sententiæ confirmationem, quòd Sorbonæ facultas theologica anno 1665. propositionem damnavit ex quodam libro excerptam, quæ sequentibus verbis concepta legitur: "Qui amiserit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, ut bonus et fidelis, et frequentabat confessionem, et communionem, quamvis non p etieri

sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus, et, faciente aliquo confessionem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato:" quam quidem prædicta Parisiensis facultas sequenti censura notavit: "Doctrina hujus propositionis, universim, et absolutè sumpta, est in praxi periculosa."

X. Adversùs hanc, quæ communis appellari poterat, opinio, insurrexit celebris Auctor Joannes Morinus "in suo Tractatu de Sacramento pœnitentiæ lib. 9. cap. 10." hâc innixus ratione, quòd, si jam receptum et ratum est, ut qui loquelæ usu destituitur, nullumque pœnitentiæ signum coram sacerdote exhibet, absolutione donetur, quoties adstantes sacerdoti testificantur, eumdem, ante illius adventum, vel confessionem suam, audiri postulasse, vel, dolorem de peccatis significando, absolutionem consequi expetiisse; eò fortiùs absolvi poterit, vel potiùs debebit is, cui licèt nemo testimonium reddat, quòd ante adventum confessarii pœnitentiæ signa dederit, tot tamen testes sunt de ejus proposito recipiendi sacramenta in supremo vitæ discrimine, quot sunt actus christianarum virtutum, quot confessiones sacramentales, et communiones corporis Christi, quot demum religionis, et pietatis opera, quibus in universo suæ vitæ cursu manifestum probitatis specimen præbuit. Ad hanc verò opinionem roborandam, Morinus ipse quoddam Clementis VIII. Pontificis factum refert, qui fabro murario è Vaticanæ Basilicæ fastigio fortè decidenti, ita absolutionem impertitus fuisse dicitur: "Si es capax, absolvo te à peccatis tuis:" ut legitur apud Homobonum "in exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 18. quæst. 84." Præterea affert Gregorii Papæ XV. auctoritatem, qui, dum Bononiensem Archiepiscopatum obtinebat, "in suo memoriali confess. cap. 1. de forma sacram. pœnitentiæ num. 16." S. Antonini doctrinæ adhærens, docuit, "posse etiam absolvi moribundum assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus sacramentum non petierit." Ac denique in medium profert Ecclesiæ Lemovicensis constitutiones editas anno 1620. in Synodo, cui undecim abbates, decani tres, præpositi septem, ac decem priores, totidemque archipresbyteri interfuerunt: "Poterit quoque idem applicari remedium," videlicet sacramentalis absolutionis, "ei, qui judicio, omniumque

sensuum usu statim captus est, non petitâ pœnitentiâ, nulloque signo contritionis edito, cùm violentia morbi judicatur derepente et ex improviso præventus, et oppressus, et christianæ vixit; ferrique potest judicium ex actionibus vitæ, et moribus, eum libenter pœnitentiæ sacramentum petiturum fore, si tempus, et morbi violentia permisissent: licèt hoc in casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus; sed animarum salvandarum causâ, nullum remedium omittere debemus, quod Deus potestati nostræ commisit, Deum orantes, ut immensâ bonitate, et misericordiâ, quod deest ægrotorum dispositioni, suppleat, cætera inscrutabilibus Dei judiciis commendantes."

XI. Morini opinio complures sectatores invenit ex his, qui post eum scripserunt; inter quos numerandi sunt Merbesius "dissertat 4. de Pœnit quæst. 85." item Juenin "de sacram. dissert. 6. de Pœnit. quæst. 7. §. 3." qui observat, hoc idem in Rituali Ecclesiæ Tullensis, jussu Cardinalis de Bissy, olim Tullensis, Episcopi, edito, præscriptum fuisse: cui nos addimus etiam illud bon. mem. Cardinalis de Rohan Argentinensis Episcopi, in cujus proœmio "num. 4." ita legitur: "Si qui fidelium subitò obmutescerent, vel omni rationis usu destituerentur, iis ultimo casu correptis, non negandæ absolutio, et extrema unctio, modò, cùm sani essent, vitam duxerint homine christiano dignam. Tunc enim præsumi debent habere sufficientem ad illa sacramenta recipienda intentionem:" Genett. "tom. 4. Theologiæ moralis tract. 6. de Sacram. pœnitent. cap. 12. quæst. 5;" Tournely "in prælectionibus theologicis de Sacram. pœnit. tom. 2. pag. 175. et seq. edit. Paris. anni 1728;" Van Roy. "in Theolog. morali part. 4. tom. 5. cap. 9. quæst. 3;" Vuitasse "de Sacram. pœnitent. part. 2. pag. 836;" Henricus à S. Ignatio "tom. 3. lib. 5. cap. 196. et 197;" Neesen "tom. 2. tract. 5. de Sacram. pœnit. dub. 14." Auctor verò, qui opus citati Pontas, latinè redditum, additionibus locupletavit, "præd. casu 4." animadvertit, non tanti quidem faciendam esse rationem illam ab adversariis celebratam, quod scilicet, cùm pœnitentis actus non adsunt, materia desit sacramenti pœnitentiæ. Nec enim certum est, materiam sacramenti esse hujusmodi pœnitentis actus, cùm Tridentinum concilium illos, haud præcisè "materiam," sed "quasi materiam sa-

cramenti" appellaverit; uti videre est "sess. 14. de Pœnitentia cap. 3." Quòd si etiam necessaria sacramenti materia in hujusmodi actibus constitui deberet, issi jam antea præcessisse dicendi esset, et tunc pro præsentibus haberi possent: non secus ac petitio abpolutionis, quam pœnitens ante confessarii adventum emisit, sed coram eo amplius exprimere, aut repetere non potest, pro præsenti habetur ad eumdem effectum, ut scilicet confessarius ejusmodi pœnitentem, jam sensibus, et loquelâ destitutum, absolvere non dubitet.

N. 257.

DE CONFESSIONE, QUAM NONNULLÆ SYNODI EXCIPIENDAM PROHIBENT CONFESSARIO, QUI EST IN OPERE CARNALI COMPLEX CRIMINIS CUM POENITENTE PERACTI.

Ex Bened. XIV. de Synodo Lib. VII. Cap. 14.

(Spectat ad N. 215. de Pœnit, Tom. VI.)

Ut jam, post dispositionem requisitam in pœnitente, aliud de confessarii jurisdictione, quod ad propositum pertineat, dicamus unum animadversione dignum censemus. Quamvis sacramentum pœnitentiæ sit à Christo Domino institutum per modum judicii, et nemo esse queat judex in causa propria; nihilominùs communiter existimant theologi, duce D. Thomâ, solâ spectatâ naturâ sacramenti, posse confessarium, sui criminis socium, à secum perpetrato peccato, cujusque speciei illud sit, in foro sacramentali absolvere: siquidem tunc non de propria, sed de aliena culpa judicium profert: neque, seclusâ legum prohibitione, repugnat, ut quis judicis personam assumens, de commisso ab altero de-

licto sententiam dicat, licèt ejusdem delicti ipse, tamquàm privatus, particeps fuerit. Ita D. Thomas "in supplem. 3. part. quæst. 20. art. 2. Ad primum ergo dicendum, quòd in tali casu nec sacerdos debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato; sed debet ad alium mittere, nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia. Si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim Augustinus dicit, quòd non debeat esse in eodem crimine, intelligendum est, secundùm congruitatem, non secundùm congruitatem, non secundùm necessitatem sacramenti." An verò non solùm validè, sed etiam licitè id fiat, non consentiunt auctores. Aliquam certè labem in ea confessione Div. Thomas agnovisse, ex citatis ejusdem verbis palam est. Et S. Petrus Damiani "oqusc. 7. cap. 7." adeò vehementer in eamdem confessionem invehitur, ut certè videatur, illam non solùm illicitam reputare, sed tamquam irritam rejicere; ait enim: "Legis præceptum est, ut, cùm quis leprâ perfunditur, sacerdotibus ostendatur: tunc autem non sacerdotibus, sed leproso potiùs ostenditur, cùm immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed, cùm confessio utique manifestatio sit; quid, obsecro, manifestat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto confessio illa dicenda est, ubi nihil à confitente manifestatur, nisi quod jampridem ab audiente cognoscitur? Et qui sociali vinculo peractæ iniquitatis adstringitur, quâ lege, quo jure, alterum poterit ligare, vel solvere? Frustra enim quis alium solvere nititur, qui et ipse vinculis irretitur." His, ex theologis moralibus assentitur Stephanus Fagundez "in secundum præceptum Ecclesiæ lib. 4. cap. 3. num. 35," ubi gravis culpæ reum facit srcerdotem, excipientem confessionem suæ concubinæ. At ex adverso Sylvester "in Summ. part. 1. verb. Confessio 1. n. 17;" Joannes Sanchez "disp. 10. select. num. 16;" Theophilus Raynaudus "tom. 16." in opere, cui titulus: "Heteroclita spiritualia pag. 128;" La Croix "tom. 2. pag. 227." aliique affirmant, confessionem factam complici, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte confessarii, culpâ vacare, modò uterque à perpetrato crimine abhorreat, et longè absit periculum novi consensûs in illud.

II. Et tamen in multis Synodis decretum est, nedum illicitam, sed inanem pariter, nullam atque irritam fore absolutionem, à sacerdote datam socio sui criminis adversus sextum decalogi præceptum. Ita quippe statutum legimus in Synodo Leodiensi "an. 1698. pag. 74;" in Veliterna sub Cardinali Cybo "an. 1698. pag. 36:" in Synodo Fulginatensi sub Episcopo Baptistellio "an. 1722. pag. 76;" in Bononiensi sub Cardinali Jacobo Boncompagno "lib. 2. cap. 6;" in Anconitana sub Cardinali Massæjo "an. 1738. pag. 11," atque in Synodo Lucana, quam refert Roncaglia "in sua morali Theologia tom 2. tract. 19. cap. 3." Numquid igitur prædicti Episcopi peccarunt contra regulam, quam hucusque inculcavimus, et elucidavimus, nihil in Synodo decernendi de rebus dubiis, atque inter theologos conversis, materiam præcipuè sacrrmentorum respicientibus?

III. Nihil illos peccasse ex eorumdem statutis deprehendimus: illi siquidem non deciderunt quæstionem, an confessarius, generali ceteroquin jurisdictione instructus, valibè, et licitè pœnitentem absolvat à crimine secum perpetrato; sed eumdem privarunt jurisdictione, seu facultate absolvendi socium sui, seu complicem in peccato impudicitiæ. Quàm verò sapienter et sanctè id præstiterint, ex iis fas est judicari, quæ doctores, de hac re agentes, maturè ponderarunt. Atque, ut ea prætermittamus, quæ à S. Pedro Damiani, et D. Thoma nuper audivimus, Basilius Pontius "de matrim. lib. 7. cap. 38. num. 8." illatâ mentione confessionis, de qua agimus, gravia mala describit, atque exaggerat, quæ ex ea proveniunt, præcipuè cùm confessarius in sacramentali foro fœminam audit, cum qua, non semel tantùm, et diù antea peccavit, sed in turpi contubernio perseverat. Verjuys "tom. 9. art. 5." affirmat, longâ experientiâ compertum, ejusmodi confessiones plerumque sacrilegas esse, novisque peccatis fœdatas. Theophilus Raynaudus, quamvis "cit. loc." eamdem confessionem in se licitam dixerit, periculosam tamen fatetur. Et Natalis Alexander "Theolog. dogmat et moral. tom. 1. lib. 2. de Pœnit. cap. 5. art. 10. regul. 66." hæc ad rem adnotavit: "Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipsos hujusmodi crimen deponunt, sinceram illius pœnitentiam agant; vix contingit, ut criminosi illi sacerdotes salu-

taria dent consilia, et convenientem satisfactionis modum præscribant: et, si peccata sint impudicitiæ, periculum est, ne nova cùm pœnitenti, tum sacerdoti, in ipsa confessione peccati nascatur occasio." Quare S. Carolus Borromæus, ne sordidis hisce maculis illud fœdaretur sacramentum, quo Christi Sanguine perfundimur, ut à peccatorum lepra mundemur, in sua Synodo diœcesana XI. "Act. Eccles. Mediol. part. 2. pag. 409." Confessariis generatim, atque universim facultatem interdixit sui cujuscumque criminis socium, seu quoquo modo participem, absolvendi: "Confessario" (inquit) "qui cujuscumque criminis, etiam minimi, socius, particepsve ullo modo fuit, munere interdictum sit confessionis eorum audiendæ, quos illius socios habuerit... Nec verò absolutio, si quam impartierit, ullius roboris sit, sed irrita planè, ac recissa, nullaque omninò, tamquam ab eo impartita, qui jurisdictionis, et facultatis expers est. Et verò si quis confessarius culpæ socius, particepsve aliquid contra ausus erit, excommunicationis sententiam statim subeat: cujus vinculo irretitus, ab alio sacerdote, nisi à Nobis, absolvi non possit."

IV. Quamquam autem hæc sanctissimi Præsulis statuta, etiam generatim, utì sonant, sint summopere commendanda, et quilibet antistitum sanctè queat eorumdem vestigiis insistere; negari tamen haud potest, majorem quamdam, et graviorem inhonestatem in eo adesse, ut sacerdos illius personæ confessionem excipiat, cum qua impudicitiæ scelus admisit: ac proinde, statim ac nos ad Petri Cathedram evicti, totius Dominici gregis curam suscepimus, universali lege ediximus, ne ullus confessarius, "extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublatâ propterea illi, ipso jure quâcumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam:" ut legi potest in nostris apostolicis litteris, datis Kalendis Junii 1741. quæ extant "Bullar. nostri tom. 1. Constit. 20. §. 4." Ut porrò conscientiarum tranquillitati consuleremus, aliis similibus litteris, datis die 8. Februarii 1745. quæ haben-

tur "cit. tom. Bullarii Constit. 720." declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde esse, nullum adesse sacerdotem, præter illum, cum quo pœnitens inhonestè peccavit, aut eum tantùm adesse quem idem pœnitens, constitutus in mortis articulo, eligere nequit, sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum statu, non prohiberi, diximus, sacerdotem, suæ impudicitiæ complicem absolvere; eumdem tamen simul monuimus, ne prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi confingat, quæ revera absint: quin imò voluimus, ut ea, cùm potest, antevertat, et removeat: secus enim pœnas non effugiet, in nostra prima constitutione inobedientibus inflictas.

Prior constitutio subjicitur N.º seq., non autem posterior, cùm clara et succincta ejusdem notitia hìc exhibeatur.

N. 258.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

CONTRA CONFESSARIOS SOLLICITANTES AD TURPIA, ITEM CONTRA ABSOLVENTES COMPLICEM.

(Spectat ad N. 215. et seq. de Pœnit, Tom. VI.)

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncupârunt, Nos, licèt immerentes ad universi Dominici gregis curam supernâ dispositione vocati, omne studium, et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divinâ benignitate perfugium, per dæmonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium, et quod in salutem, et curationem animarum à Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem à fel. rec. Gregorio Papa XV. prædecessore nostro per suas litteras in forma brevium sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. pontificatûs sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes

audiendis confessionibus deputatos, ad turpia, et inhonesta sollicitantes; et deinceps successivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde à Congregatione Vener. Fratrnm Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, sub die XI. mensis Februarii anno Domini MDCLXI, prodieruut decreta, et à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter prædecessore nostro in Congregatione generali sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis, die XXIV. Sept. MDCLXV. coram eo habita inter alias ab evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonans propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes, pœnitentiæ sacramento nefariè abutentes, pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se à Christo Domino præsides, et judices animarum constitutos, ut eâ sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit tam venerandum sacramentum administrent, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostrâ, præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, et singula decreta prædicta, ad illarum interpretationem, et declarationem emanata, apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuò committimus, et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis inquisitoribus, et locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis christiani, in suis respectivè diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos sacerdotes, tam sæculares, quàm regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque ordinum, institutorum, societatum, et congregationum. et cujuscumque dignitatis, et præeminentiæ, aut quovis privilegio, et indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu sacra-

mentalis confessionis, vel antè, vel immediatè post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confesssiones audiendas destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint: et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis severè animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii prædecessoris nostri constitutionem, quam hìc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus; dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum, remaneat ob probationum defectum impunitum, jam aliàs in præfata constitutione tributam, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

Sec. 2. Meminerint præterea omnes, et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut suprà, sollicitatos, sedulò monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi inquisitoribus, sive locorum ordinariis prædictis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validam impertiendam careat, aut sollicitatio in confessarium, et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competendi judici, vel saltem se, cùm primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Sec. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel irâ, vel aliâ indignâ causâ commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut

blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contemptâ, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falsò sollicitationis insimulant: ūt igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, præterquam à Nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis, et successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat.

§. 4. Demùm magnopere cupientes à sacerdotalis judicii, et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longè submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et, quantùm in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam dæmonis potiùs, quàm Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hâc nostrâ in perpetuum valiturâ sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm regularibus cujuscumque ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione, et specialissimâ notâ, et mentione dignâ suffultis, auctoritate apostolicâ, et nostræ potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirùm in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublatâ propterea illi ipso jure quâcumque

auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab ejusmodi culpa absolvendam, adeò quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita à sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate, ad validè absolvendum necessariâ privatus existit, quam ei, per præsentes has nostras, adimere intendimus: et nihilominùs si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem Nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, et decernentes, quòd nec etiam in vim cujuscumque jubilæi, aut etiam bullæ quæ, appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cùm ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et pœnitentis genere, jurisdictione, ùt præfertur, careat, et absolvendi facultate à Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo, et approbato. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel jubilæi universalis, et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis: quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hâc vice dumtaxat specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demùm, ac præcipimus, ut omnes locorum ordinarii, tam præsentes, quàm futuri pro tempore existentes, in approbatione, confessariorum, tam prædictam constitutionem Gregorii prædecessoris nostri, quàm præsentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attentè legi, et accuratè observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium, ipsorum fidei com-

missum, summâ animi innocentiâ, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ùt ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere ac vices obire summi, atque æterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Sedulò igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus et pulsantibus eorum culpâ cœlum claudatur, ne deperditæ oves, ad ovile dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes, et saucii, ad cœlestem Patrem revertentes, nefariâ eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentes litteræ etc. . . . .

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kal. Junii, Pontificatûs nostri anno primo.

Pro *D. Card. Passioneo*

Cajetanus Amatus.

DECRETUM

BENEDICTI XIV.

CONTRA SOLLICANTES, ET SACRIFICIO MISSÆ ABUTENTES AD SORTILEGIA.

(Spectat ad N. 216. et seq. de Pœnit, Tom. VI.)

Feria V. Die 5. Augusti 1745.

In generali Congregatione sanctæ Romanæ, et universalis inquisitionis habita in palatio apostoloco Quirinali, coram Domino Nostro Benedicto divinâ Providentiâ Papa XIV. et Eminentisimis, ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à sancta Sede apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animadvertens, quàm grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missæ sacrificio, ac salutaris pœnitentiæ sacramento, ad animarum reparationem à Christo Domino institutis, in illarum perniciem, et damnationem abutuntur, decrevit, quòd imposterum sacerdotes tam sæculares, quàm regulares cujuscumque ordinis, instituti, congregationis, et societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu sacramentalis confessionìs, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas à jure, et apostilicis constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem.

Paulus Antonius Cappellanus S. Romanæ, et universalis Inquisit. Not.

N. 259.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

QUA DAMNANTUR QUINQUE PROPOSITIONES DUELLORUM ABUSUI FAVENTES; AC VETERES LEGES ADVERSUS DUELLANTES EDITÆ NOVIS POENALIBUS SANCTIONIBUS CUMULANTUR.

(Spectat ad N. 229. de Pœnit, Tom. VI.)

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Detestabilem, ac divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, à Barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in christianam rempublicam auctore diabolo invectum, cum semper execrata sit, atque improbarit Ecclesia, tum præcipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut à fidelium cœtu longissimè arceretur. Nam ut antiquiora mittamus prædecessorum nostrorum, Nicolai I, Cœlestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III, Innocentii IV, adversus singulares pugnas decreta, extant recentiores apostolicæ Sedis constitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II. Leo X, Clemens VII, ac demum Pius IV. gravissimas pœnas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacunque causa, etiam per sæculares regionum aut locorum leges forsan permissa, adjecta

infamia, bonorumque proscriptione etiam adversus complices ac participes, et qualemcunque operam iisdem præbentes.

Tridentina verò Synodus latam in eos excommunicationem extendit ad imperatores, et reges, duces, ac principes, cæterosque dominos temporales, si locum ad monomachiam in terris suis concesserint; ac jurisdictione et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineat, eo ipso privatos declaravit.

Committentes verò pugnam, eorumque patrinos, excommunicationis ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere statuit; et, si in ipso conflictu decesserint, ecclesiastica sepultura perpetuò carituros decrevit.

Cum verò præfatis saluberrimis legibus judicialia duntaxat, ac solemnia duella comprehensa ac proscripta viderentur, piæ memoriæ prædecessor noster Gregorius Papa XIII. hujusmodi pœnas adversus eos omnes extendit, qui nedum publicè, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore, et loco, monomichiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint.

Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster, apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes, et pœnas in eis statutas, sua constitutione, quæ incipit "Illius vices," data XVI. Calend. Septembris Anno 1592. disertè complexus, easdem extendit ad omnes non solùm duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes; chartulas, libellos, manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista coöperantes, socios, patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demùm participes, illudque permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam et impunitatem concedentes, quique se prædictis, quoquo modo immiscuerint, etiamsi neque pugnæ effectus, neque accessus ad locum sit subsecutus.

His tam sapienter, tam apertè, atque perspicuè ab Ecclesia, et ab apostolica Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia, tam publica, quàm privata, et naturali, et divino, et ecclesiastico jure, prorsùs illicita, vetita, atque damnata cen-

seri deberent. Sed nonnulli earum legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, apostolicas sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes, "licere," docuerunt, "viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: Fas esse defensione occisiva, vel ipsis clericis, ac religiosis, tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non suppetat; Propulsare damna, quæ ex iniqua judicis sententia certò imminent: Defendere non solùm quæ possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus:" Quas quidem assertiones duellis faventes, apostolica Sedes censura notavit, rejecit, proscripsit.

Et nihilominus extiterunt quam proximè recentiores alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causâ, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi officii, et sustentationis, vel denegatæ sibi à magistratu justitiæ, defensionis innoxiæ titulo, ea licere pronunciant. Laxas, et periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum libris ad nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et quibusdam dilectis Filiis sacræ theologiæ magistris, specialiter ad id per nos deputatis, commisimus; qui re maturè discussâ, latis coram nobis tum voce tum scripto suffragiis, infra scriptas propositiones censura, et proscriptione dignas existimarunt.

I.

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus, haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, aliàs sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuò carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratiâ, duellum acceptantes, vel

ad illud provocantes, quando certò sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, dux, vel officialis militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ et officii.

IV.

Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare, et offerre duellum, ad conservandas cum honore fortunas quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis malè ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia apertè denegatur.

Auditis itaque, super unaquaque earum propositionum, dictorum Cardinalium et consultorum judiciis, atque omnibus ritè et maturè consideratis, Nos ipsas, præsentium litterarum tenore, et apostolica auctoritate, tanquam falsas, scandalosas, ac perniciosas, rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratiâ, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini Judicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, et statûs, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne prædictis opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Jam verò ut exitiosam duellorum licentiam, in christiana, ac præsertim militari republica, non obstantibus

providis legibus à plerisque etiam secularibus principibus et potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coërceamus gravissimumque scelus apostolicæ districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes et singulas dictorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, apostolica auctoritate confirmantes, et innovantes, ad hoc, ut pœnarum gravitas et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, nostro motu proprio, ac de apostolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præsentium litterarum serie, statuimus atque decernimus, ut si quis in duello, sive publicè, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictûs, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam constitutionis felicis recordationis prædecessoris nostri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit "Ex quo divina," data VI. Idus Junii anno Domini 1725. ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus et repulsus omninò censeatur; ita, ut à cujuscunque sacri aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et judicis competentis curiæ pro merito puniendus, tradi possit, et debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque superioribus antistitibus, ad quos respectivè pertinet, et pertinebit imposterum, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur.

Quin etiam, viventi adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus, et respectivè permittimus, ut, quatenus periti, ad inspiciendum vulnus acciti, "grave vitæ periculum" adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto Episcopi, et cum assistentia personæ ecclesiasticæ, ab eodem Episcopo deputate, ab hujusmodi loco immuni extractus sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus à legibus, quæ de homi-

cidio sunt, constitutum; alioquin in easdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Præterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturæ sacræ privationem à sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuò fore, etiam ante sententiam judicis, à decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publicè, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

In hujus demum sollicitudinis nostræ societatem vocantes charissimos in Christo Filios nostros, imperatorem electum, cunctosque catholicos reges, nec non principes magistratus, militiæ duces atque præfectos, eos omnes et singulos, pro sua in Deum religione, ac pietate, obnixè obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, et animis, exitiosæ duellorum licentiæ, qua regnorum tranquillitas, populorum securitas, atque incolumitas, neque corporum, solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certò periclitatur, omni nisu et constantia vehementer obsistant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optimè constitutis legibus, indictisque gravissimis pœnis, horrendum scelus proscriptum sit, nisi accuratam ipsarum legum, pœnarumque executionem gnaviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant; nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris idolo humanas litare victimas non impunè feret supremus omnium Judex Deus; rationem aliquando ab iis exacturus, quorum est divina,

et humana jura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum JESUS Christus effudit.

Volumus etc.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ 1752. quarto Idus Novembris, Pontificatûs nostri anno tertio-decimo

D. Card. Passioneus.

DE

INDULGENTIIS.

N. 286.

BULLA

BENEDICTI XIV.

IN QUA ADHORTATUR PAROCHOS, UT IN SUIS ECCLESIIS CUM PAROCHIANIS MEDITATIONES INSTITUANT, VEL DOMI INSTITUI CURENT, CONCESSIS IN EUM FINEM INDULGENTIIS.

(Spectat ad N. 247. Tom. VI.)

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolit., Archiepiscopis, Episcopis, et Præsulibus locorum Ordinariis universis, gratiam, et communionem Sedis apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quemadmodum nihil est hominibus à familiari Dei consortio et consuetudine avulsis et ejectis, ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, et ad Deum quasi manu factâ cogendum, magis opportunum, salutare ac necessarium oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio

supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui sancto, et ad Deum locutio: ita, ne desolatione desoletur universa terra, ex eo quòd nullus recogitet corde, omnes et singuli ubique et semper salutaribus præceptis monendi sunt, quòd oporteat semper orare, et nunquam deficere, ut in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas à nobis amoveat miserationes. Eapropter prædecessores nostri Rom. Pontifices divinâ institutione formati, ut CHRISTI fideles orationis, sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, et sine intermissione frequentandam incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum cœlestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones et de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in Lege Domini meditarentur. Nos autem laudatissimis eorumdem prædecessorum nostrorum exemplis incensi, non solùm omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et pœnitentiarum relaxationes per eosdem nostros prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodò nunquam revocatæ fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo, sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas apostolicâ auctoritate, tenore præsentium sub iisdem prorsus modo ac formâ confirmamus, et quatenus opus sit, de novo concedimus; verùm etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur. Primùm itaque omnibus et singulis, sive qui tam in ecclesiis, quàm alibi, et ubicumque locorum publicè et privatè quoscumque homines orandi seu meditandi rudes quomodocumque orare, et meditari docuerint, sive qui piæ orandi et meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodò verè pœnitentes ac sacra Communione refecti, quà vice id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis verò tam docentibus quàm addiscentibus,

qui assiduè præmissa peregerint, ac similiter verè pœnitentes ac sacrâ Communione refecti, pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in mense pro uniuscujusque commodo, et arbitria, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus CHRISTI fidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, et per totum mensem orationi mentali dabunt operam, et verè pœnitentes et confessi, SS. Eucharistiæ sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, etc. pias ad Deum preces pariter effunderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem juxta divinum D. N. J. C. præceptum oportet, ut quisquis oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, et clauso ostio oret cœlestem Patrem in abscondito, tamen cum ipse Dominus dixerit, quòd ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; et S. J. Chrysostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem et caritatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexas validiores in cœlum evehi: optimum esset, ubi commodè fieri posset, ut, quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus et singulis diœcesibus in more poneretur; nimirum ut singulis diebus dato certo campanarum signo, sive in ecclesiis, dummodò totius populi mulitudo unum in locum, ubi oret, masculis à fœminis seorsim collocatis, convenire facilè possit, et nulla suboriatur confusio et inordinatio; sive in propria domo patres familias eo, aut alio opportuniori tempore, ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent. Eapropter vos, Venerabiles Fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut omnibus et singulis ecclesiarum, piorumque locorum,

in civitatibus quidem, cathedralis aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in oppidis verò, parochialium ecclesiarum superioribus ac rectoribus injungatis, ut, præmisso campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus vobis opportuniùs in Domino visum fuerit, dando decernendoque, omnes CHRISTI fideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudire faciant, atque ad illam frequentandam accendere, necessitatem utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate apostolica elargimur, explicare et ad ipsos eâ, quâ decet, pietate ac reverentiâ lucrandos inflammare studeant, et initantur; atque etiam, si commodè, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant et curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, etc.

Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 16 Decembris 1746. Pontificatûs nostri anno septimo.

Cajetanus Amatus.

No. 287.

INDULGENTIÆ

CONCESSÆ DEVOTE RECITANTIBUS AD PULSUM CAMPANÆ MANE, AUT MERIDIE, SEU VESPERE: ANGELUS DOMINI, ETC.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctæ nobis divinitùs apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium numerum thesauros, dispensationi nostræ à Domino creditos, fideliter erogemus, cùm id ad augendam in terris beatissimæ, atque augustissimæ cœli Reginæ, Virginis Deiparæ Mariæ, Patronæ, et advocatæ nostræ venerationem, excitandamque, et confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum: Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, authoritate confici, omnibus, et singulis Christi fidelibus, verè pœnitentibus, et confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui manè, "aut" meridiè, "seu" vesperè, ad pulsum campanæ, "Angelus Domini annuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundùm verbum tuum: Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis," cum tribus "Ave Maria" flexis genibus devotè recitaverint, et pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat, per unumquemque fidelem, ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium pecca-

torum suorum indulgentiam, ac remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis verò anni diebus, iisdem Christi fidelibus, verè contritis quoties id egerint, centum dies de injunctis iis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesia consueta, relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanct. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14 Septembris 1724. Pontificatûs nostri anno primo.

Hactenus indultum Pontificis, in quo, cùm exigatur, ut prædictæ preces dicantur flexis genibus, statim ab initio ortum est dubium, et controversia excitata, an etiam diebus Dominicis, et tempore Paschali dicendæ essent flectendo? Affirmârunt non pauci, et praxi suâ confirmârunt opinionem suam eò quòd nullum tempus, diemve Papa excipiat, adeòque nec nos excipere debeamus. Econtrà negârunt alii, contendentes, inhærendum esse antiquæ Ecclesiæ consuetudini, ex qua ab initio usque huc, in memoriam Resurrectionis Domini, preces illæ stando à fidelibus sunt recitatæ. Ratio horum erat, quia non tam verba, quàm mens et intentio Pontificis spectanda erant: præsumi autem non potuerit, quod voluerit antiquum illum, piumque ritum abrogare, atque ad eum eliminandum indulgentiis invitare fideles, cùm ritus uterque salvus consistere sine inconvenientia potuerat, adeòque minimè altare contra altare erigere expediens fuerit. Hanc controversiam ante annos aliquot extinxit BENEDICTUS XIV. Papa, dum confirmatis, prædictis Benedicti XIII. indulgentiis declaravit, statuitque preces persolvendas esse stando, tum diebus Sabbathi à meridie, seu vespere, et diebus dominicis, tum toto tempore Paschali, atque in hoc loco "Angelus Domini" etc. dicendam esse antiphonam, "Regina cœli," cum oratione, ab iis, qui eam

nôrunt; qui verò ignorant, adhibeant supradictam orationem "Angelus Domini" etc.

Ita habetur ex notificatione Em. Card. Quandagni SS. Domini Vic. Generalis Romæ publicatâ die 20. Aprilis 1742.

N. 288.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV.

QUA AMPLIATUR EPISCOPIS FACULTAS IMPERTIENDI BENEDICTIONEM CUM INDULGENTIA PLENARIA FIDELIBUS IN MORTIS ARTICULO CONSTITUTIS, ETIAM PER ALIOS TAM IN CIVITATIBUS, QUAM IN DIŒCESIBUS AB IPSIS SUBDELEGATOS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Pia Mater catholica Ecclesia, de æterna filiorum suorum salute in primis sollicita, cùm hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere nunquam prætermisit omnibus eos subsidiis, pro hujusmodi temporis necessitate opportunis, juvare atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quàm quæ apta et salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ æternæque pœnæ reatu,

in purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul et recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorundam criminum absolutio Romano duntaxat Pontifici in universo christiano orbe aliorum autem singulis ecclesiarum præsulibus in eorum diœcesibus, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare, et cuilibet sacerdoti liberam et plenam facultatem esse quemcunque pœnitentem à quibuscunque peccatis et criminibus, nec non ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi providè declaratum fuit. Præterea, cùm in Ecclesia immensus et inæstimabilis existat thesaurus spiritualis, ex infinitis constans, satisfactionibus passionis et mortis Domini Nostri Jesu Christi, ac præterea ex meritis et satisfactionibus gloriosæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum et Electorum, cujus thesauri dispensationem Salvator noster beato Petro Apostolorum Principi, ejusque in perpetuum successoribus tradidit; hoc semper summo studio curârunt Prædecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos fideles largè diffunderent, et maximâ omnium amplitudine, quæ indulgentia plenaria nuncupatur, cujus que impertiendæ jus in apostolica Sede unicè residet, ipsis potissimum applicarent; quam quidem in rem Episcopis per ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegârunt; ne ullus in orbe terrarum angulus esset, ubi catholicæ religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

"Variis deinde expositis circa modum, quo hujusmodi facultas Episcopis eòusque concedi consueverat, postea statuit Pontifex:

"1.° Ejusmodi facultates Episcopis à se aut prædecessoribus suis concessas, in suo robore manere quoad iidem antistites suarum ecclesiarum atque diœcesium regimen obtinebunt.

"2.° Episcopos facultatem habere subdelegandi in suis civitatibus et diœcesibus tot sacerdotes, quot pro numero animarum in diœcesibus existentium necessarios judicaverint, qui eorum vice benedictionem fidelibus in articulo mortis constitutis impertiantur.

"3.° Indulta Episcopis concessa non expirare per mortem summi Pontificis concedentis.

"4.o Nec subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum; sed perseverare, usque ad superventum novi præsulis, cujus arbitrio conformari aut revocari possunt.

"Deinde hæc subjungit, quæ à parochis aliisque sacerdotibus, quibus benedictionem apostolicam infirmis impertiendi cura incumbit, sedulò sunt attendenda:"

Ut autem indulgentiæ fructus à fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulò agendum erit, ut populus in sacris concionibus et catechesibus frequenter edoceatur, quòd iis, qui gratiæ Dei, quam in baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis æterna supplicia in pœnitentiæ sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna divinæ justitiæ exsolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solùm per satisfactiones à sacerdote confessario in ipso pœnitentiæ sacramento pro mensura delicti impositas, aut per christianam tolerantiam earum adversitatum, à quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, eleëmosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia; alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiæ benignitate fidelibus suppeditata, paulatim in pravæ libertatis et licentiæ fomentum traherentur: compluribus sibi temerè blandientibus de remissione tum sempiternæ pœnæ, per sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per indulgentiæ pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda; neque cogitantibus, quàm incertum sit omnibus non solùm quâ horâ, et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an indulgentiam, licèt externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Præpostera æquè ac periculosa antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitæ ipsius sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio liberè indulgerent, ac demum cùm è vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, et tam ab æterna, quàm à temporali pœna soluti, ad cœleste regnum recta transferrentur; contra quos extant gravissimæ objurgationes sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. et S. Joannis Chrysostomi in Homilia I. super Acta: Sed et Ecclesia

catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo baptismum susceperant, si convaluissent, à sacris ordinibus, et ab officiis ecclesiasticis arcendos, ac perpetuò irregulares fore decrevit.

Et quoniam sacerdotibus, qui fideles in extremo agone laborantes piè adjuvant, vel Ecclesiæ sacramenta ipsis ministrant, rituale Romanum injungit, ut si ægrotus indulgentiam plenariam legitimâ authoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque: quid ad eam consequendam agere debeat; ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ usum retinent, alii verò loquendi facultatem amiserunt, licèt antea sinceræ contritionis indicia dederint, eâque adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; "Ideo, quo certius prædicti omnes indulgentiæ fructum consequi valeant, præfatis sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus; præsertim verò ad ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipuè opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus et injungimus, quo se ad plenariæ indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant" (1). Quâ in re author Nobis est sanctus doctor Augustinus, qui in "Libro XIII. de Civit. Dei cap. 6." postquam horridam mortis speciem,

(1) Præterea ex indulto, quo facultas eam moribundis impertiendi. Episcopis concedi solet, notari debent sequentia: "Quoties aliquem utriusque sexûs fidelem in mortis articulo constitutum esse contigerit, si verè pœnitens et confessus ac sacrâ communione refectus, vel quatenùs id facere nequiverit, saltem contritus Nomen Jesu ore, si potuerit sin minùs, corde devotè invocaverit, et mortem, tanquam peccati stipendium, de manu Domini patienti atque alacri animo susceperit, toties per teipsum, aut presbyteros delegandos, apostolicam benedictionem nostro et R. Pontificis pro tempore existentis nomine cùm plenariâ omnium peccatorum indulgentiâ et remissione impertiri valeas, facultatem tenore præsentium, servatâ tamen in omnibus Benedicti XIV. nonis aprilis 1747 expeditarum litterarum formâ et dispositione, impertimur. Volumus autem ut tam tu, quàm delegati formulam adhibeatis a memorato Benedicto XIV. præscriptam," etc.

eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis pœnam, ibi quoque asseruit et confirmavit; hæc ad rem nostram apposite subdit: "Quidquid tamen illud est morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, piè fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuatâ propagine, procul dubio sit mors pœna nascentis: tamen, si proprietate justitiâque pendatur, fit gloria ranascentis; et cùm sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato."

Pro impertienda verò benedictione fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandâque ipsis plenariâ indulgentiâ, cùm nulla certa formula olim præscripta foret sanctæ memoriæ prædecessor noster Benedictus Papa XIII. anno Domini 1726. pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit: quarum exemplo, in his quæ opportuno judicavimus, inhærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac nostra constitutione præscripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari præcipimus; mandantes hoc ipsum inculcari, et injungi in apostolicis litteris, quæ deinceps pro concessione prædictæ facultatis indulgentiæ plenariæ moribundis impertiendæ, ut præmisimus, expediendæ erunt.

Ac decernentes, ipsas præsentes litteras semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus perpetuò sortiri, et obtinere, atque iis, ad quos spectat, seu spectabit in futurum plenissimè suffragari: non obstantibus apostolicis, et in generalibus, seu provincialibus, aut synodalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam congregationum S. R. E. Cardinalium, decretis et resolutionibus, etiam apostolicâ authoritate approbatis, roboratis, et pluries confirmatis; usibus quoque, stilibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, ad præmissorum effectum, motu, scientiâ, et potestate præfatis, amplissimè derogamus, aliisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica

constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Formula igitur, quam pro impertienda benedictione, et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda, ut præfertur, in posterum adhibendam esse præscripsimus, talis est:

(Vide Manuale Past., edit. ultimæ)

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ 1747. Nonis Aprilis, Pontificatûs nostri Anno septimo.

D. Card. Passioneus.

No. 289.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Cum non pauci ad hanc sacram Congregationem indulgentiis sacrisque reliquis præpositam supplices libelli porrecti fuerint, præsertim è Gallia, ob confessariorum inopiam pro obtinenda facultate sacramentalem confessionem peragendi per plures dies ante eucharisticam communionem indulgentias acquirendas præscriptam; nec non ut explicetur an ad eas lucrandas liceat sacrâ synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessæ; eadem sancta congregatio habita in palatio quirinali sub die 15 Aprilis proximè præteriti, auditis consultorum votis, omnibusque maturè expensis, censuit licere ad præfatum effectum Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis: quo verò ad petitam explicationem respondendum censuit.

Firmo remanente decreto 9 Decembris 1763 pro iis fidelibus, qui ad confessionem semel saltem in hebdomada accedunt. Pro cæteris autem fidelibus, in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione expiari: postulantibus commu-

nicetur dictum decretum, et facto verbo cum Sanctissimo extendatur ad omnes utriusque sexûs fideles, unde confessio peracta infra hebdomadam ante festivitàtem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodò nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ, conscii sunt, nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilæi concessas, ut in citato decreto 9 Decembris 1763.

Factoque verbo cum Sanctissimo in audientia habita per me infrascriptum secretarium die 11 Junii 1822, Sanctitas sua sanctæ Congr. votum benignè approbavit ac publicari mandavit.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem sanctæ Congregationis indulgentiarum die 12 junii 1822.

Loco † Sigilli

G. Card. ab Auria (Doria) Pamphili præf. pro R. P. D. BERNARDO UGO secr. PETRUS Canonicus Torraca substitutus.

DE

EXTREMA-UNCT.,

ORDINE ET MATRIM.

N. 1.

DE UNCTIONIBUS ESSENTIALIBUS.

Ex Bened. XIV. de Synodo lib. VIII. cap. 3.

(Spectat ad N. 4. de Extrema-Unct. Tom. VII.)

...Quoniam in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, in hujusce Sacramenti administratione septem unctiones fieri jubentur, videlicet: "In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter oderatum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem:" earumque singulis respondere debeat

forma, tunc à ministro pronuntianda, hoc est: "Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti," cùm inunguntur oculi; "quidquid per auditum deliquisti," cùm inunguntur aures: et sic deinceps, quemadmodum fusè exponitur in Rituali Romano: hinc gravis suboritur controversia, utrùm omnes prædictæ Unctiones, et formæ prolationes sint de Sacramenti substantia: de qua controversia multa habentur in citata Dissertatione "de suprema Unctione" Benedicti de Gaëtanis "cap. 8."

II. Ultro Doctores omnes fatentnr cum Suarez "tom. 4. in 3. part. disp. 40. sect. 2. num. 6." duas postremas Unctiones, pedum scilicet, et renum, necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem: tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias; tum quia illa unctio renum, honestatis, et pudoris causâ semper omittitur in fœminis, et interdum etiam in viris qui propter labefáctatas corporis vires, morbique languores, dimoveri nequeunt sine gravi incommodo: quod adnotatur à Rituali Romano, atque à Cardinali Sanctorio "in suo Rituali Romano pag. 325." Haud difficulter quoque iidem admittunt, cæteras quinque sensuum Unctiones necessarias esse necessitate præcepti, sed dissentiunt, et disputant, num etiam necessariæ sint necessitate Sacramenti. Antiquiores Scholastici existimârunt, omnes pertinere ad substantiam, et integritatem Sacramenti, quod ex singulis, tanquam ex sui partibus essentialibus, constitui, atque integrari, sunt opinati. Ita "in 4. dist. 23." docuerunt S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Sotus, quibus subscripsêre Bellarminus "de extrem. Unct. lib. unic. cap. 10:" Gregorius de Valentia "tom. 4. disp. 4. quæst. 2. punct. 2. sect. Secundo asserimus;" Gonetus "tom. 5. pag. 466." aliique plurimi, præcipuè ex Theologis moralibus. Citatur etiam pro hac sententia S. Thomas: sed Auctor "supplem. 3. part. quæst. 32. art. 6." exponens Angelici Præceptoris mentem, dubitanter loquitur, inquiens: "Illa Unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti:" et dubitanter quoque loquitur Suarez "cit. disput. 40. sect. 3. num. 16." quamvis "sequenti disp. 11. sect. 2. in fin." videatur in sententiam propendere, tunc temporis ferè communiter à Scholasticis receptam.

III. Alii ex adverso validum censent extremæ unctionis sacramentum, si vel una tantùm inungatur corporis pars, unicâ prolatâ, mox referendâ, formâ universali, omnes sensus complectente. Ita Sylvius "in supplem. qu. 32. art. 6. quæst. 2." Nicolaus Serarius "tract. de extrem. Unct. cap. 7." Becanus "in Summ. Theolog. de Sacram. in specie cap. 27. quæst. 7." Estius "in 4. dist. 23. sec. 15." Natalis Alexander "Theolog. dogmat. et moral. tom. 5. lib. 2. cap. 5. reg. 6." Juenin "cit. dissert. quæst. 3. cap. 2." Tournely "cit. quæst. 2. art. 1. in fine." Van Roy "in sua Theolog. moral. part. 4. tom. 2. de Sacram. tract. de extrem. Unct. quæst. 3." Piette. "Quæst. Theolog. part. 6. quæst. 3. vers. Dico septimò," aliique recentiores passim. Huic opinioni validissimum fundamentum præbet diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis ecclesiis suâ ætate viguisse, affirmat Albertus Magnus "in 4. dist. 23. art. 16." inquiens: "Diversarum ecclesiarum, et ordinum, diversus est usus, quia in quibusdam ecclesiis unguntur loca plura, et in quibusdam pauciora." Atque exordiendo ab ecclesia orientali, licet Græci, teste Arcudio "Concord. lib. 5. cap. 7," nunc inungant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, et pedes, attamen, ineunte sæculo IX. tres tantùm unctiones ab iisdem fieri consuevisse, asserit Theodulphus, Aurelianensis Episcopus, "Capitular. 2." apud Baluzium "tom. 7. Missellan." In ecclesia verò Occidentali, invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito à Menardo, præscriptas unctiones quinque sensuum: at in codice abbatis Rotaldi, illis additas legimus unctionem colli, pectoris, et scapularum: in veteri pontificali Prudentii, Episcopi Tricassini, imperatam insuper reperimus "unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet:" antiquus codex Turonensis, unctionem fieri mandat "in genibus quoque, et in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, et penè in omnibus membris, seu in loco, ubi dolor plus imminet:" quæ omnia videri possunt apud Morinum "in append. ad tractat de Pœnit.," et Martene "de antiq. Eccles. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 7. art. 4." Tanta autem in unctionum numero difformitas non fuisset singularum ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earumdem numerum sacramenti validitas exposceret.

IV. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni

suppeditant recentiora peculiarium ecclesiarum ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant: siquidem pastorale Mechliniense, cujus non levis est auctoritas, tum quia ab Academia Lovaniensi anno 1588. approbatum, tum quia ab Octavio Frangipanio, Episcopo Tricariensi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio apostolico, ad diœcesis quoque Coloniensis usum protractum, hæc de extrema unctione statuit: "In morbis contagiosis, et peste grassante, ut periculum videtur, sufficit inungi sensûs organum magis ad unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, et gressum." In antiquo codice Remigio Remensi, à Sambovio laudato, legitur ritus "abbreviatus" conferendi hujus sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In rituali Parisiensi, prolato à Tournely "cit. art. 1." dicitur: "Si non possit super infirmum fieri, nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, et, cæteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam sacri olei unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus." Eamdemque praxim approbant Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque ecclesiarum manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.

V. Sed, quoniam neque de hac quæstione, quæ sanè gravissima est, ulla hactenus ab apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere; sed dumtaxat parochos monebit, ut, cùm prudenter timent, ægrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronunciando, quam ab allegatis ritualibus audivimus: quin imò in prædicto eventu consultiùs esse, ut caput, è quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immeritò advertit Coninck "de sacram. disput. 19. dub. 3. num. 2." Ne verò Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul seriò eosdem admoneat, à gravis culpæ reatu non excusari, qui, extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum Unctionibus prætermittit.

N. 2.

DE TRIUM HIERARCHICORUM ORDINUM MATERIA ET FORMA.

Ex Bened. XIV. de Synodo. Lib. VIII. cap. 10.

(Spectant ad N. 4. 5 et 6. de Ordine, Tom. VII.)

Si Episcopus velit in sua Synodo peculiariter disserere de singulis ordinibus, quod à plerisque, ad ordinandorum instructionem, prudenter factitatum comperimus, diligenter curet, ut omnia ad amussim iis respondeant, quæ de iisdem ordinibus à catechismo Romano traduntur; atque omnino declinet quæstiones in scholis agitatas, maximè circa materiam, et formam trium hierarchicorum ordinum: ne secus in ea se conjiciat difficultatum dumeta, à quibus vix possit extricari. Quod ne perperam à nobis monitum videatur, ad rem facientem quæstionem subnectimus, de qua, priusquam huic operi extremam manum admoveremus, fuit in sacra Congregatione Concilii disceptatum. Quidam sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepissent, ad Episcopum tamen, solita patenæ cum hostia, et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus, non accessit. Re postea detectâ, quid facto opus esset, dubitatum, atque à sacra Congregatione petitum est. Difficultatis decisio ab illa pendebat gravissima controversia, inter theologos agitata, circa materiam, et formam ordinis presbyteratûs.

II. Antiquiores scholastici, quos Sotus "in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3." et teste Goneto "in clypeo disp. 2. art. 3." plerique alii Thomistæ sectantur, aliam non agnoverunt ordinationis materiam, quam porrectionem instrumentorum, neque aliam formam, quàm verba huic porrectioni adjuncta. Eorum præcipuum funda-

mentum situm est in Decreto ab Eugenio IV. edito in concilio Florentino ad Armenorum instructionem, ubi, cùm singulorum ordinum materiam, et formam singillatim Eugenius recenseat, solam porrectionem instrumentorum, et, quæ eam comitantur, verba commemorat; inquit enim "tom. 9." Collectionis Harduini "col. 440. Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis, per rerum, ad ministeria sua pertinentium, assignationem. Forma sacerdotis talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti: et sic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali Romano latè continetur." Cujus quidem decreti auctoritate suffulti præfati auctores, adeò tenaciter suæ opinioni adhæserunt, ut interrogati, cujusnam instrumenti traditione, Evangelicæ prædicationis initio, ab Apostolis ordinarentur diaconi, cùm nondum Evangeliorum liber esset conscriptus, sine hæsitatione responderunt, ejus loco, porrectam fuisse ordinando chartam, in qua fidei nostræ mysteria erant conscripta, quam sanè ridiculam, et planè absurdam responsionem explodit Isambertus "de sacram. Ordinis disp. 3. art. 6."

III. Alii, cùm ex una parte prædictum Eugenii decretum præ oculis habuerint, atque ex alia animadverterint, in sacris litteris, ubicumque de sacra ordinatione fit mentio, non aliter eam explicari, quàm per manuum impositionem: "Act." enim 6. cùm de constituendis diaconis Apostoli deliberassent, eorumque electionem Discipulorum multitudine permisissent, septem ab his designatis, "orantes, imposuerunt manus;" et "cap. 13." de ordinatione Pauli, et Barnabæ dicitur: "Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos:" Paulus itidem 1. "ad Timoth. 4." scribit; "Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum impositione manuum presbyterii:" et "epist. 2. ad eumd. cap. 1: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum:" ut hæc testimonia cum prædicto decreto

simul conciliarent, docuerunt, tam porrectionem instrumentorum, quàm manuum impositionem, esse episcopatûs, presbyteratûs, et diaconatûs adæquatam materiam: formam verò esse verba, quæ in utraque actione ab ordinante proferuntur. Ex tribus autem mox referendis manuum impositionibus, quæ adhibentur in ordinatione presbyteri, tertiam dumtaxat, quæ fit sub hac formula: "Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata" etc. ad sacramenti essentiam pertinere, isti auctores autumant. Ita Bellarminus "de Sacram. Ord. lib. unic. cap. 9." Maldonatus "tract. de sacram. Ordin. quæst. 3. part. 2. prop. 1 et 4." ubi hanc assertionem quoad manuum impositionem esse de fide, quoad porrectionem instrumentorum proximè ad fidem accedere ait, Vasquez "in 3. part. disp. 239. cap. 2, 3 et 4." Hallier "de sacris Elect. et Ordinat. part. 2. sect. 2. c. 2. art. 1. sec. 10 et seq." Estius "in 4. dist. 24. sec. 24." Isambertus "cit. loc." Piette "de Sacram. Ord. quæst. 9." Van Roy "eodem tract. cap. 3. quæst. 1." Simonet "tract. 17. de Ordin. disp. 3. art. 1." aliique innumeri.

IV. Alii demùm existimant, trium ordinum hierarchicorum, Episcopatûs videlicet, presbyteratûs, et diaconatûs, adæquatam materiam, et formam, solam esse manuum impositionem, cum ei respondentibus verbis; porrectionem autem instrumentorum ritum censent merè accessorium, et integrantem, ab Ecclesia adjunctum ad majorem dumtaxat significationem, et expressionem collatæ potestatis. Quoniam verò in ordinatione presbyteri ter Episcopus manus imponit ordinando; primò, absolutis litaniis, unà cum sibi astantibus presbyteris, nihil dicens; secundò, immediatè post primam, invocans in electum gratiam, et dona Spiritûs Sancti; tertiò, post communionem, proferens illa verba: "Accipe Spiritum Sanctum" etc., non primam, neque tertiam, sed tantùm secundam, cum adjunctis precibus, totam sacramenti essentiam perficere, hujus sententiæ patroni contendunt. Non immeritò tamen advertit mox citandus Martene, secundam manuum impositionem non differre à prima, sed esse illius continuationem; quod reverà utramque inspicienti est manifestum. Ultro porrò iidem concedunt, cæteros ordines, diaconatu inferiores, per solam instrumentorum traditionem conferri: quoniam, ut ipsi

opinantur, non sunt à Christo Domino instituti, sed ab Ecclesia adinventi; ac proindè, cùm non participent veram rationem sacramenti, neque conferant gratiam ex opere operato, potuerunt quocumque alio modo, ad Ecclesiæ placitum, institui, et conferri. Hanc sententiam propugnant Hugo Menardus "in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii," Joannes Morinus "de sacram. Ordinat. part. 3. exercit. 7. cap. 1." Martinus Becanus "de Sacram. Ordin. cap. 26. quæst. 4. conclus. 3." Goarius "in not. ad Euchologium Græcor. pag. 256. num. 11." Arcudius "Concord. lib. 6. cap. 7." quibus in locis hi duo posteriores doctores, non de sola Ecclesia Græca, sed etiam de Latina expressè loquuntur; Juenin "de Sacram. diss. 9. quæst. 3. cap. 2. et quæst. 4. cap. 2. et 3." Van Espen "Jur. Eccl. univers. part. 2. tit. 9. cap. 1. num. 9. et seq." Martene "de antiquis Eccles. ritib. lib. 1. cap. 8. art. 9. num. 11., 16 et 18." Tournely "de Sacram. Ordin. quæst. 3. conclus. 1 et 2." aliique recentiores, quibus facem prætulerant S. Bonaventura "in 4. disp. 24. part. 2. art. 1. quæst. 4." et Petrus Soto "lib. de Instit. Sacerd. lect. 5." quorum primum hanc sententiam expressè docuisse, alterum verò maximè in eam inclinasse, fatetur Vasquez "cit. disp. 239. cap. 2. num. 5."

V. Duo autem sunt argumenta, quibus hanc assertionem nedum probari, sed evidenter demonstrari, putat Morinus. Primum ex eo desumitur, quod per annos ad minimum nongentos, ordines hierarchici in universa ecclesia collati fuerint per solam manuum impositionem, absque ullius instrumenti traditione; quod etiam doctores contrariæ sententiæ, cum Bellarmino, et Hallier "cit. loc." coguntur admittere: nulla quippe traditionis instrumentorum occurrit mentio in antiquis ritualibus, et sacramentariis, à Menardo, Morino, et Martene diligenter perquisitis, et prolatis: quin imò in supra citato concilio Carthaginiensi IV. anni 398. cui Episcopi 214. inter quos Augustinus, interfuêre, per hoc subdiaconatus ab hierarchicis ordinicus distinguitur, quod isti manuum impositione, ille verò instrumentorum porrectione conferretur, sicuti animadvertimus: eamdemque differentiam fieri legimus in antiquo sacramentario Romano, edito à Cardinali Thomasio pag. 229. Nullam etiam instrumentorum traditionem commemorant Amalarius Fortunatus, Ra-

banùs Maurus, et Walafridus Strabo, etsi de ritibus conferendi sacros ordines fusè, atque ex professo agant. Altum similiter apud eosdem scriptores, atque in vetustissimis libris ritualibus est silentium de tertia impositione manuum, nunc fieri solita in ordinatione presbyteri, cum illis verbis: "Accipe Spiritum sanctum" etc. cujus nullum inveniri monumentum illo antiquius, quod extat in Vita Lietberti, Episcopi Cameracensis, qui vivit seculo X. testatur Martene "cit. art. 9. num. 12." unde infert idem Martene, hunc ritum, saltem quoad totam Ecclesiam Latinam, esse adhuc recentiorem altero porrigendi instrumenta, quem ceteroquin non ante annos 700 aut ad summum 800 in Ecclesiam Latinam invectum, ex iisdem ritualibus planè constat. Quare, inquiunt laudati doctores, ne alterum ex his dicamus, nimirùm, aut mutatam fuisse sacramentorum substantiam, quod erroneum; aut antiquam ecclesiam caruisse vero sacerdotio et legitimis ministris, quod apertè hæreticum foret; necessariò dicendum est, etiam nunc ordines hierarchicos solâ manuum impositione, et quidem distincta àb illa tertia, quæ est recentioris ævi, conferri.

VI. Porrò, non aliud ecclesiam sibi voluisse, credendum est, cùm, prædicta additamenta sacræ ordinationi fieri præcepit. (pergunt iidem doctores) quàm magis disertè explicare potestatem, quæ secundâ manuum impositione est abundè ordinato collata; quemadmodum, priusquam Scholasticorum opinio omnium menti altiùs insideret, fassi sunt Hugo à Sancto Victore "lib. 2. de Sacram. Fidei part. 3. cap. 12." inquiens: "Accipiunt calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi:" ac totidem ferè verbis Petrus Lombardus "lib. 4. dist 24. Accipiunt etiam calicem cum hostiis, ut per hoc sciant, se accepisse potestatem, placabiles Deo hostias offerendi:" quibus consentit antiquum pontificale Romanum Ms. bibliothecæ Colbertinæ, ubi legitur: "Accipiat patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et ponat simul in manibus ordinati cujuslibet per se:" etenim, cum dicat "ordinati," et non "ordinandi," apertè denotat, ante instrumenti traditionem, absolutam, et perfectam jam esse ordinationem.

VII. Alterum, nec minus validum argumentum huic sententiæ astruendæ, suppeditat ecclesia Græca, quæ in sacris ordinationibus perficiendis aliam non adhibuit, neque adhibet materiam, præter manuum impositionem: utì legere est in Græcorum Euchologio, et testatur Arcudius "cit. lib. 6. cap. 2." quin tamen ecclesia Romana ejusmodi Græcorum ordinationes unquam irritas habuerit, aut nullo pacto improbaverit: imò de illarum validitate non solùm nihil dubitatum fuit in conciliis Lugdunensi, et Florentino, quibus Græci cum Latinis adfuêre, sed nihil præterea dubitavit Clemens VIII. qui Russorum Episcopos, presbyteros, et diaconos, ad catholicam unitatem admisit cum ordinibus, quibus, secundùm ritum Græcorum, insigniti fuerant suo schismate: utì latè prosequuntur Natalis Alexander in "Theolog. dogmat. et moral. lib. 2. de Sacram. Ordin. art. 7. sec. 2." Morinus "de Sacr. Ordinat. part. 3. exercit. 7. cap. 1. num. 8." Cabussut. "in Notit. Ecclesiast. sæculi IV. in append. ad can. Concilii IV. Carthaginiensis num. 4. et 4." Tournely "in Prælection. theolog. de Sacram. Ordin." Cardinalis de Lugo "de Sacram. disp. 2. sect. 5. num. 85." Cardinalis Albitius "de Inconst. in Fide cap. 30. sub num. 374. §. Diverso autem ritu," Verricell. "de Apostol. Mission. tit. 11. quæst. 168. sect. 3. num. 22."

VIII. Hoc autem eodem argumento, è Græcorum more petito, auctores, quorum sententiam in præsens exponimus, antevertunt fundamentum contrariæ opinionis, Eugenii decreto subnixum: quâ enim ratione, inquiunt, potuisset Eugenius IV. definire in instrumentorum porrectione, eique respondentibus verbis, consistere essentiam sacræ ordinationis, postquam in eodem concilio ad communionem admiserat Episcopos, sacerdotes, et diaconos Græcos, sola manuum impositione ordinatos? Necesse est igitur fateri, Eugenium loquutum de materia, et forma integrante, et accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitæ, ut Ecclesiæ Latinæ moribus se prorsùs accommodarent, ac rituum uniformitate, firmiùs eidem adhærerent: quod bene ponderant Menardus, Becanus et Morinus. Neque hanc explicationem respuere possunt auctores contrarii: siquidem in eo decreto nulla fit mentio tertiæ impositionis manuum, quam nihilominus ad ordinationis presbyteri

essentiam pertinere, iidem affirmant: atqui idcirco fateri coguntur, non fuisse mentem Pontificis, ibidem explicare quæ ordinationis substantiam perficiunt.

IX. Ut hæc argumenta, quibus profectò nimium se premi sentiunt, declinent, varia prædicti doctóres tentarunt effugia. Dixerunt plerique, etiam nunc in Ecclesia Latina ordines hierarchicos solâ conferri manuum impositione, quia Episcopus suis manibus instrumenta exhibet ordinando. At in primis, si porrectio instrumentorum vera esset manuum impositio, etiam inferiores ordines dicerentur conferri per manuum impositionem, contra id, quod à concilio Carthaginiensi IV. audivimus: per manûs etiam impositionem perficerentur baptismus, et extrema unctio, quia ministri manibus baptizandi corpus abluitur, et sancto oleo perungitur infirmus: quod tamen nemo unquam dixit. Deindè hâc responsione difficultatis nodus non solvitur; nam neque hodie Græci, neque olim Latini, in conferendis ordinibus hierarchicis, instrumenta adhibuere; ac propterea alia diversa est impositio manuum, in quam cadit præsens controversia.

X. Dicunt alii, reverà olim Latinos, sicuti nunc Græci, ordines hierarchicos solâ contulisse manuum impositione; et nihilominus hodie in Ecclesia Latina necessariam esse traditionem instrumentorum, quia Christus Dominus non instituit, neque determinavit materiam, et formam ordinationis in specie infima, seu "atoma," utì ajunt, sed permisit Ecclesiæ, illas pro suo libito determinare, justisque de causis mutare modò et res, et verba semper usurpet, quæ apta sint ad significandum sacræ ordinationis effectum. Ecclesia autem, quæ solam olim designaverat manuum impositionem, cum verbis eam comitantibus, mutatis postea rerum circumstantiis, illa Græcis relicta, aliam materiam adhibendam statuit à Latinis. Verùm hæc doctrina duas gravissimas offendit difficultates. Primò quippe non satis probatur, quòd Christus Dominus prædictam potestatem fecerit Ecclesiæ; imò oppositum videtur evinci ex Tridentino "sess. 21. cap. 2," ubi declarat, à Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem mutandi, quæ Sacramentorum dispensationem respiciunt, "salvâ illorum substantiâ:" mutatio verò materiæ, et formæ, non ad ritum, et dispensationem, sed ad substantiam pertinet. Deindè, datâ Ecclesiæ facultate, de qua est

sermo, gratìs omninò, et arbitrariò fingitur, quòd Ecclesia eâ usa fuerit: dicant enim, ubi, et quando, quo sæculo, in quo concilio, à quo Pontifice facta sit ejusmodi mutatio? Enimverò, si Ecclesia ab ordinationis ritu ea ablegasset, quæ antiquitùs fiebant, cogeremur utique affirmare, ordinationis materiam, et formam fuisse, Ecclesiæ auctoritate, mutatas, novasque antiquis subrogatas. Sed, cùm omnia, quæ habentur in antiquis ritualibus, perseverent intacta, ac sanctè et integrè etiam nunc peragantur; nemo facilè credet, illa eadem, quæ jampridem satis erant, nunc, ad ordinis sacramentum perficiendum, ampliùs non sufficere.

XI. Hæc omnia placuit hìc exponere, non ut huic postremæ sententiæ calculum adjiceremus, sed eo tantum consilio ut perspicuum fieret, eam, quamvis habeat contra se universam ferè aciem scholasticorum, ab istorum tamen ictibus nihil sibi metuere, imò et sua jacula habere, quæ in eos intorqueat.

XII. Quare, ut ad propositum redeamus, cùm valde incertum sit, an is, de quo in casu, per secundam manuum impositionem esset ritè ordinatus, id utique faciendum erat, quod præscribit Gregorius XI. "in cap. Presbyter. de Sacram. non iterand." ubi in casu haut absimili decrevit: "Nihil esse iterandum, sed cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum:" quod præcipuè in illo rerum statu servandum erat, ne sacramentum, quod in multorum sententia, censebatur undique perfectum, iterationis periculo abjiceretur; quemadmodum optimè, atque ad rem omninò appositè adnotavit Natalis Alexander "Theolog. dogmatic. et moral. de Sacram. Ordin. cap. 1. art. 7. sec. 2. in fin." inquiens: "Unde, si quis horum rituum, qui ad materiam vel formam pertinent, secundùm varias theologorum opiniones, in ordinatione fuisset omissus, v. g. manuum impositio prima, vel adjuncta oratio, aut calicis cum vino, et aqua et patenæ cum hostia traditio, adjunctave formula verborum, aut unctio, aut denique manuum impositio postrema, vel hæc verba ipsam comitantia: Accipite Spiritum Sanctum etc. supplere deberet Episcopus, quod in ordinatione fuisset incautè prætermissum, ut colligitur ex Cap. Pastoralis, et ex Cap. Presbyter, extra, de Sacramentis non iterandis."

XIII. Quia autem nonnulli non infimi theologi dixerunt, impositionem manuum, præambulam porrectioni

instrumentorum, simul cum hac, in unum coalescere materiam, quâ, unà cum verbis ab Episcopo instrumenta exhibente prolatis, prima confertur sacerdotalis potestatis pars, conficiendi nimirùm corpus Christi; idcirco sacra Congregatio, scitè animadvertens, præviam illam manuum impositionem, jamdiù antea peractam, non posse moraliter conjungi cum traditione instrumentorum, quæ postmodum fieret, ut etiam hujus opinionis, in re tanti momenti, rationem aliquam haberet, totam ordinationem sub conditione iterandam rescripsit.

N. 3.

PROPOSITIONES EX ACTIS SYNODI DIŒCESANÆ PISTORIENSIS EXCERPTÆ, ATQUE A PIO VI. DAMNATÆ PER BULLAM AUCTOREM FIDEI, DATAM 5. CAL. SEPTEMB. 1794.

Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinæ.

IX. Doctrina quæ statuit "reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo, et parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum,"

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ à Calvino innovatæ.

(Spectat ad N. 5. de Ordine, Tom. VII.)

X. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur unà cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum ecclesiæ ad minus erronea.

(Spectat ad eund. N. Tom. VII.)

De Ordine.

LII. Doctrina Synodi, quæ innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in concilio chalcedonensi: subjungens (sec. 6.), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verùm beatos illos dies transisse, novaque principia subindè introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii;

(Spectat ad N. 12. de Ordine, Tom. VII.)

LIII. Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit à vetere instituto, quo, ut ait (sec. 3.), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta;

1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt;

2. Sive quibus pro ecclesiarum necessitatæ et com-

moditatæ probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim à Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii: Salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit à spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistinctè ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent;

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam injuriosa.

(Spectat ad N. 12. de Ordine, Tom. VII.)

LVI. Doctrina quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis nullam unquam nec concedendam, nec amittendam esse dispensationem;

Æquitatis et moderationis canonicæ à sacro concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus ecclesiæ derogans.

(Spectat ad N. 12. de Ordine, Tom. VII.)

N. 4.

PROPOSITIONES EX ACTIS SYNODI PISTORIENSIS EXCERPTÆ, ATQUE A PIO VI. DAMNTAÆ PER BULLAM AUCTOREM FIDEI, DATAM 5. CAL. SEPTEMBRIS 1794.

De sponsalibus et matrimonio.

LVIII. Propositio quæ statuit sponsalia propriè dicta actum merè civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri ecclesiæ;

Falsa, juris ecclesiæ quoad effectus etiam è sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab ecclesia constitutæ derogans.

(Spectat ad N. 20. de Sponsalibus, Tom. VII.)

LIX. Doctrina Synodi asserens, "ad supremam civilem potestatem duntaxat originariè spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia," quod "jus originarium" præterea dicitur cum "jure dispensandi essentialiter connexum," subjungens, "supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;

Quasi ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta

constituere, quæ matrimonium non solùm impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, Sess. 24. Concil. Trid. eversiva, hæretica.

(Spectat ad N. 64. de Matrim, Tom VII.)

LX. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut "è numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani," tum ut "restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;"

Quatenus civili potestati jùs attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis,

Libertatis, ac potestatis Ecclesiæ aubversiva. Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

(Spectat ad N. 64. de Matrim. Tom. VII.)

N. 5.

AN VALEAT MATRIMONIUM INITUM CUM INTENTIONE ILLUD DISSOLVENDI, OB ADULTERIUM.

Ex Bened. XIV. de Synodo Lib. XIII. Cap. 22, *N.* 7 *et* 8.

(Spectat ad N. 39. de Matrim. Tom. VII.)

VII...... Theologi, et canonistæ non solùm rationem inquirunt, cur nullum remaneat matrimonium, in cujus contractu insertæ fuerint conditiones ipsius substantiæ, ac naturæ contrariæ, sed etiam quæ sit ratio illius discriminis; undè fit, ut validum firmumque haberi debeat matrimonium eorum, qui nullâ appositâ conditione hujusmodi, alteri nubunt, etiamsi falsam illam opinionem foveant, quâ putent, matrimonium ipsum, factâ per adulterium fide, solutum iri; contra verò nullum et iritum censendum sit matrimonium eorum, qui, præter eum errorem, quo imbuti sunt, conventionem etiam adjiciunt de matrimonii dissolutione quoad vinculum, interveniente adulterio. Super quo ita ratiocinantur. Quicumque contractum vult, necesse est, ut ejusdem substantiam velit; ideoque, si contrahentes in matrimonii fœdere ineundo, conditionem apponunt illius substantiæ contrariam, certissimum hoc est argumentum, nequaquam eos in veri matrimonii contractum consentire: sine contrahentium autem consensu, matrimonium esse non potest. Quod si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minimè fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominùs locus est præsumptioni, ut, dum matrimonium, prout à Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum, ac, inter-

veniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; prævalente nimirùm generali, quam diximus, voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eâque privatum illum errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. At, ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulteri; jam fierii nequit, ut error particularis absorptus maneat à generali voluntate contrahendi matrimonium prout à Christo Domino institutum fuit: sed potiùs voluntas generalis ejusmodi extinguitur et suffocatur ab errore particulari, qui manifestè prævalet ac dominatur: atque hinc oritur nullitas matrimonii in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiæ contraria. Ita casum à casu distinguentes docent Cardinalis de Lugo "de Sacramentis disput. 8. sect. 8. num. 125. et seq." Sanchez "de Matrimonio lib. 2. disput. 29. n. 11." Marin. "in Theol. specul. et moral. tom. 3. tract. 23. disput. 5. sect. 4. num. 37." Gobat "tract. 10. cas. 19. num. 707." Cardinalis de Laurea "de Matrimonio disput. 17. art. 10. num. 185." Salmanticenses "in Cursu morali tom. 2. tract. 9. de Matr. c. 4. dub. 2. num. 26." et fusiùs Schmalzgrueber "in lib. 4. decretal. tit. 19. de divortiis à n. 64. ad 76." et ante cæteros egregiè advertit Auctor Glossæ "in Cap. de infidelibus, verb. Esse matrimonium, de consanguinitate, et affinitate." En ejus verba: "Ipsi (videlicet ii, qui eâ voluntate ineunt matrimonium, ut, concurrentibus repudii causis, se illud solvere posse arbitrantur) "contrahunt eo proposito, ut, cùm voluerint, separentur, dato libello repudii; sed hoc est contra substantiam matrimonii. Respondeo, si hoc pactum exprimatur in ipso contractu, nec inter eos, nec inter christianos esset matrimonium; sed non copulantur ex pacto, licèt postea abjiciant uxores de facto." Videri etiam potest, et relegi, quod à nobis deductum est "superiori libr. 7. cap. 6. n. 9."

VIII. Doctrinam hanc secuta est semper, atque constanter Congregatio Sancti Officii, quoties eidem examinanda se obtulit validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas, vel inter Catholicum et Calvinistam contracti, cùm scilicet vel ambo conjuges vel alter

eorum in ea opinione versaretur, ut matrimonii vinculum adulterii causâ dissolvendum foret. Ita colligitur ex responsione data ad dubium olim ab Episcopo Bosnensi propositum, quod ita conceptum fuit: "An sit validum matrimonium contractum in catholicam, et schismaticum hæreticum, cum intentione fœdandi, vel solvendi matrimonium:" ac die 2. Octobris 1680. ita resolutum: "Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla: sin aliter, sunt valida." Hoc idem confirmatur ex quadam decisione solemni, quam eadem Congregatio nobis præsentibus edidit die primâ Augusti 1748, cujus hoc erat subjectum: "Sempronius Calvinista diœcesis Albensis Transylvaniæ, ante quinque annos, coram Curione suo Calvinista (nam ipsimet admittunt clandestina matrimonia valida) sub conditione: Contraho tecum, si, vel quamdiù manseris in honestate conjugali, vel si fidem thori servaveris: contraxit matrimonium cum Sempronia Calvinista. Hæc Sempronium aliquoties infideliter deseruit: redire noluit. Sempronius tædio affectus, et ut animæ saluti consuleret, fidem catholicam suscepit. Angitur nunc, et dubitat, num recipere teneatur in hæresi Calviniana remanentem veram, an putativam uxorem? Item quis forus ejusdem in causa divortii quoad vinculum? Calvinistarum, an Catholicoram?" Primo huic casui secundus subjectus erat his verbis expressus: "Titius Calvinista coram ministro ejusdem sectæ, et testibus, in diœcesi Albensi Transylvaniæ, contraxit matrimonium cum Titia Calviniana ante annos viginti sub prædictis conditionibus. Idem nunc recenter conversi ad fidem catholicam dubitant, an ad hoc, ut simul manere possint, consensum, et quidem coram parocho et testibus, renovare teneantur." His autem dicta Congregatio ita satisfecit: "Matrimonia in utroque dubio relata, nulla prorsùs esse. Et ad primum dubium specialiter, Sempronium non teneri ad recipiendam uxorem in hæresi Calviniana manentem; imò nec teneri ad recipiendam eam, si ad catholicam fidem converteretur; posse tamen ad catholicam fidem conversam recipere, si velit, in uxorem, renovato coram parocho et testibus utriusque consensu, si nullum aliàs inter eos intercedat impedimentum. Indignum prorsùs esse, recurrere ad Calvinistas pro declaratione divortii

quoad vinculum. Stante veritate expositorum, matrimonium illud nullum suâ naturâ corruere: nec simpliciter, et absolutè indigere Sempronium declaratione fori ecclesiastici, ut possit asserta uxore separari. Et ad secundum dubium, debere recenter conversos renovare consensum coram parocho et testibus, ut tamquam legitimi conjuges in conjugio remanere possint."

No. 6.

JUDICIUM DOCTRINALE

SACRÆ FACULTATIS LOVANIENSIS CIRCA POTESTATEM PRINCIPUM SÆCULARIUM IN MATRIMONIUM, PROLATUM AD POSTULATIONEM SERENISSIMI PRINCIPIS CAROLI LOTHARINGIÆ DUCIS PRO AUGUSTISSIMA IMPERATRICE MARIA-TERESIA BELGII GUBERNATORIS.

(Spectat ad N. 64. de Matrim, Tom. VII.)

Serenissimæ Princeps Regie!

Ad nos directas "Regiæ Celsitudinis tuæ" litteras, eâ quâ par est reverentiâ suscepimus, nec eas minori quàm rei momentum postulabat, attentione perlegimus. Ut igitur injuncti per "Regiam Celsitudinem tuam" muneris partes impleamus, hæc ad propositos nobis articulos omni quo possumus studio discussos respondenda duximus.

Ad duos primos, quibus quæritur, utrùm per filiosfamilias, matrimonia non obtento priùs parentum aut

tutorum consensu contracta, nulla, invalida, prorsùsque irrita quoad effectus quoslibet declarare expediret?

Respondemus 1.° Timenda sanè, imò potiùs ex parte S. Sedis certò expectanda foret gravis eaque maximè fundata oppositio, casu quo S. C. M. matrimonia sive à minoribus, sive à majoribus contracta, absque parentum seu tutorum consensu irrita, seu nullius valoris quoad omnes effectus absolutè decerneret: cùm enim oppositum saucaverit Tridentina Synodus (sess. 24. c. 1.) anathemate damnans eos qui falso affirmarent matrimonia à filiis-familias sine consensu parentum contracta irrita esse; existimamus S. Sedem non passuram ut sine suo consensu ulla sæcularis potestas matrimonia antedicta, modo supradicto nulla esse declararet, novum introducendo impedimentum, quod ab Ecclesia hucusque non est positum; quandoquidem "hujusmodi impedimenta statuere, certò spectat ad Ecclesiam; quod dici non potest de sæculari potestate;" et ideò ex præfata dictorum matrimoniorum nullitatis declaratione, quæ fieret per C. M. sine consensu Sedis apostolicæ, nonnisi turbæ ac difficultates summæ in orbem christianum inveherentur, quæ fortè nunquam vel nonnisi difficilè sopirentur.

2.° Respondemus quidem extra dubium esse positum, penes sæculares principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu matrimoniorum non baptizatorum sibi subditorum, quominùs primis Ecclesiæ sæculis impedimenta matrimonii à Principibus tum Ethnicis tum Christianis constituta admisit Ecclesia. Sæculo quarto Theodosius christianus pientissimusque Imperator decretum tulit quo consobrinorum matrimonia irrita decernebantur: cujus decreti cum elogio meminit S. Ambrosius, epist. 66. ad paternum.

Nunquàm principes sæculares potuêre irrita facere matrimonia fidelium quoad omnes effectus; nisi consentiente et robur addente principum edistis, ipsâ Ecclesiâ. Hoc docet S. Thomas (quem passim theologi sequuntur): namque tametsi jus aliquod in matrimonia potestati civili competere non diffiteatur, dum dicit, l. 4. sent. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 4. jure naturæ, divino, ecclesiastico et civili impedimenta dirimentia constitui posse; circa christianorum tamen matrimonia eorum esse restrictam potestatem, asserit, dum ait l. 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4.

"Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas quæ idem etiam interdicit." Quæ verba saltem de fidelium matrimoniis intelligi debent: cùm nemo sit qui in dubium revocet, utrùm principes sæculares matrimonia infidelium seu nòn baptizatorum quoad omnes effectus irritare valeant. Idem factis historicis valet demonstrari. Pallavicinus enim lib. 22. hist. conc. Trid. c. 4. refert regis Galliæ oratores diù multùmque institisse apud patres concilii, ut matrimonia filiorum-familias non consentientibus parentibus contracta irritarentur; quoad patres, post diuturnum examen; multis et gravibus de causis abnuerunt. An ita per oratores institisset Rex Galliæ, si penès se hanc potestatem esse reputasset? An Ecclesiâ abnuente generale impedimentum constituere pro omnibus christianis fidelibus, rex christianissimus pro suis subditis legem irritantem non tulisset?

Hoc tamen Galliæ reges nunquàm attentârunt, et proindè id esse posse non existimârunt; varii quidem Galliæ reges matrimonia filiorum-familias, absque parentum consensu contracta, nulla et irrita declarârunt: at quoad effectus tantùm; quod eorum non excedit potestatem. Talia autem matrimonia quoad effectus tantùm civiles esse irrita patet ex Ludovici XIII responso: Hic enim Galliæ clero super dictâ clausulâ sollicito et anxio, respondit "non validè contrahi," intelligi quoad effectus civiles: quorsùm tam inquieta cleri gallicani sollicitudo, ut regis edicti tolleretur ambiguitas, si principi sæculari potestas competeret contractus matrimoniales sic irritandi, ut nec naturale vinculum inducere, nec sacramenti materia esse possint,

Igitur qualiscumque sit quorumdam Galliæ parlamentorum circa talia matrimonia praxis et sententia: si ambigua sit, ad prædictam Ludovici XIII. declarationem et ad mentem ipsius est explicanda; si verò inveniatur adversa, per eandem erit emendanda.

Notum tamen est parlamenta, quæ matrimonia filiorum-familias, non obtento priùs parentum consensu contracta, irrita omninò declarant et nulla, id agere non quasi defectus ille parentum consensûs id efficeret, sed ob præsumptum raptûs impedimentum à conc. Trid. introductum, quod duplex esse sustinent abduc-

tionis nempè et seductionis. An id rectè ab illis fiat, non attingimus.

Ecclesiæ gallicanæ circa talia matrimonia sententiam manifestam facit Habertus, qui cleri gallicani nomine scribens adversùs regii edicti detrectatores sub titulo "Optati Galli," sic ait: "Tamquàm divini juris interpretis ac oraculi de veritate, de validitate, substantiâ, causis, partibus, contractu, consensuque ut materiâ et formâ, conditionibusque effectisque sacramenti matrimonii decernere, unius ecclesiæ est. Id fidei caput esse, nemo dubitat orthodoxus." Quòd si tamquàm fidei caput in ipsismet Galliis adstruitur soli ecclesiæ competere potestatem statuendi conditiones requisitas ad validitatem contractûs matrimonialis, quatenùs ad sacramentum ordinem habet, potestati civili jus non est adscribendum, quo valet contractum matrimonialem, irritum facere, nisi in ordine ad effectus civiles. Ipse Van Espen, quem nemo suspicabitur nimiùm ecclesiasticis favisse, Ecclesiæ jus tribuit impedimenta matrimonii dirimentia privativè statuendi: sic enim scribit juris eccl. univ. p. 2. n. 16. c. 1. sect. 1. tit. 13. "Quidquid sit, hoc constat jam pluribus sæculis Ecclesiam et quidem privativâ auctoritate et cum exclusione principum sæcularium impedimenta dirimentia inter catholicos ordinasse, eaque pro tempore et locorum circumstantiis nonnunquàm extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse, ac per consequens negari non potest quin ecclesia hâc potestate à primis sæculis pacificè usa sit."

Constat etiam impedimenta matrimonii stetisse auctoritate Ecclesiæ, quæ principes sæculares cessare volebant; nam, cùm Theodosius statuisset irrita matrimonia in. 2.° gradu consanguinitatis, illud decretum sic suum fecit Ecclesia, ut cùm Arcadius et Honorius illud revocassent, hoc minimè obstante, idem impedimentum perseveraverit.

Ad 3.um quæsitum, quomodò obviandum sit nimiæ parochorum facilitati in assistendo hujusmodi matrimoniis? utrùm inhiberi eis non possit sub pœna apprehensionis bonorum vel pecuniariâ?

Respondemus quòd nonnisi de consensu vel mandato Episcopi aut ejus officialium, pastores antedictis matrimoniis assistentes, non censeantur nec censeri possint nimis facile eis assistere; sed munere suo simpli-

citer funguntur, servantque regulam in similibus præscriptam, nempè ut illis tunc demùm assistatur, dum Episcopus aut ejus officialis illis assistendum judicat. Nempè ipsorum est de rationibus illos moventibus judicare. Si qui autem pastores præfatis matrimoniis citra Episcopi aut ejus officialis consensum assistere præsumant, hi nimiæ facilitatis meritò accusantur, neque functiones pastorales, ut decet, adimplent, ac proindè tamquàm rei puniri debent. Sed non judicamus hæc fieri posse à potestate sæculari, sed Episcoporum est taliter delinquentes corrigere et punire; quia in materia in qua delinquunt, nempè in functionum pastoralium exercitio, Episcopo directè subjecti sunt, non verò potestati sæculari.

4.° Quæritur an et quomodò provideri potest usui Episcoporum Belgii Austriaci promiscuè petentibus concedendi dispensationem in bannis à concilio Trid. præscriptis?

Respondemus quidem, cùm per concilium Trid., prout perpetua consuetudo interpretata est, Episcoporum prudentiæ et judicio relictum sit, ut proclamationes matrimoniales remittere valeant, dum illud expedire judicaverint, non videtur quo pacto sæcularis potestas in dictis proclamationibus dispensandi usum Episcopis jure competentem, vel impedire valeant vel restringere? Non convenit quidem, imò fieri non potest ut quibuscumque dispensationem hâc super re petentibus hoc indiscriminatim aut sine delectu et sine jùsta causa concedatur. At si hoc aliquando et quibusdam in locis contingat, S. Sedis est hujusmodi abusibus obviare, ubi illos reipsâ subesse cognoverit.

5.° Quæritur, utrùm non expediat penitùs tollere officialium usum, quo consensum parentum tutorumque supplêre solent?

Respondemus: officiales diœcesium propriè tantùm examinant utrùm parentes aut tutores filiorum aut pupillorum suorum matrimoniis rationabiliter sese opponant, necne? Nullatenùs autem convenire videtur. ut ille officialium usus immemorabilis tollatur quo judicare solent utrùm parentes aut tutores, quoad filiorum pupillorumve suorum matrimonia, causas rationabiliter discutiant necne; causæ si quidem matrimoniales procul dubio ad ecclesiasticos spectant, definiente concilio Tridentino sess. 24. c. 12. de ma-

trim. " Si quis dixerit causas matrimoniales," etc. Quis autem dubitat quin dictæ causæ sint propriè matrimoniales? proindè usum tollere, esset judicibus ecclesiasticis causarum matrimonialium judicium, quod ipsis de jure competit, denegare et concilii Tridentini definitioni adversari.

Unum est quod fieri maximè expediret, et quo facto, si non omnia, saltem multa mala, eaque gravia tolerentur: nempè si S. Sedes absolutè et omninò irritare dignaretur scandalosa ista matrimonia, quæ toties coram parocho quidem (sed prorsùs invito ac reluctante) contrahuntur, et ex quibus funesti exitus familiarumque turbatio sequuntur.

His regiæ tuæ celsitudinis mandato pro officii nostri muncre satisfecisse confidimus, summâque veneratione subscribitur:

Tui humillimi et obsequentissimi
Famuli Decanus et DD. RR.
Fac. Theologicæ.

Signatum DELAITTRES.

Inferius:

De Mandato Exim. DD. ac Magistrorum. M. VAN. OVERBAKE,
Bedellus.

Lovanii hâc 12. *Januarii* 1759.

N. 7.

INSTITUTIO PASTORALIS

A SANCTISSIMO DOMINO BENEDICTO PAPA XIV. EDITA, CUM ADHUC ESSET CARDINALIS-ARCHIEPISCOPUS BONONIENSIS.

(Spectat ad N. 107. et seq. de Matrim. Tom. VII.)

Summarium.

"Vana, et irrita esse matrimonia, quibus neque parochus neque testes intersunt. N.° 1."

"Concilium Trid. irritando matrimonia clandestina non mutasse sacramenti materiam ac formam. N.° 2."

"Institutionis hujus ratio, scopus et divisio. N.is 3 et 4."

"Parochum proprium eum nuncupari, in cujus parochia matrimonium initur. N.° 5."

"Parocho domicilii, non autem originis, titulum proprii parochi esse tribuendum. N.° 6."

"Non appellari proprium parochum eum, in cujus ditione aliquis obtinet sedem ruralem. N.° 7."

"Irritum esse illius matrimonium, qui locum deserit, ubi moratur, domicilio tamen non dimisso, et in alium locum proficiscitur, ubi nullo contracto domicilio matrimonium celebrat. N.is 8 et 9."

"**Quisnam sit proprius vagantium hominum parochus. N. 10.**"

"Quisnam judicetur proprius illorum parochus, qui peculiari aliquo nomine ad hanc civitatem incolendam veniunt. N.° 11."

"**De parocho proprio ad perficienda eorum matrimonia, qui carceribus detinentur. N. 12.**"

"De matrimoniis, quæ fiunt in xenodochiis, cùm extremum mortis periculum impendet. N. 13."

"**De matrimoniis, quæ contrahunt puellæ publicis hujus civitatis hospitiis, seu conservatoriis inclusæ. N. 14.**"

"De aliis matrimoniis puellarum, quæ in septis monialum educantur. N. 15. et 16."

"**Postremò de iis, quæ fiunt à servis dominorum ædes habitantibus. N.° 17.**"

1. Illicita semper habita sunt ea matrimonia, quæ coram sacerdote, seu parocho, utì jus pontificium indicit, minimè contrahuntur: ita profectò in canone "aliter;" canone "Nullus;" et canone "Nostrates" apertè continetur: verùm post Tridentinam Synodum irrita prorsùs, atque invalida in illis locis judicantur, ubi super hac re decretum promulgatum fuit, nisi parochus intersit, aut alius sacerdos, qui ad hoc munus obeundum facultatem ab eodem parocho, sive ab Episcopo consequutus fuerit. Insuper necesse est, ut præter sacerdotem duo quoque testes, aut plures conveniant, dum matrimonium celebratur. Spondanus autem, et Cardinalis Pallavicinus fusè commemorant gravissimas disputationes, quibus Concilii Patres tandem adducti fuerunt, ut decretum ejusmodi conficerent.

2. Ut paucis expediamus doctrinam, quæ ejusdem Decreti causâ prolata fuit, nullo pacto sacramenti

materiam, ac formam immutatas fuisse constat; nam materia in tradendis mutuò, ac legitimè corporibus per verba, aut nutus ad explicandum intimum consensum accommodatos, collocata semper fuit; forma verò in excipiendis mutuò, ac legitimè corporibus per contrahentes designatur. Cùm igitur Tridentina Synodus nec legitimum pactum, nec legitimè tradi, et excipi corpora judicaverit, nisi quando matrimonium contrahitur, parochus cum duobus, aut tribus testibus assistat, hinc sacramenti materiam, ac formam nequaquam mutari certissimum est, quæ, ut supra diximus, in tradendis, excipiendisque mutuò, ac legitimè corporibus semper continetur.

3. Sacra Synodus eo decreto præcipit, ut ille solùm parochus intersit, cui matrimonium ineuntes subjiciuntur; quis porrò ille intelligendus sit, concilii Patres minimè declarârunt. Hinc super hac re innumeræ propè disceptationes, quarum pleni sunt libri, excitatæ fuerunt. In hac etiam civitate, ac diœcesi plurima dissidia non semel ob hanc causam contigerunt. Itaque muneris nostri partes duximus normam aliquam tradere ex actis sacri Concilii Congregationis desumptam, cui soli Tridentinam Synodum explicandi facultas conceditur. Siquidem miramur non diversas modò scriptorum opiniones, sed eò præsertim illos devenisse, ut sacræ Congregationis decreta pro tuendis privatis sententiis, vel effingant, vel malè interpretentur, quod sane non consultò, àc temerè fecisse putandum est, neque ob tenuitatem ingenii; sed quod acta sacræ Congregationis evolvere minimè potuerunt, ex quibus ipsius sententias, illorumque causas liquidò cognoscerent. Hinc veluti divinantes ad scribendum de iis rebus accesserunt.

4. Ut clarius id agatur in duas quasi classes, res dividetur: Primùm, afferemus, quæ per sacram Congregationem constituta fuerunt, et quæ etiam ab universis ferè auctoribus probantur: Secundò, peculiaria quædam addentur, quæ veluti normam in hac civitate, ac diœcesi observanda præcipimus, ut dissensiones omnes, si fieri poterit, de medio auferantur.

5. Primùm omnium sacra Congregatio ab anno 1573. hoc decretum edidit, ut, quis sit proprius Parochus, explanaret: "Cùm concilium Tridentinum inter cætera præcipiat, matrimonia esse contrahenda, præ-

sente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, sive ordinarii licentia, quæritur, quid, si contrahentes sint diversarum parochiarum, utriusque parochi præsentia requiratur, sponsine, an sponsæ, an verò utriusque, an etiam alterius parochi consensus accedere debeat. Sacra etc. censuit, ad validitatem matrimonii sufficere præsentiam solius parochi proprii sponsæ, quando matrimonium in parochia sponsæ contrahitur similiter sufficere præsentiam solius parochi sponsi, si modò matrimonium contrahatur in parochia ipsius sponsi."

6. Deindè, cùm de matrimonio agitur, proprium eum parochum nuncupandum censuit, in cujus parochia domicilium positum habetur, non verò illum, in cujus parochia vitæ primordia suscepimus. Cùm ordines ritè conferri possint per Episcopum non domicilii modo, sed etiam originis, ideo ad inquirendum locus oblatus fuit, utrùm idem ratione parochi in celebrandis matrimoniis statuendum videretur. Attamen ex ipsis Concilii verbis parochus domicilii satis apertè deprehenditur, et sacri canones, cum iisdem verbis parochum quoque originis complecti voluerunt, id expressè declarârunt, quemadmodum contigit, cùm de sacra ordinatione sermo haberetur. His veluti fundamentis innititur unanimis scriptorum opinio, ob quam is proprius parochus pro celebrandis matrimoniis judicatur, in cujus ditione domicilium constituitur. Sacra Concilii Congregatio hanc opinionem pariter sequuta est, cùm die 18. Novembris anno 1702. "Mutinensis" causa matrimonii proposita fuisset, in qua Cardinalis Bandinus Panciaticus ejusdem Congregat. præfectus suo præsertim suffragio, opinionem, quam modò exposuimus, magno studio, sapienterque tutatus est, eamque unicè probandam affirmavit. His quoque rationibus adducti plurimi scriptores, eum, qui duo habet in diversis parochiis domicilia, matrimonium ritè coram illo parocho inire posse fatentur, in cujus potestate tunc degit, cùm matrimonium contrahitur. Illud tamen advertunt, tunc solùm duobus domiciliis instructum aliquem jure appellari, cùm in utroque æqualiter collocatus prudentium virorum judicio existimetur; quod etiam juris pontificii auctoritate probatur: "Cùm ab eo, qui duo habet domicilia, se collocatus æqualiter in utroque etc. Viris prudentibus

placuit, in duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se locasse videatur."

7. Tertiò, si quis rei familiaris, aut rusticationis causa in agrum concedat, nunquam proprius parochus is nuncupari poterit, in cujus ditione rurale domicilium situm est. Qui enim ob eas causas ruri vitam degere constituit, nullam domicilii, seu quasi domicilii rationem consequitur. Pontius rurali parocho, si matrimonium agendum sit, proprii parochi nomen aptè conveniri arbitratur, eamque sententiam sacræ Concilii Congregationi attribuit, quæ Romanæ Rotæ judicis contrarium statuentibus ante ferenda est. Eandem opinionem Leander inconsultò amplectitur: contra illos tamen reliqui ferè omnes conveniunt. Et quoniam de sacræ Congregationis Concilii decretis mentionem faciunt, nos in medium illa proferemus, quæ ab actis ejusdem Congregationis desumpsimus, cùm secretarii munere fungeremur; non ea profectò à quibusdam Scriptoribus edita, qui sacræ Congregationis acta nunquam inspexerunt: "Sacra etc. inhærendo declarationibus aliàs factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium, et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideòque matrimonium validè coram hujusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquæ scilicet:

"In una Florentina sacra etc. censuit, quod Parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis.

"In Florentina similiter respondit, parochum ruralem non esse proprium parochum, ideòque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

"In una Abulen. Sacra etc. censuit, non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Die 1. Decembris 1640. lib. 16. Decretorum pag. 470. à tergo, et pag. 471."

8. Quartò, si quis domicilium suum minimè relinquens ex civitate, vel oppido, in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium ineat, quin antea domicilium sibi, vel quasi domicilium comparaverit, illud omninò irritum habetur, quia cum fraude in proprium parochum conjungitur. Scriptores unani-

mes in hac re consentiunt, quos clericatus recenset. Idem statuit sacra Concilii Cong. die 22. Februarii anno 1631: "Sacra etc. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: vir et mulier à loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alterius parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, ibi coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per sacram Congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Die 22. Februarii 1631. Sacra etc. secundùm ea, quæ proponuntur, censuit esse nullum." Nobis autem secretarium agentibus, cùm die 13. Julii anno 1725. hæc in sacra Congregatione proposita essent: "Controversia constituenda videtur in hoc, quod Antonius, qui est civis Lauretanus, quique captus amore Annæ Margaritæ, modò ad urbem Maceratensem, modò ad Montem sanctum perrexerat, et paucis diebus in illis versatus fuerat, spatio tandem duorum mensium unà cum dicta Anna Margarita habitavit in loco montis Casarii, à quo post parochi admonitiones de contrahendo cum Margarita matrimonio, et prævisas difficultates de probando statu libro ejusdem, cùm ex improviso discesserit, et unà cum duobus testibus accesserit ad terram montis Luponi, et coram parocho hujus loci, doctrinam Christianam pueros edocente, matrimonium ex improviso contraxerit, et statim reversus fuerit ad térram montis Casarii etc. ex his inferri posse videtur ad nullitatem matrimonii:" Deindè, cum peteretur: "An matrimonium sit nullum in casu:" sacra Congregatio respondit: "affirmativè."

9. Non inficiamur eandem Congregationem, juxta consilium 254. Frederici de Senis, qui proprium parochum eum censuit, in cujus parochia quis degit, non ubi certum, ac stabile habet domicilium, non semel decrevisse valida illorum matrimonia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes, ex parochia domicilii in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt; ita Fagnanus commemorat. Advertendum tamen est matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi domicilium assequutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque indè postea decesserunt, ut

primam sedem, ac domicilium repeterent, quemadmodum clericatus rectè perpendit. Ob hanc causam sacra Congregatio, cùm nos ipsi secretarii titulum haberemus, quoddam matrimonium validum probavit; licet per duos Cæsenæ incolas contractum, qui ut parentum se molestiis eriperent, illud Foro Livii celebrârunt, cum puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat, quam tutricem, suîque curatricem prædicabat. Insuper Urbanus VIII. suis Apostolicis litteris, quæ monumentis Cardinalis de Lugo, et Patris La Croix insertæ sunt, has sacræ Concilii Congregationis sententias die 14. Augusti anno 1627. confirmavit: "Primò, an incolæ tam masculi, quàm fœminæ loci, in quo concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum concilium non est promulgatum, retinentes, idem domicilium, validè possint in isto loco matrimonium sine parocho, et testibus contrahere? Secundò, quid si eo prædicti incolæ tam masculi, quàm fœminæ solo animo, sine parocho, et testibus contrahendi se transferant; habitationem non mutantes? Tertiò, quid si iidem incolæ tam masculi, quàm fœminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho, et testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum, et secundum, non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes, ac transeuntes cum fraude: ad tertium verò dubiorum hujusmodi, si domicilium verè transferatur, matrimonium esse validum, responderunt, et resolverunt." Igitur matrimonium primo, et secundo loco expositum irritum decernitur, cùm fraus intercesserit; matrimonium tertio loco allatum etiam cum fraude validum declaratur; quia novum quoque domicilium accesserat.

10. Sed jam deveniamus ad secundam partem, quà certam normam huic nostræ civitati, ac diœcesi statuere proposuimus, ut super ejusmodi rebus aditus controversiis omnibus præcludatur. Primùm, evenit aliquando, quod vagi matrimonium inire contendant: ipsorum autem parochus is dicitur, in quorum ditione versantur; quod pariter asserendum est, licèt alter solum ex illis, qui conjugium petunt, vagantium, numero adscribatur. Attamen perigrinus, et vagus sine ullo discrimine non semel confunduntur, vagus ille

appellandus est, qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit, ut ex jure deprehenditur: "Puto autem, et hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget, vel iter faciens quærat, quò se conferat, atque ubi consistat, nam hunc puto, sine domicilio esse;" Peregrinus autem is nuncupatur, qui eâ voluntate iter facit, ut ad pristinum domicilium exactâ peregrinatione revertatur. Ob has potissimùm causas, ob gravia quoque dissidia, quæ ex matrimoniis errantium Ægiptiorum, ac militum plerumque dimanant, parochis omnibus indicimus, quod à Trident. Synodo his verbis sancitum fuit: "Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint."

11. Secundò contingit, ut plurimi studiorum causâ in hanc urbem confluant, vel etiam, ut juventuti facultatem aliquam tradant, vel aliquod artificium exerceant, sive ut opulentis civibus inserviant, vel aliquo alio munere detineantur. Innocentius XII. iis litteris, quæ incipiunt: "Speculares:" domicilii rationem illis minimè convenire, neque ad ordines admitti posse decernit, qui relicto paterno solo alium sibi ad habitandum locum deligunt, nisi per decem annos in eo commorentur, bonorum partem in ipsum transferant sedemque stabilem ibi defigere velle fateantur, idque jurejurando confirment. Hæc tamen pro illis solùm præscribuntur, qui ordines consequi volunt: nullum tamen reliquis sacramentis administrandis impedimentum afferunt. Siquidem, ut Paschatis præcepto quis satisfaciat, ejusmodi conditiones necessariæ non sunt, quod etiam ratione matrimonii constituendum videtur. Prætores enim ex unanimi scriptorum sententia, judices, medici, facultatis alicujus professores, discipuli, famulique, licèt exteri, ritè matrimonium contrahunt, si parochus adsit ejus loci, ubi degunt. Quippe, si per aliquod temporis spatium in eodem loco versentur, domicilium, vel quasi domicilium, quod satis est ad matrimonium perficiendum, sibi conciliant. Item, cùm in sacra Concilii Congregatione plurima ad inquirendum proposita essent, ac præsertim quarto, et quinto loco his verbis peteretur: "Quartò, an valeat matrimonium contractum coram parocho illius loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domici-

lium constituendi, sed recreationis causâ? Quintò, et quid, si contrahens ibi moretur tanquam prætor, judex, seu medicus temporalis?" sacra congregatio hoc pacto respondit: "ad quartum non valere; ad quintum valere:" Ita Garzias commemorat, qui eandem sanctionem certo, firmoque documento se habere testatur.

12. Tertiò accidere potest, ut carceribus detenti, qui ad Cardinalem Legatum, vel ad nos ipsos pertinent, matrimonium poscant. Superiori tempore, ut accepimus, res peracta fuit coram parocho, in cujus ditione carceres positi sunt. Nos profectò in examen revocare nolumus, quæ jam diuturnitate temporis invaluerunt. Nam, ut jam inita matrimonia rata firmaque sint, sufficit, si eadem minimè ignoraverit, imò pertulerit, atque ideo permiserit is, qui eo tempore sapienter hanc ecclesiam administrabat, quemadmodum Tridentinum concilium his verbis asseruit: "Qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia" etc. Duobus, ac sanè diversis modis carceribus inclusi tenentur. Aliqui perpetuò, vel ad certum tempus, non quidem pro custodia, sed pro pœna in carcerem conjiciuntur, quorum parochus is dicitur, in cujus parochia carceres collocantur: "Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet." Alii verò pro custodia solùm in carcerem detruduntur, donec ipsorum causa judicis sententia cognoscatur; horum parochus is judicandus est, ubi domicilium situm habent, non autem parochus, ubi carceres positi sunt: cùm ipsi nihil magis expetant, quàm ut dissolutis vinculis paternas ædes revisant. Cùm hæc ita sint in celebrandis ejusmodi matrimoniis proprius parochus accercendus est, sicuti modò exposuimus. Accedit S. Concilii congregationis decretum die 26. Maji anno 1707. in causa Farfensi matrimonii promulgatum insertumque cleri Romani statutis, quod etiam De Justis, Monacellus, et jurisperitus Dominicus Ursaja commemorant, qui se auctorem allatæ distinctionis meritò prædicat, eamque sacræ Congregationi tradidisse fatetur. Quamobrem illi, qui carceribus perpetuò, vel ad certum tempus includuntur, si matrimonium exposcant, intersit parochus, cujus parochiæ carceres subjiciuntur; si qui verò "loco custodiæ"

carceribus detinentur, hujus nostri fori administri priùs moneantur, ut si fortè in alia parochia domicilium habeant, diligenter perscrutentur, et si id deprehendant, rursùs inquirant, utrùm aliquæ causæ intercedant, ob quas allata superiùs norma prætermitti possit, ob facultatem, quæ, ut dictum est, in Episcopos à Tridentina Synodo confertur: ob eandem rationem præmonendi sumus, si advena inclusus carcere aliquam ex hac civitate, vel diœcesi mulierem in matrimonium deposcat.

13. Quartò, in xenodochiis aliquando matrimonia ineunda sunt ab iis, qui in gravi vitæ periculo versantur, ut æternæ saluti prospiciant. Cùm hæc contingunt sive intra, sive extra publica hujusmodi hospitia, temporis spatium non suppetit, ut libera ipsorum conditio dignoscatur, quemadmodum S. Officio Congregatio palam declaravit. Liceat nobis tamen asserere, matrimonium in hoc discrimine perfici posse, licèt tradita per "sanctum Officium" institutio locum habere nequeat; modò tamen ægrotus ad sanitatem restitutus ad uxorem non accedat, priusquam paruerit iis omnibus, quæ à S. Officio præscribuntur. Id per epistolam ab eodem tribunali datam indicatur, quæ Corradi libris addita fuit, eamque in medium profert Monacellus. At verè quisnam eligi debeat, quo præsente matrimonia in xenodochiis peragantur, inter capellanos, et parochos, in quorum ditione sita sunt xenodochia, magno studio contenditur. Itaque præcepimus, ut quoties hæc eveniant, statim nos de more certiores faciant, ut statuamus, qui matrimonio celebrando intersit, ac diligenter caveamus, ut necessarium hujus rei monumentum in actis descriptum conservetur.

14. Quintò, matrimonia pertractantur cum expositis puellis, quæ in hospitio spuriorum detinentur, vel cum aliis puellis, quæ cæteris hujus urbis hospitiis includuntur. Si de primis agatur, is parochus adhibendus est, cujus parochiæ illud publicum hospitium subjicitur, idque servandum omnino in posterum decernimus. Id enim non consuetudo solùm, sed etiam ratio apertissimè poscunt, quam sacra Congregatio die 11. Aprilis anno 1651. his verbis ostendit: "Gubernatores hospitalis expositorum civitatis Eugubinæ asserentes, sacerdotem ibi in confessarium deputatum cum approbatione Episcopi hucusque puellis expositis administrasse matrimonia, præviis denuntiationibus, in ecclesia

ipsius hospitalis, supplicant pro declaratione, hujusmodi matrimonia coram eodem sacerdote celebranda esse, et non coram rectore ecclesiæ parochialis, intra cujus limites dictum hospitale existit. Sacra etc. censuit, matrimonia dictarum puellarum esse celebranda coram proprio parocho, non autem coram dicto capellano hospitalis:" Aliæ verò puellæ, quæ in aliis hospitiis servantur, juxta veterem consuetudinem, quam firmam perpetuamque volumus, matrimonium inibunt coram parocho, cujus ditioni hospitium coöptatur. Hospitii enim proventibus aluntur, dotemque accipiunt; ob quam causam paterno domicilio relicto, tanquam ipsius hospitii filiæ haberi possunt, ex quo si aliquando discedant suos domesticos invisuræ, exiguum tempus his officiis impenditur, nec unquam nisi depositi, ac custodiæ nomine per hospitii rectores cuipiam committuntur.

15. Sextò, de virginum matrimoniis sermo est, quæ in septis monialium educantur. De illis profectò nulla haberetur controversia, si quivis pareret decreto sacræ congregationis causis Episcoporum, ac regularium propositæ, quod Jacobo Cardinali Boncompagno decessori nostro transmissum his verbis continetur: "Expositum fuit in sacra Congregatione nomine monialium istius civitatis pravos usus inductos esse contra regularem disciplinam, et monialium quietem ob virgines educandas, quæ datâ fide, et viro jam destinatæ per consanguineos invitæ monasteriis detinentur, Eminentissimi Cardinales juxta decreta generalia, aliaque super hac re per sacram Congregationem edita, ac præsertim die 13. Januarii anno 1634, et die quoque 9. Novembris anno 1635, aliisque deinceps temporibus Eminentiæ Vestræ has litteras scribendas jusserunt, ut virgines omnes, quæ futuras nuptias datâ fide promiserint, jussu Eminentiæ Vestræ, interpositâ etiam sacræ Congregationis auctoritate, ex monasteriis abeant, licèt ordinario minimè subjectis, et ad parentum domos revertantur." Tunc enim in loco proprii domicilii constitutæ, procul dubio ad matrimonium ineundum parocho uti debent, cujus ditioni paterna ædes adscita judicabitur.

16. Magno studio curabimus, ut, quæ per sacram Congregationem præscripta sunt, observentur. Cùm tamen id aliquando difficile sit, ideo inquiri debet,

utrùm in matrimoniis ejusmodi proprius parochus is nuncupetur, in cujus parochia est monasterium, an parochus, in cujus ditione puellæ domicilium collocatur? Itaque si puella, quæ matrimonii fidem præstitit, in alia parochia domicilium non habet, tunc parochus, quem primo loco nominavimus, puellam in matrimonium conjunget: sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc parochus, cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo matrimonio præsens assistet. In utraque verò parochia, ubi nempe domicilium, et monasterium posita sunt, juxta Ecclesiæ consuetudinem matrimonium antea denuntiabitur. Hoc discrimen etiam probat P. Giribaldus, qui hujus metropolitanæ per tot annos Pœnitentiarii munus exercuit, et matrimoniorum causis examinandis præfectus fuit. Non exigui quoque momenti statutum Romani cleri æstimandum est, quo de juvenibus, qui in seminariis, et collegiis educantur, sermo instituitur. Nam si vitâ decedant in iis locis, pecunia pro funeribus ducendis parocho domicilii persolvitur; si domicilium habeant; sin minus, is fructus in eum parochum confertur, in cujus ditione seminarium, vel collegium constituitur. Nonnulla huic statuto superaddita sunt, quæ deindè in peculiari Congregatione per Clementem XI. delecta die 11. Januarii anno 1702. unanimi consensu probata, et ipsius Pontificis "oraculo vivæ vocis" confirmata fuerunt. Inter cætera illud præcipitur, ut non solùm in juvenum funeribus, qui in seminario, vel collegio degunt, sed etiam pro efferendis puellis, quæ in monasteriis educatur; et in matrimoniis ipsarum conficiendis eadem ratio, ac norma servetur: "Non solùm in funeralibus, sed etiam in contrahendo matrimonio etc. Publicationes autem matrimoniales fiant tam in parochia domicilii, quàm collegii, monasterii, aut conservatorii, in quo commorantur."

17. Postremò de famulis, et ancillis agendum superest, quæ penes dominos vitam traducunt, de quibus idem, ac de puellis, quæ in monasteriis pro educatione servantur, omnino statuendum judicamus. Nam idem Romani cleri statutum, in quo de funeribus res est, matrimonia simul complectitur, ac de funere servorem hæc decernit: "Familiares, et famuli Cardinalium, seu aliorum principum, ac prælatorum, nec non aliorum quorumcumque, qui habent domum, et familiam in

alia parochia, ad illam pertinere statuimus, licèt apud dominos infirmentur, et occumbant."

18. Hanc normam in civitate, ac diœcesi, cùm de matrimoniis agitur, omnino servandam jubemus. Pœnæ autem in delinquentes arbitrio nostro statuentur, edictum quoque pro celebrando matrimonio die 31. Martii anno 1732. promulgatum renovamus. Illius verò decreti, et hujus nostræ institutonis exempla cuilibet sacrario cùm in civitate, tum in diœcesi jussu nostro defixa conserventur. Qui id facere prætermiserint, vel ea quæ in his decretis continentur, non observaverint, nobis debitas pœnas exsolvent.

N. 8.

DE MATRIMONIIS CORAM MAGISTRATU VEL MINISTRO ACATHOLICO CONTRACTIS ETC.

Ex Bened. XIV. de Synodo. Lib. 6. 7. *n.* 5. *et seqq.*

(Pertinet ad N. 113. de Matrim. Tom. VII.)

"Redditæ sunt nobis per dilectum Filium, eumdemque primarium administrum nostrum, Silvium Cardinalem Valenti, vestræ litteræ, quibus subortam inter vos in re gravis sanè momenti controversiam exponitis, eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem apostolicam consulendam censuistis, ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cùm similes emergunt quæstiones, pari docilitate exquirerent, et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorumdem in tradenda morum

doctrina diversas sententias, in partes distrahi chistianum populum, eamque scindi mentium, animorumque concordiam, quam Christus Dominus ecclesiæ suæ commendatam voluit usque adeò, ut ea præsertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos prædixerit.

"Exposuistis itaque nobis, non rarò isthic contingere, ut catholici matrimonium inter se contracturi, civilem adeant magistratum, aut hæreticum ministellum, quibus se sistere legibus patriæ coguntur, et coram illis mutuum exprimant in conjugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo ministro catholico et duobus testibus, utì Tridentinum præcipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim verò, perinde ac si legitimi conjuges jam forent, non dubitant omnem conjugalem consuetudinem inter se habere. Quæsivistis deindè, quid de illo consensu sentiendum sit, coram civili magistratu, aut hæretico ministello, præstito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum matrimonium validum, saltem in ratione contractûs, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrûm in quæstionem adducit: si enim res ita se haberet, utì primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram parocho catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta exindè proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

"Jam verò, ut postulatis vestris breviter simul et dilucidè respondeamus, unàque controversiam omnem judicio nostro præcidamus, sic habete: ubicumque promulgatum et receptum sit concilii Tridentini decretum cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim., ibi nulla prorsùs, atque in omni ratione irrita esse conjugia aliter, quàm coram alterutrius contrahentium legitimo parocho, aliove sacerdote parochi vices agente, et duobus testibus, celebrata. Scimus profectò, esse theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum à sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad sacramenti excellentiam pertingat. Sed, quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certè, quod attinet ad rem præsentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentinâ lege obstringuntur: etenim qui, præter formam à se

præscriptam, matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non sacramentum mòdò, sed contractum ipsum irritum disertè pronunciat, atque, ut ejus verbis utamur, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos esse decernit.

"Quare, cùm inter catholicos in istis provinciis degentes et promulgatum et receptum jam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini; perspicuum est, matrimonium ab ipsis invicem initum coram civili magistratu, aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parocho et duobus testibus, neque in ratione sacramenti, neque in ratione contractûs sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse. Neque verò rationes, propter quas valida pronunciavimus matrimonia, quæ aut ab hæreticis inter se aut à catholicis cum hæreticis, in istis Fœderatis provinciis contrahuntur, non servatâ formâ Tridentini, aptari queunt conjugiis inter se initis à catholicis, quorum quilibet Tridentini decreto se obstrictum agnoscit, ejusque se auctoritatem sequi profitetur.

"Sciant itaque catholici vestræ curæ concrediti, cùm civili magistratui, aut hæretico ministello, matrimonii celebrandi causâ, se sistunt, actum se merè civilem exercere, quo suum erga leges et instituta principum obsequium ostendunt: ceterùm tunc quidem nullum à se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos conjuges fore: nec, si interim conjugalem inter se consuetudinem habuerint eam gravi culpâ carituram. Sciant denique, si qua ex hujusmodi conjunctione oriretur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et, nisi conjuges consensum ex Ecclesiæ præscripto renovaverint, illegitimam perpetuò futuram etiam in Ecclesiæ foro.

"Erit porrò officii vestri, hæc omnia, cùm commoda se obtulerit occasio, atque eâ, quam rerum circumstantiæ vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautelâ, singulis explicare prolixius; simulque omnes commonere, ut, siquidem regionis consuetudini, et terreni principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed religione salvâ, potioresque

ducant sanctissimas Ecclesiæ leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud præterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam, ac merè politicam coram hæreticis cæremoniam peregerint nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis, ex norma Tridentini, alligaverint; quamquam enim familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certè periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christi fidelibus cavendum est. Ad ejusmodi porrò evitanda pericula, cognoscimus, consultiùs utique fore, ut catholici, nonnisi matrimonio jam antea in faciem Ecclesiæ inter selegitimè celebrato, ad illam explendam civilem cæremoniam sæcularem magistratum, seu hæreticum ministellum adirent: sed, quoniam ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo, et perturbationibus posse adimpleri; id saltem pro viribus satagite, ut, postquam reipublicæ morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiæ legibus parere, et conjugale fœdus, juxta præscriptam à Tridentino normam, ritè et sanctè inire, et si quid tum super hac re, tum super aliis, quæ istam missionem respiciunt, nobis suggerendum esse putetis, communicatio inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper præsentem invenietis. Epistola hæc nostra tibi dilecte fili, Paule Simon à Sancto Joseph, inscripta est: eam tamen volumus à te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Duck pastori Leidensi, cujus scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia à supradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

"Postremò vos hortamur majorem in modum, ut istam Dominici gregis non contemnendam portionem sedulò sicuti laudabiliter hactenùs fecistis, excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis. Vobisque interim apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Septembris 1746. Pontificatûs nostri anno septimo."

VI. Quæ hactenùs dicta et narrata sunt, ad ea pertinent loca, quæ infidelium, aut hæreticorum principum ditioni subsunt. Sed alia loca non desunt, in quibus etiamsi alia religio, præter Sanctam Catholicam Romanam, non toleretur, complures tamen occultè vivunt ab

illius communione extranei, qui catholicorum speciem præ se ferentes, matrimonia cum catholicis ineunt; eâque occasione catholicus parochus accersitur, qui matrimonii celebrationi assistat, licèt hic privatâ scientiâ satis superque compertum habeat, alterum ex contrahentibus hæreticum esse. In arduis hujuscemodi circumstantiis, sunt qui contendant, debere parochum, nullâ appositâ difficultate, vel morâ, matrimonio assistere, nec in occultam contrahentium fidem subtilius inquirere, quamvis matrimonium inter sacramenta vivorum connumeretur; cum etiam Eucharistia, quæ vivorum sacramentum est, peccatoribus occultis, cùm ad eam recipiendam publicè accedunt, non denegetur, juxta doctrinam sancti Thomæ 3. "part. quæst. 80. art. 6." Contra autem alii reputantes, quod in sacramento matrimonii tenetur parochus suam assistentiam denegare, si noverit privatâ etiam scientiâ, impedimentum aliquod adesse, nedum dirimens, sed vel dumtaxat impediens, ut puta sponsalia cum aliis præcedenter contracta, vel votum simplex castitatis ab alterutro contrahentium emissum; in eoque rerum statu, illius officio partes esse, ut ecclesiasticum superiorem, sive Episcopum, de ea re certiorem faciat, qui opportunè consulere, et providere valeat: eâdem ratione, docent, atque contendunt, se gerere debere parochum, qui advocatur ad assistendum matrimonio, in quo ipsi constat, quantumvis privatâ scientiâ, alterum ex contrahentibus, pro orthodoxo publicè habitum, hæreticæ sectæ occultè adhærere. In Aquensi concilio, quod anno 1585. celebratum est, "ad tit. de parochis," extat decretum hujusmodi: "Nullus parochus, pœnâ illis excommunicationis propositâ, sacramentum ullum administrare audeat hæreticis quibusvis, vel quocumque modò à fide catholica aversis, nisi priùs constiterit, illos resipuisse, et Ecclesiæ ritè reconciliatos fuisse: tom. 10." Collectionis Harduini "col. 1562."

VII. Altera hæc sententia, non solùm priore tutior, sed etiam communior est. Cùm autem illius defensoribus onus incumbat diluendi argumentum illud, quod contra eam objiciebatur, de peccatore occulto publicè Eucharistiam petente, quam illi administrandam esse, paulò ante significavimus: id sanè aggreditur Sanchez "in lib. 3. de Matrimonio disput. 15. num. 13." verùm feliciùs rem confecisse videtur Cardinalis de

Lugo "de Sacramentis disput. 8. sect. 13. num. 208. et seq." quem super hac re consuli volumus; cùm minimè consilium nostrum fuerit, ut hìc ex professo, ut ajunt, tractatum de Matrimonio conscriberemus. Illud ad suscepti instituti rationem pertinet, ut Episcopis, in quorum diœcesibus hæretici, cùm publicè versari non permittantur, occultè vivunt, magnopere suadeamus, ut sive in Synodis, sive alia quacumque opportuna ratione, certas præscribant regulas de his, quæ præstari debeant ab illis omnibus, qui occultæ hæresis suspicione laborant, antequam parochi ad sacramenta illos admittant, atque adeo antequam eorum matrimoniis assistant; severiores autem pœnas constituant adversùs eos, qui, expletis semel illis actibus, qui pro solemní probatione eorum orthodoxæ fidei præscripti sunt, atque ita ad sacramenta Ecclesiæ catholicæ, et ad matrimonii celebrationem admissi, in hæresim postmodum relapsi deprehendantur. Hâc enim tutâ agendi methodo parochis suppeditatâ, si ipsi eam sequantur, ab illis eximentur angustiis, in quibus hærere meritò solent, cùm ad assistendum matrimoniis accersuntur, privatâ scientiâ compertum habentes, contrahentium alterum, tametsi pro catholico habeatur, hæreticum esse: poterunt siquidem, atque debebunt, in hujusmodi circumstantiis, eas probationes ab illo exigere, quibus se catholicum esse, certà et irretractabili professione demonstret, secundùm ea, quæ ab Episcopo in Synodo, vel in aliis ordinationibus, præscripta fuerint.

FINIS.